PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS PRIMUS

(VI novae seriei)

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
PDRM

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1932

16765

V. 21

IMPRIMATUR

P. ADULPHUS MARIOTTI, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, 22 dec. 1932.

† AUGUSTINUS MANCINELLI
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscu

Società Tipografica A. Macioce & Pisani - Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De vera proximae occasionis peccati notione Disputatio historico-moralis

SYNOPSIS

Scopus et methodus disputationis.

I. *Conspectus historicus quaestionis*: In *Script. sacra* iam ponuntur principia, innuuntur quaedam distinctiones, casus ab Apostolo solvuntur.

Patres principia evangelica repetunt, tractant de quibusdam occasionibus in concreto; res magis consideratur canonice - *S. Th.* tangit quaestionem sub respectu morali - *Moralistae* aestimantes quam proxima sit occasio: - Navarrus " ut plurimum „, " semper vel fere semper „: impugnatur a Lud. Lopez - Suarez introducit " frequenter „ - Th. Sanchez " periculum morale „ - Card. de Lugo non ita clare loquitur.

Nova consideratio: *probabile periculum peccati estne sub gravi vitandum* ?

Introducitur et perperam solvitur a Caramuel - Disputationes - Propositiones damnatae et reactio contra laxismum (Cardenas, etc.) - S. Alphonsus; opinio fit communis.

Auctores iterum in diversas partes abeunt.

Gury - Ballerini - Alii S. Alphonsum sequuntur, dum alii Lugonis et Ballerini vestigia premunt - Media via procedentes.

Conclusiones ex inquisitione historica.

Utilissimum sane, immo maxime necessarium est, claras habere notiones in materia quae quotidianam fere in sacri tribunalis praxi applicationem habet,

cuiusque principia ad omnes quaestiones morales referuntur. Talis procul dubio est doctrina de occasionariis. Non obstante tamen continuo eius usu, ad difficiliores Theologiae moralis tractatus pertinet. Sufficit modicum quaestionis historicae conspectum habere, ut magnam opinionum varietatem cernas.

Abinde a saeculo XVI, vix moralista alicuius notae occurrit, quin pro suo ingenio quaestionem tractaverit. Alii specialibus operibus vel fasciculis rem illustrare conati sunt. I. Brocchi (1), sacerdos Florentinus, iam anno 1718 integrum conscripsit librum de occasione proxima peccati et recidivis. Praeterito saeculo, Aemilius Berardi in duobus voluminibus « fusius aliquando, forte etiam magis confuse » de eadem re scripsit (2). Anno a promotione S. Alphonsi ad Doctoris Ecclesiae honorem vigesimo quinto (1896) inter professorem Veronensem, I. Bapt. Pighi et G. M. Van Rossum, nunc S. R. E. Cardinalem, circa idem obiectum exardescit contentio (3). Aliquot annis postea, I. Aertnys inculcat illustris suae Congregationis fundatoris doctrinam eamque contra adversiores tuetur (4). Demum recenter R. P. Franciscus Ter Haar C. SS. R. totam materiam resumpsit tractandam in praeclaro suo opere, quo plurimum ad dilucidandas quaestiones contulit (5).

Cum tamen quaestiones, practicae praesertim, innumerae fere in vasto hoc Theologiae moralis campo inveniantur, mirum non est auctores, totum complexum amplecti volentes, in particulares et longiores histo-

---

(1) I. Brocchi, *De occasione proxima peccati et recidivis,* Lucae, 1718.

(2) A. Berardi, *De recidivis et occasionariis,* I-II, ed. VI, Placentiae, 1909.

(3) I. Bapt. Pighi, *Commentarius de Iudicio Sacramentalis,* 1896. — G. M. Van Rossum, *Commentarius de Iudicio Sacramentali I. B. Pighi ad trutinam vocatus.*

(4) J. Aertnys, C. SS. R., *Fasciculus Theol. Mor.,* ed. 2., 1883; postea in Nouvelle Revue Théologique de eadem quaestione dedit aliquot articulos.

(5) Franciscus Ter Haar, *De occasionariis et recidivis,* Taurini-Romae, 1927.

ricas inquisitiones descendere non potuisse, sed plerumque contentos fuisse relatione quorundam textuum auctorum magis notorum, qui pro vel contra propriam opinionem citandi erant. Ipse quoque character concertatorius operum nonnunquam impediebat, quominus totius historiae ratio haberetur, attentio in speciales diversarum aetatum considerationes verteretur, atque ipsa evolutio quaestionis perciperetur. Attamen etiam hic suam habet adagium applicationem : « Historia magistra ». Non enim solum explicat, quomodo tot variae in decursu temporum de eadem re opiniones vigere potuerint, — agebatur nempe semper idem, sed non sub eodem respectu, — sed etiam practicam viam quaestioni solvendae ostendit. Quare placuit unum speciale punctum rei complexae studii causa eligere, quod tamen punctum pro basi stat etiam aliorum. Suppositis igitur generalibus notionibus periculi et occasionis peccati, quae duo ad modum generis et speciei intime connectuntur nec in tractatu separari possunt, praesuppositis etiam distinctionibus in hac materia usu venientibus, scopus noster totus quantus erit inquirere in veram notionem proximae ac liberae peccati occasionis. Ad viam solutioni sternendam satis plenum quaestionis conspectum historicum praemittere conabimur, dein, propter logicam connexionem, praeliminaris quaestio tractabitur : cur, quando et sub quali peccato periculum peccandi vitari debeat ? Quod cum solverimus, facile iam notio occasionis proximae stabilietur atque quaedam considerationes connexae adiungentur.

I. — *Conspectus historicus.*

1. Exordium sumimus ab ipso *verbo Dei scripto.* Iam hic clare deposita sunt principia, immo etiam distinctionum una aliave innuitur; frustra tamen quis quaereret definitionem ipsam notionis in quam inquirimus. Ab Ecclesiaste monemur, ne periculum peccati

adeamus, nam « qui amat periculum, in illo peribit ». (3 [27]). Christus Dominus, Novi Testamenti Legislator, magno rigore in sermone, qui vulgo « montanus » appellatur, pronuntiat non solum peccata vitanda esse quae in externis actibus consistant, sed etiam prava desideria. « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo » (Mt. 5 [28]). Nec sufficit; ipsa causa quoque peccandi vitanda est, occasio peccati deserenda. « Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam » (ib. v. 29. 30). « Oculus dexter eruendus » et « dextra manus abscindenda » sunt metaphorae ad significanda ea quae nobis maxime proxima sunt, carissima et apparenter saltem maxime utilia. Si divitiae, sanitas, amici nostri, immo, ipsi parentes occasio sint pro nobis lapsus in peccatum; et unicum efficax medium ad nos praeservandos sit nos illis privare, non est haesitandum, quia: vel Regnum Dei, vel gehenna; unum ex duobus! Subordinatio rerum temporalium vitae aeternae saepius et energico modo in Evangelio Christi postulatur. (Cfr Mt. 8 [22] - 10 [37].) Idem principium simillimis omnino verbis in Mt. 18 [8], [9] repetitur, in aliis tamen adiunctis, quae apta sunt ut novum lumen de sensu enuntiationis afferant. Christus Dominus, de scandalis quae parvulis dentur loquens, immediate subiungit: « Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et proice abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum ». Longioris expositionis loco sufficiat referre commentarium a. P. M. I. LAGRANGE datum.

« Cette expression est métaphorique: le scandale étant un acte, action ou parole, qui est pour le prochain une occasion de chute morale. C'est ainsi qu'il est pris dans le passage qui précède. Jésus avait dit combien il fallait éviter de le donner; il n'avait pas dit ce qu'il fallait faire pour ne pas le recevoir. C'est la leçon qu'il présente ici, en se servant d'une comparaison. Pour sauver la vie, on n'hésiterait pas à sacrifier un membre; il doit en être de même pour entrer dans la vie éternelle.

« Mais il va sans dire qu'un membre du corps n'empêche d'entrer dans la vie éternelle que s'il est une occasion de pécher. Tout naturellement on est induit à appliquer la maxime à toutes les occasions de pécher. Quand le sacrifice de l'ordre moral exigé serait aussi douloureux que le retranchement d'un membre, il ne faudrait pas hésiter » (1).

Dubium nequit igitur subsistere, factum est evidens: vitandum est! Sed quanam de causa? Certe propter periculum damnationis, propter effectum qui ex peccato actu commisso secuturus est. Utrum etiam, quia ipsa positio sui in tali periculo iam in se peccatum est? Ex contextu immediato, primo saltem aspectu, non clare apparet; respiciendo tamen totam peric-opam — « audistis, quia dictum est antiquis... Ego autem dico vobis... » — iure concluditur.

Principio rigoroso non obstante, eadem porro Scriptura Sacra docemur applicationem eius multum dependere a concretis adiunctis; aliis verbis, distinctiones in hac materia adhibendas esse. Ex una enim parte, quaelibet creatura per accidens periculum vel occasio fieri potest peccati iuxta illud: « Creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium ».

(1) P. M. I. Lagrange, *Évangile selon St. Matthieu*, p. 349.

(Sap. 14 [11]) (1). Ex alia vero parte vita hominis in praesenti conditione nequit dirigi secundum ea quae fiunt per accidens: non meris possibilitatibus sed tantum probabilitatibus nos regere valemus. Insuper aliquando facile potest quid vitari, relinqui, alias magnis tantum cum incommodis. Iamvero in litteris sacris haec omnia respiciuntur, nec indiscriminatim in quibuslibet casibus imponitur stricta obligatio. Sic S. IOANNES BAPTISTA non praecepit militibus ab eo quaerentibus quid facerent ut salvi fierent: deserite militiam (Lc. 3 [14]). Clarius adhuc praebet exemplum I. ad Cor. Apostolus Gentium praescripsit, ut Christiani a fornicariis se abstineant. Quidam hoc ita intellexerunt Corinthii, ac si iuxta Apostoli mandatum omne commercium cum paganis male viventibus vitandum esset, quod aequo durius immo moraliter impossibile videbatur. Quare S. PAULUS propius explicat suam mentem. « Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis huius mundi, aut avaris aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur, est fornicator. » (5 [10]. [11]). Quibus verbis iuxta AUGUSTINUM « ostendit impossibile hoc fieri, etiamsi totis viribus anniterentur... quo enim pacto fieri potest, inquit, ut homo qui domui, filiis et familiae praesit, qui vel rem publicam gerat, vel opifex, vel militaris, cum plurimi Graeci ubique sint, fornicarios fugiat? Nam mundi fornicarios Graecos appellat » (Comment. in I Cor. 5). In eadem epistola quosdam concretos casus solvit Apostolus (2). Quidam tenerae conscientiae christiani anxii haerebant, an possent carnibus vesci, quae idolis im-

(1) Consonant Patres, v. g. Aug. ad Publicolam, relatus in c. De occidendis 23, qu. 5. Cfr S. Th. 2, 2, qu. 43 a. 1 ad 4.

(2) Cfr F. PRAT S. I. *La Théologie de Saint Paul*, ed. XV., I. pag. 135-140.

molatae in nundinis dein publice vendebantur. Alii audacius progredientes, etiam paganorum invitationes acceptantes mensae eorum accumbebant; immo fuerunt qui, libertatem a Christo allatam perverse interpretantes, epulis participare in ipsis templis idolorum non sunt veriti. Apostolus singulos casus examinat datque solutionem. Permittit, ut in macellis carnes emantur; ut invitati comedant quidquid eis proponitur, « quia nihil est idolum in mundo. » Monet tamen, etiamsi vi principii scientiae licitum quid sit, ut videant « ne forte haec licentia offendiculum fiat infirmis ». Omnino diversa est solutio pro tertio casu. Severe vetat, quominus in ipsis templis idolorum epulis paganorum intersint. Participatio enim in sacris nequit admitti, cum huiusmodi agentes socii fiant daemoniorum. Pronum tamen fuisset Corinthiis dicere: nos tantum vescimur, minime autem volumus participes esse idololatriae — (participatio materialis in oppositione ad formalem). — Sed Apostolus praecludit viam tali explicationi: etiamsi quis positive perversam intentionem excluderet, non inde licita res evadit, haberi enim in casu proximum idololatriae periculum (per se saltem). Exemplo sunt Israelitae qui Mare Rubrum transierunt, invitati autem ad epulas Beelphegor, de facto idolum adorabant, et poenam suae culpae luentes ceciderunt una die viginti tria milia. Sint prudentes, neque tentent Christum! Itaque « qui se existimat stare, videat ne cadat ». (Cor. I. 8 — 10 [14]).

Haec omnia maxime instructiva sunt; datur etiam aliquis casus occasionis proximae; definitionis tamen quaestio ex sola Scriptura Sacra solvi non posse nimis est evidens.

2. *A Patribus* inde ab initio una voce repetitur principium a Christo Domino datum: prohibetur non solum moechia in actu et voluntate, sed etiam in causa, omnis scilicet occasio ad ipsam provocans. Dissen-

tiunt tantum in explicatione, cur dictum fuerit « oculus dexter », « manus dextra »; pariter in applicatione verborum Christi ad res in particulari. S. Hilarius de oculo in diversa volvente loquitur, S. Augustinus de amicis et consiliariis (1), S. Hieronymus de nimio affectu in fratres, uxorem, liberos vel affines, etc. Aliquando, de periculo fidei tractantes in quo versantur qui militiam agentes vel inter paganos viventes omne cum illis commercium vitare nequeunt, de occasione necessaria peccati mentionem faciunt. Nullum vero signum ullibi apparet de conscia reflexione in notionem liberae ac proximae peccati occasionis qua talis. Nec mirandum; disciplina enim poenitentialis alia fuit in primis saeculis ac nostris temporibus. Non ponebatur quaestio, utrum annon poenitens bene esset dispositus et paratus renuntiare occasioni peccati; prius enim debebat peccator poenitentiam agere et tantum ea peracta quae sufficiens existimabatur accipiebat absolutionem et erat reconciliatus (2). Confessio includebat quidem firmum propositum non iam relabendi in peccatum (3), ergo etiam vitandi periculum peccati; distinctiones tamen minutiosae non fiebant. Publica poenitentia semel tantum institui potuit; quare multum insistebatur ne, peracta poenitentia, ad opera redirent quae relapsum maxime facilitabant, ut militiae nomen dare, ludos publicos adire, etc. S. Siricius papa (385) aliquam mitigationem iam induxit circa antiquam poenitentiae legem. In rescripto suo ad Hincmarum Taraconensem, de iis loquens « qui tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeunt, - ait - quia carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum

(1) Aug. l. 1. *de serm. Domini*, cap. 24.

(2) Tixeront, *Histoire des dogmes*, ed. 10. I. pag. 504. — Cfr etiam tractatus dogmaticos de poenitentia.

(3) « Confessio peccati professio est desinendi. » S. Hilarius, In Ps. 137. n. 2. 3.

coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari » (1).

Res diu sub respectu potius canonico quam morali *consideratur.* Sic S. LEO papa (440-461) de 19 punctis consulitur a Rustico, Ep. Narbonensi, ad quae singillatim aliquot verbis respondet. Nolens tamen strictas definitiones dare, in parte introductiva clare notat: « Cum quaedam interrogationes modum diligentiae videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse quam scriptis. Quia sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quae aut pro consideratione aetatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari ». Ad nostram materiam refertur quaestio 11ª et 12ª. In priore agitur de negotiationibus vetitis. « Qualitas lucri negotiantem aut accusat aut arguit, quia est et honestus quaestus et turpis. Verumtamen poenitenti utilius est dispendia pati quam periculis negotiationis astringi, quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum. » Ad quaestionem autem: utrum post poenitentiam ad militiam saecularem redire liceat, annon, idem Sanctus respondet: « Contrarium omnino est ecclesiasticis regulis post poenitentiae actionem redire ad militiam saecularem, cum Apostolus dicat (II. Tim. 2 [4]): Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus? Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiae mundanae voluerit implicare » (2).

Eandem quaestionem tangit S. GREGORIUS. « Negotium quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc etiam post conversionem repetere (Petro post conversionem piscanti) culpa non fuit. Sunt enim pleraque negotia quae sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quae ergo ad peccatum implicant,

(1) P. L. XIII. col. 1137.
(2) Ep. CLXII P. L., col. 1206 ss.

ad haec necesse est, ut post conversionem animus non recurrat ». (Hom. XXIV. in Evang. — Brev. Rom. f. IV. infra oct. Paschae.)

Mutata antiqua Ecclesiae in re poenitentiali disciplina, consideratio occasionis peccati novum recipit aspectum. Antea inquirebatur, quidnam prohiberetur post conversionem; nunc — cum absolutio statim detur et satisfactio eam tantum sequatur — quaeritur, quaenam requirantur ad veram poenitentiam. De falsa poenitentia decreta emiserunt GREGORIUS VII., in syn. Rom. V. can. 5., et URBANUS II. in Troian. can. 16; ex quo postremo ad verbum desumitur can. 22. Concilii Lateranensis II (a. 1139): «... Falsam autem poenitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo poenitentia agitur... Falsa etiam fit poenitentia, cum poenitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit quod sine peccato agi nulla ratione praevalet (al. valet); aut si odium in corde gestetur... » Denz. n. 366.

Saeculo XII, florescente disciplina Iuris Canonici, diversi textus supra relati colliguntur atque inter canones locum obtinent. Sic apud GRATIANUM, *De Poenit.* dist. 5.

Quid autem de sensu textuum? Ratione habita contextus et adiunctorum, dicendum *censemus* a Patribus assignari aliquot occasiones proximas, quae eorum tempore in concreto tales habitae sunt, sed *minime dari definitionem generalem, nec rationem haberi frequentiae lapsuum,* ut numero indicato appareat, quando debeat aliqua peccati occasio proxima iam dici. Item, qui considerat, quomodo primae collectiones canonum ortum duxerint, facile concedet nullatenus ibi de stricta definitione danda agi. Cum autem posteriores moralistae hoc non considerarent simulque in opinione sua formanda Patrum vestigia premere vellent, rettulerunt quidem continuo S. Leonis et S. Gregorii textus, verus tamen

verborum sensus eos fugit et sic magis impedimentum quam auxilium ad inveniendam strictam definitionem exstiterunt.

3. *Doctor Angelicus* iam sub respectu morali quaestionem considerat, sed per transennam eam tantum tangit in 2, 2, qu. 10 a. 9. de communicatione cum infidelibus agens.

4. Posteriores auctores, sicut et quidam omnino recentes, aequo plus in hoc textu quod verbum « probabiliter » continet insistere videntur. Sanctus THOMAS quaestionem particularem tractat, nec illam tanta firmitate solvit, ut inde legitima fieri possit illatio ad omnes in genere casus. Etiam notari debet ipse modus loquendi. « Videtur esse distinguendum secundum diversas conditiones personarum et negotiorum et temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quam fidelium a fide aversio: non sunt prohibendi infidelibus communicare. « Si autem sint simplices et infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione et praecipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant vel absque necessitate eis communicent. » Merito quaeri potest, an de obligatione sub gravi, vel de generali prudentiae regula agatur. S. Thomas hoc non manifestat, supponit tamen distinctiones, nec indiscriminatim imponit eandem obligationem in quolibet casu, sed severiorem se ostendit, quando de magna familiaritate agitur vel de communicatione sine necessitate facta. In responso autem ad 3, de imminenti periculo loquitur et dat responsum omnino categoricum: « Si domino periculum immineret ex communione talis servi (infidelis) deberet eum a se abicere secundum illud.. « Si pes tuus scandalizaverit te, abscinde eum et proice abs te ». Quibus consi-

deratis — salvo meliori iudicio — textus hic decisivus haberi nequit.

***

Primus, qui **explicite et ex professo** rem tractasse videtur, est MARTINUS ab AZPILCUETA, vulgo Navarrus (1493-1586); suo tempore notissimus, qui diu munus Poenitentiarii Romae implevit. In opere suo *Manuale Confessariorum* (1) non absque timore quaestionem aggreditur. « Respondeo, quod mallem audire alium optime respondentem, quam respondere. Quia nemo, quem viderim, id pro dignitate diffinit; et sufficiens eius determinatio est difficilis. Non videtur satisfacere illa quam S. Gregorius tulit (cfr supra), licet sit omnium optima » cap. 3. n. 10. Mox pergit: « Dico, quod occasio propinqua, a qua necessario se debet abstinere poenitens et statuere se numquam ea usurum, ut absolvi possit, est *omnis illa et sola, quae est peccatum mortale, aut talis occasio particularis, qua credit vel debet credere, confessarius vel poenitens, numquam vel raro se esse usurum ea sine peccato mortali, bene perpensis eius circumstantiis.* Dixi (quod in se est pecc. mortale), ut includerem officium et artem necromantiae et foenerandi... quae non possunt exerceri sine peccato mortali. Dixi (peculiarem) ad excludendam generalem, quam praebet officium, ars aut exercitium, quo possumus uti licite; credimus tamen nos *aliquando* in ea peccaturos mortaliter... quia omnia praebent occasionem generalem... Dixi (*numquam aut raro), ut excluderem eas quibus frequenter utimur sine peccato mortali, et includerem eas quibus rarissime utimur sine illo.* Dixi (perpensis circumstantiis), ut significarem, quod hae possunt esse causa ut eadem occasio sit

(1) Venetiis, 1605.

talis uni poenitenti et non alteri; quia possunt facere, ut confessarius et poenitens credat, quod numquam aut raro per eam est peccaturus » ibid. n. 14. Bene autem attendantur, quae sequuntur. « Huius definitionis probatio nititur eo, quod nemo potest absolvi nisi statuat, saltem virtualiter, numquam se in posterum peccaturum mortaliter et consequenter vitaturum *occasionem,* quae ex se sit mortifera, aut peculiaris *eiusmodi, quam credit probabiliter peccati mortalis causam sibi fore,* iuxta illud: Qui amat periculum, peribit in illo. Siquidem *non vitare occasionem eiusmodi est peccatum mortale.* At talis est occasio, qua credit se fere semper ad sic peccandum impulsum iri. »

Certum est auctorem distinguere inter occasionem proximam absolute talem et relative talem. « Confessarius — ait — regulariter non debet absolvere poenitentem, qui non vult omittere occasionem quae fere omnes qui sunt similes eius facit quasi semper peccare mortaliter. Quoniam... id quod efficit aliqua causa in uno subiecto, efficiet alia ei similis in alio simili subiecto. A pari enim causa in pari subiecto par producitur effectus... Dixi, « regulariter », quia bene poterit, quando tales occurrent circumstantiae quae persuadent quod numquam aut raro peccabit propter eam, quamvis non abstineat ab ea. » ibid. n. 15. Ceterum idem clare elucescit ex auctoris explicatione supra relata de circumstantiis perpendendis. Consideranti tamen apparet plura in his textibus obscura remanere; immo auctor non videtur sibi cohaerere. Principium ad probandam suam definitionem allatum non considerat attente; illud enim, saltem si sensus verborum sumatur prouti nostro tempore intelliguntur, postulat ut proxima occasio dicatur non solum res vel circumstantia, qua numquam vel raro fit usus sine peccato mortali, sed etiam illa, quam homo credit probabiliter peccati mortalis sibi causam fore.

Non effugit hoc attentionem L. Lopez († 1596), qui brevi post in suo opere « *Instructorium conscientiae* » (Salamanca, 1585) ex professo et fuse Navarri definitionem impugnat. « Semper Navarrus — sic scribit — est in eadem salebra, scl. quod occasio... ut obliget ad sui expulsionem et vitationem, necesse est quod semper aut quasi semper inducat ad peccandum mortaliter ea utentem... Probavimus satis esse, etsi non quasi semper ad id induxerit ad peccandum, ... quod *probabile* sibi periculum paratur nisi talem occasionem evitet. » (cap. 23). Et postea: « Quis credet Navarro dicenti, prout insinuat, quod numquam imminet istud probabile et necessario vitandum periculum, nisi quando se viderit inde iam quasi semper pertractum ad peccatum? Quasi conscientia propriae fragilitatis cum aliquibus lapsibus inde accidentibus non sufficiat ad id periculi probabiliter timendum, licet non quasi semper inde fuerit lapsus » (c. 24.) Propria eius doctrina his exprimitur verbis. « Licet magis peccatum quam occasiones peccati cavere debeamus, tamen quia vitare *probabile peccandi mortaliter periculum sub mortali teneamur, ita etiam quando occasiones tam vehementes sunt ut hoc periculum probabile ingenerent, et ipsae sub mortali vitandae sunt;* et hoc nemini dubium est. » *Instructorium,* I, c. 21 ad 8.

Quaestio sic in terminis posita potuisset esse theologis occasio ad rem dilucidandam; quod tamen factum non est. Lopez fere nullum exercuit influxum; et per totum saeculum ne tangitur quidem quaestio, an graviter peccet, qui se exponat probabili periculo graviter peccandi. Licet haec quaestio ipsa re implicetur, auctores unice de proxima occasione solliciti sunt; eiusque rationem quaerentes, in nota « proximitatis », connexionis inter id, quod praebet occasionem, et ipsum peccatum insistunt; in quo tractandi modo etiam vestigia Patrum sequi sibi videbantur: eorum nempe verba pro stricta

definitione sumentes. Quidquid de explicatione Navarri sit, — non est impossibile voci « probabiliter » latiorem sensum ab eo tribui quam nostris fit temporibus, — plurimi eius definitionem adoptant. BROCCHI quindecim circiter huiusmodi auctores affert, verbotenus exscribendo eorum definitiones sine ullo ad contextum habito respectu. Inter quos plures numerantur non spernendae auctoritatis, ut CORDUBA († 1604), REGINALDUS († 1623), BONACINA († 1631) et alii, qui omnes tantam ad occasionem proximam peccati cum ipso actu peccati connexionem exigunt ut perpensis circumstantiis numquam vel raro sine peccato mortali ea quis utatur.

SUAREZ († 1617) iam temperavit aliquantulum definitionem, ita ut ad occasionem proximam non postulet ut fere semper sed solum ut *frequenter in ea peccetur.* « Attendendum est ad iudicandum quod aliqua sit moralis occasio proxima, necessarium esse, ut vel ex suo genere talis sit, quae frequenter inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel certe, ut experimento constet, in hoc homine habere talem effectum » (1). Quaeri possit de sensu vocis « frequenter » : utrum velit excludere « fere semper » an etiam « plerumque aut frequentius ». Ex contextu nihil concludi potest, nam textus est brevis, nec dat casus ex quibus sensus erui possit. Ex auctoribus eum postea citantibus « frequenter » idem videtur apud eum sonare ac « frequentius ». Inde ipse Ter Haar prudenter dicit : « illa Suarezii verba conveniunt cum verbis S. Alphonsi, nostramque thesim sustentant » (2). Doctorem Eximium permulti theologi secuti sunt.

TH. SANCHEZ S. I. († 1610), vestigia Suarezii premens, quaestionem solvit pro casu, quando occasio,

(1) In III. S. Th., disp. 32, s. 2, n. 4. Opera, t. IV. Moguntiae, 1604.
(2) Loc. cit. n. 69.

si res in se spectetur, sit tantum peccatum veniale aut opus indifferens, uti est v. g. curiosa lectio, curiosus aspectus personarum vel picturae, etc., quae tamen vel ex se, vel relative sit occasio proxima. « Certissimum est, — respondet, — opus, ex se veniale aut indifferens in mortale transire, si operans occasioni ita proximae exponatur (nexus est obiectum considerationis !) ut eum in *morali ac proximo peccandi mortaliter periculo* constituat » (1). De sensu autem expressionis ratione habita contextus nequit ambigi. « Ratio est — cur scl. in mortale transeat — quia salutem spiritualem temnere convincitur, se *tam probabili* eius amittendae *periculo* obiciens.... Tunc autem contingit haec moralis proxima occasio, vel hoc morale proximum periculum, quando ex suo genere occasio talis est, ut *frequenter* homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento constet in hoc homine talem effectum habere, ut recte tradunt Navarrus, Corduba et Suarez. Sicut is periculo damni temporalis incurrendi exponitur, qui aggreditur opus eo tempore et loco et *talibus adiunctis, ut vix illud damnum effugere valeat.* » ibid. Ex citatis auctoribus et comparatione allata (« tam probabili » ; « vix effugere valeat ») apparet morale periculum pro Sanchez non esse idem ac probabile, sed nexum inter periculum et peccatum esse artiorem, « moraliter certum ». Falso igitur pro sua opinione a Berardi citatur. Eadem expressio eodem sensu occurrit, etiam in Lessio.

Inter antiquiores maximi momenti est Card. DE LUGO S. I. (1583-1660), quem S. Alphonsus aestimat post S. Thomam non temere inter alios theologos facile principem dici posse. In praeclaro suo opere

---

(1) Th. SANCHEZ, S. I. *Opus morale in Dec.* L. I., c; 8. n. 1. [Ed. Veneta, 1623].

De Sacramento Poenitentiae (1), ponit quaestionem: an et quomodo neganda sit absolutio ob defectum propositi? Unum ex signis ex quibus defectus propositi colligitur, est quod poenitens nolit relinquere occasionem proximam peccati. De illa occasione proxima aliqua absque controversia videntur auctori, aliqua vero posse esse dubia, ait. Tamquam definitionem retinet illam quae exinde a Suarezio in usu erat. « Supponendum est occasionem peccati esse duplicem; alteram remotam, alteram proximam. Proximam appellant, quando talis est ex suo genere (absolute talis!), ut *frequenter* homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat in hoc homine talem affectum habere (proxima relative!). Remotam vero dicunt eam, quae talis non est ». Novum est, quod antea implicite in quaestione tractanda supponebatur (cfr dicta de Sanchez), nunc explicite proponi et tamquam argumentum adhiberi. « Cur autem illa appelletur proxima et haec remota, ratio videtur esse, quod inter illam et peccatum nihil videtur mediare, propter quandam coniunctionem necessariam moraliter, quam videtur habere cum peccato; haec autem non ita videtur coniuncta, sed remota, quatenus mediat maior libertas hominis, per quam consequitur peccatum » (2).

Sicut in casu Navarri propter apparentem discordiam inter datam definitionem et rationem allatam controversia exorta est, idem circa textus Card. de Lugo evenit. S. Alphonsus, primam tantum phrasim respiciens, illam pro sua sententia affert; Ballerini, Genicot et alii plurimi, propter alteram partem sibi e contra auctoritatem eius vindicant. Et hoc, modo contextus quoque consideretur, iure merito faciunt. Auctor enim ad practicas quaestiones solvendas procedens, continuo

(1) Card. Io. de Lugo, *De Sacramento Poenitentiae*, Lugduni, 1644, disp. XIV, sect. X.

(2) Loco cit. n. 149.

hoc altero sensu loquitur (Vide n. 150. 151. 162). Speciminis gratia sint sequentia: « ... dicimus... occasionem illam dici proximam; quia licet inter ipsam et inter peccatum debeat mediare tentatio proxima, inter illam tamen et certitudinem futuri peccati nihil mediat, nec est in mea potestate, posita illa occasione, vitare quod non sit iam positum id ad quod moraliter et frequenter consequitur peccatum mortale; quare iam me conieci in periculum, hoc est in laqueum certitudinis moralis, de peccato futuro » (1).

Admittendum est auctorem non in omnibus semper clare locutum esse. Aliquando etiam minus certus videtur de iis quae ex aliis refert; hinc verba ut « alii volunt », « inferunt aliqui », quae ipse positive non semper approbat; nec semper sufficienter apparet distinctio inter sententias relatas et propriam scriptoris opinionem. Considerato tamen toto contextu, lectis etiam solutionibus ad diversas quaestiones, de opinione auctoris dubitari nequit. Nullo etiam modo eos approbare possumus qui expressiones « frequenter », « moralis certitudo » vel « coniunctio moraliter necessaria » alias aliis opponendo, Cardinalem inconsequentiae arguunt: quod de tanto doctore non facile credi potest, praecipue cum hoc in tam parva distantia, immo immediate fieret. Scriptor quilibet ex suis operibus diiudicandus est, nec vis ei inferri potest, voces adhibendo eo sensu quem suo tempore nondum habuerunt. Ceterum verbum « frequenter » ex sua natura aptum omnino est moralem certitudinem significare, ut si quis quaestioni: an in talibus adiunctis saepe soles peccare? respondet, ita, frequenter pecco: potest intelligere hoc generatim evenire. Censemus igitur auctorem sensu superlativo sumere expressionem « occasio proxima » et verbum « frequenter » pari sensu pro fre-

(1) Ibid. n. 164, in fine.

quenter omnino; quo posito, omnis difficultas in contextu evanescit atque apparet, quomodo auctores, si unicum Lopez excipias, abinde a Navarro in eadem semper considerationis linea manserint. Ex eadem hac explicatione etiam patet, cur aliqui postulent, ut auctor rationem allatam ulterius probet (1), alii vero eam claram et convincentem reputant (2). Si enim occasio proxima sumitur sensu de quo supra, et ex ipsa expressione ratio sumitur, non habetur gratuita assertio vel petitio principii, sed simplex explicatio verborum; nec ulteriore probatione res indiget. Sed aliter omnino dicendum, si res sic consideratur: sunt quaedam circumstantiae, quibus se exponere grave peccatum est, et illae vocantur occasiones proximae peccati, et dein ad hanc notionem stabiliendam inquiritur, quantum debeat esse periculum peccati, ut quis gravis peccati argui possit. Ut consideranti patet, aliud tunc est suppositum. Nimis clarum est in definitionibus auctorum antiquioris illius aetatis includi occasiones proximas quae iuxta severiorem recentium opinionem quoque tales sunt; sed quaestio moveri potest et debet, an conveniant omni, ita ut illae sint tantum occasiones proximae, vel forte alia via ineunda sit ad claram obtinendam notionem quae ad plura se extendat.

Cardinalem de Lugo multi secuti sunt. WIGANDT occasionem proximam dicit eam in qua « semper vel frequenter » committitur peccatum; item STOZ S. I.; REIFFENSTUEL exigit moralem certitudinem lapsus. Plurimi eodem tempore scribentes etiam ultra procedunt et verbotenus ad definitionem Navarri redeunt. Invalescit mos definiendi occasionem proximam illam in qua homo numquam vel fere numquam abstinet a peccato mortali (REIFFENSTUEL, LEANDER, SPORER), vel pericula adducens « quae, spectatis omnibus circum-

(1) TER HAAR, pag. 61.
(2) FELIX CAPPELLO S. I., *Gregorianum*, 1928, pag. 461 ss.

stantiis, difficulter et vix aliquis evitaturus putatur » (LAYMANN, L. V. tr. 6, c. 4, n. 9, alii); aliquando, allatis numeris lapsuum rem illustrare conantur, ut si quis in decem casibus septies vel pluries labatur (Reiffenstuel, Sporer).

***

A medio saeculo XVII, sub novo lumine ponitur quaestio, atque paulatim novae considerationes invalescunt quae ad aliam conclusionem ducent.

Non absque curiosa admiratione legitur, quomodo novae directioni occasionem dederit theologus qui adeo aberat ut severiores opiniones profiteretur, ut iure merito « princeps laxistarum » sit appellatus. Tempore quo ubique probabilismus agitabatur, IOANNES CARAMUEL *Ord. Cist.* (1606-1682) in terminis ponit quaestionem: an sit lethale exponere se periculo non certo, sed solum probabili, mortaliter peccandi? « Ego nullam — respondet — actionem prudentem peccati arguo; nec imprudens censendus est, qui sequitur partem probabilem. Ita efficacissime superius n. 1057, ubi notavi tunc probabiliter deesse periculum, quando probabiliter adest; et si tibi sit probabile, quod nullum sit peccandi periculum, non video, quid te urgeat, aut cogat, ne possis licite operari. » Rem exemplo illustrat. « Sit iturus Ambrosius ad Petronillae domum, et cognoscat probabilis peccati periculum; ergo in tali casu potest et debet dicere: Ista propositio (peccabo) est probabilis; atqui possum sequi quam volo in materia probabili: ergo potero stare huic sententiae: non peccabo. » (1) Iam perperam principium probabilismi ad dubium facti (existentiae periculi) applicando dein *concludit non esse occasionem proximam, in qua periculum peccandi est dumtaxat probabile.*

(1) CARAMUEL, *Theol. Fund.* ed. Francofort., II, n. 298.

Brevi post, DIANA († 1663) doctrinam illam diserte reicit. « Haec omnia docet Caramuel, quae ex mente eius dicta esse volo; ego enim affirmativae sententiae adhaereo. » (1) Qua de re postea conquaestus est Caramuel, excusans se, quod more suo hanc sententiam non ut « thesim », sed ut « hypothesim » propugnaverat et in nova editione sui operis, quod Summo Pontifici, Alexandro VII, dicatum, Romae (1656) apparuit, ex professo et fuse sententiam oppugnat, quam iam « improbabilem » et « laxam » vocat atque concludit: « Non licet se exponere periculo probabili peccandi, ut docet communis omnium theologorum opinio. » (2) Fuerunt tamen, qui etiam postea priorem Caramuelis sententiam docebant, ut Leander a Murcia, Gobat.

Propositiones morales anno 1665 ab Alexandro VII et aliae anno 1679 ab Innocentio XI ut minimum « tamquam scandalosae et in praxi perniciosae » *damnatae, reactionem contra laxiores opiniones gignunt.* Propositiones legenti apparet (3) nullam occasionis proximae definitionem a SS. Pontificibus damnatam esse; sed in fine decreti additum est: « Non intendens Sanctitas Sua per hoc decretum alias propositiones, in ipso non expressas et Sanctitati Suae quomodolibet et ex quacunque parte exhibitas vel exhibendas ullatenus approbare. » Influxus horum decretorum immediate in doctrina moralistarum subsequentium perspicitur.

IOANNES CARDENAS S. I. (1613-1684) in opere suo, quod « Crisim Theologicam » vocat (4), quia iudicium de pluribus opinionibus et quaestionibus a Caramuel propositis continet, resumit etiam quaestionem de oc-

(1) Part. VII. 4. 11, resol. 29. (ed. Veneta, 1698).
(2) CARAMUEL, *Theol. Fund.*, ed. Rom., n. 519.
(3) DENZINGER, nn. 1101-1145; 1151-1216, praecipue 1141, 1211-3.
(4) 1. ed., 1670; 2. ed., 1710.

casione proxima, et ultimum quoque affert novae considerationis elementum. « Aliqui recentiores magnam inveniunt difficultatem in explicando, quid sit occasio proxima peccandi... Ego tamen existimo non difficile explicari, si exponatur per formale periculum peccandi. Et difficultas dumtaxat consistit in iudicando, an hic et nunc, attentis omnibus circumstantiis, detur formale periculum peccandi... » (1) Speciale caput habet, in quo « ostenditur nemini licere se exponere periculo probabili peccandi » (2). Intelligit autem voluntariam sui expositionem, eam quae sine causa proportionate gravi fiat. Rationes quas ad rem probandam affert, ad nostra usque tempora a fautoribus eiusdem opinionis repetuntur: quare infra fusius examinandae erunt. Praeliminari hoc puncto soluto, ponit alteram quaestionem: « An ad occasionem proximam requiratur periculum certum peccandi, an vero sufficiat probabile? » (3) Relatis sententiis, eas impugnat; maxime invehitur in Caramuel, cuius ratiocinium falsum esse ostendit. « Quando datur periculum probabile peccandi, certum est, quod exsistit periculum et probabilis est futuritio peccati; ergo dolosa est haec consequentia: datur periculum probabile, ergo probabile est dari periculum, ergo probabile est non dari periculum » (4). Tamquam argumentis positivis iisdem rationibus utitur quas pro priore sua thesi attulit. Diligenter etiam patronos pro se quaerit, in quo tamen negotio, salva bona intentione, nonnunquam abutitur auctoritatibus; nimio zelo abreptus plures testes in scenam vocat qui nihil pro re sua habent, vel etiam habent oppositum. Inter antiquiores etenim tantum Lopez et Diana certo

(1) *Crisis*, I p., disp. 18., c. 1.
(2) Ibid. c. 6., — fusius adhuc c. 4. n. 61-69.
(3) Ibid. c. IV. diss. 60. n. 6 ss.
(4) Ibid. n. 31, 37.

pro se habet; Lessium vult attrahere, dicendo morale periculum idem esse ac probabile.

Dom. Viva S. I. (1648-1726), commentarium in damnatas theses conscripsit (1). De propositione 41 loquens, eandem ac Cardenas profert doctrinam. « Ex communi sensu Doctorum contra Caramuelem et alios paucos, *non solum periculum peccandi certum, sed etiam probabile fugiendum est, non secus ac occasio proxima.* In casu autem nostro habetur periculum probabile eo ipso quod probabiliter iudicatur peccatum fore, quamvis simul probabiliter iudicetur peccatum non fore » (2). Consentiunt Roncaglia (1677-1733), Brocchi, Reuter (1680-1762) et famosus Busembaum (1600-1668), quorum textus, brevitatis gratia, omitto. — Propter influxum in S. Alphonsum exercitum, maximi momenti est Claudius Lacroix S. I. (1652-1714). En duo eius principia. 1. « Peccat graviter vel leviter, prout materia peccati fuerit gravis vel levis, qui se exponit periculo formali et certo peccandi formaliter. » 2. « Similiter *peccat graviter vel leviter, qui se exponit formali, quamvis tantum probabili, periculo peccandi formaliter.* » Putat ex ipsis propositionibus damnatis haec deduci posse. Quoad occasionem proximam, retinet, saltem quoad verba, antiquam definitionem: « quae homines similis conditionis *frequenter* inducit ad tale peccatum, vel de qua per experientiam constat, quod in peccatum communiter inducat » (3).

S. Alphonsus Liguori (1696-1787) retinet doctrinam « docti P. Lacroix, qui egregie tractat de hoc Sacramento Poenitentiae ». Omnino tenendum ei videtur *mortaliter peccare, qui se exponat periculo probabili mortaliter peccandi.* « Ratio convincens, ait, quia, si est illicitum uti opinione probabili sine iusta causa cum

(1) D. Viva S. I., *Damnatae theses ab Alexandro VII et Innocentio XI.*
(2) In prop. 41. Alex. VII. n. 15.
(3) Claud. Lacroix S. I., *Theologia Moralis*, n. 255-6.

periculo damni alieni spiritualis vel temporalis, ut certum est apud omnes cum Busembaum, quanto magis id non licebit, ubi periculum imminet propriae animae ?... Dicimus sine iusta causa ; nam ubi iusta causa adest, non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum ... Ratio, quia periculum de se proximum tunc fit remotum ... » (1) — De occasione proxima iuvat totum textum exscribere. « Occasio remota est illa, in qua homines constituti regulariter ut plurimum non peccant. Occasionem vero proximam alii ut Navarrus, Bonacina, Laymann (?), Concina et Sporer definiunt esse illam in qua creditur poenitens nunquam vel raro a peccato abstinere. Sed definitio haec non placet. Melius *dicendum* cum Sanchez, Holzmann, Lugo, Suarez, Tournely, Wigandt, Croix, Viva, Patre Segneri et Roncaglia, *quod occasio proxima* PER SE *est illa, in qua homines communiter ut plurimum peccant.* Proxima autem PER ACCIDENS, *sive respectiva, est illa, quae* licet per se respectu aliorum non sit proxima (eo quod non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum), tamen *respectu alicuius est proxima ;* vel *quia hic in illa occasione, etsi non fere semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit ; vel quia,* spectata eius praeterita fragilitate, *prudenter timetur ipsius lapsus...* » (2) In alio vero opere sic breviter effert definitionem : « Communior et verior sententia docet occasionem proximam esse illam, in qua frequenter quis peccavit. » (3) Comparando haec cum supra dictis de diversorum auctorum opinionibus, apparet :

1°. S. Doctor non semel nimis bona fide allegationes aliorum, absque eorum verificatione, mutuatur, quod ceterum etiam critica editio operum eius ostendit.

(1) *Theologia Moralis,* ed. critica Gaudé, Romae, 1909., 1 V. n. 63. ; eadem fere repetuntur in l. VI, n. 453

(2) Opus citatum, l. VI, n. 452 § 1-3.

(3) *Homo Apostolicus,* ult. tract. n. 1.

Facile etiam post alios repetit « est opinio moraliter communis », « dicunt communiter ».

2⁰. Expressio « frequenter » certum, determinatum recipit sensum, qualem apud antiquos non habuit, clare enim opponitur vocibus « fere semper », « frequentius ».

3⁰. Omnino novum quid est, quod occasio proxima *relative talis* separatur ab *absolute tali,* et multo severiorem recipit definitionem quam illa; quod est contra antiquiores et plurimos etiam recentiores, simulque causa est confusionis in citandis auctoribus. In definienda occasione proxima absoluta antiquis iungitur S. Alphonsus, sed, in notione occasionis proximae relativae plane ab illis differt (1).

***

Sententiae severiores de vitando peccati periculo et occasione proxima ita paulatim invaluerunt, ut *saeculo XVIII ad finem vergente et initio s. XIX, moraliter communes* dici possent apud auctores. *Consensus tamen* ille *non diu durabat.* Gury S. I. (1801-1866) iam primam partem tantum definitionis Alphonsianae recipit, plane silendo de altera; et pariter relicta distinctione inter occasionem proximam absolutam et relativam. Sed principium de probabili periculo peccati adhuc retinet. « An sit peccatum grave se exponere sine causa periculo labendi probabiliter in mortale? Respondeo affirmative, quia non licet uti probabilitate cum periculo animae suae. Ita communiter cum S. Liguorio » (2).

Antiquam sententiam plene restaurandam assumpsit Ant. Ballerini S. I. (1805-1881). Per triginta circiter annos in Collegio Romano theologiae moralis

(1) Cfr de his plura infra in conclusionibus.
(2) *Theol. Moralis,* I. n. 154.

professor, curat posteriores editiones Gury. Responsum supra citatum statim mutat hunc in modum: « Resp. affirmative, si agatur de occasione proxima peccati, ut res per se patet, secus vero in aliis casibus » (1). Intentio editoris non est ambigua. Nec confusio supra signata attentionem eius fugit. In notis suis ad hanc partem de occasione proxima sic scribit: « Contextus S. Doctoris aliqua non caret difficultate... S. Doctor eam definitionem adoptat quam reprobare alibi videtur... etiam hoc loco dum definit occasionem proximam per accidens, dicit: « Vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit » ; — sed iam eadem videtur occurrere difficultas. Nam hic vox « frequenter », cum opponatur voci « frequentius », subindicat ad proximam occasionem constituendam necesse non esse, ut iste in ea occasione pluries peccet quam non peccet. Et cum haec ita sint, quomodo iam componuntur cum praecedenti definitione, proximam occasionem esse illam « in qua homines ut plurimum peccant? » « Nam « ut plurimum » profecto non dicitur de iis qui pluries a peccato abstinent quam peccant. Equidem non dubitaverim, haec S. Doctoris loca, quae inter se pugnantia videntur, posse apte conciliari, praesertim si prae oculis habeatur sensus quo vidimus cum Lugo ab aliis occasionem proximam definiri; cuius tamen sensus nullum vestigium seu mentionem apud S. Doctorem reperio » (2). Ad eandem revenit ideam in opere suo morali: « Ut integram sententiam S. Alphonsi habeamus, ita accipiemus vocem « frequenter » ut nimis non distet a priori « ut plurimum » et sic forte cohaereat, cum sensu, quem voci « frequenter » adnectit in sua definitione Lugo cum Suarez (3). Pace tamen Ballerini dictum sit,

(1) *Theol. mor.*, I. n. 154.
(2) Gury - Ballerini, *Comp. Theol. Mor.* ed. 13, I. II. n. 440.
(3) Opus morale, t. V. n. 168.

integram sententiam S. Doctoris sic non redderet; alia enim est iam consideratio S. Alphonsi atque illorum auctorum, eiusque definitio intime cohaeret cum sententia de vitando probabili periculo peccati. Quare confusio illa videtur aliter dissipari debere. Quaestionem de periculo peccati Ballerini in postumo suo opere iterum tractavit et iterum reiecit severiorem sententiam; recte notat falsas allegationes auctoritatum, sed falsitatem sententiae positive non probat (1). Quod occasionem proximam attinet, propria ipse definitione danda abstinet, practice vero recipit illam quae a Card. de Lugo data est.

A temporibus Ballerini auctores in diversas iterum partes abeunt. Plerumque absque nova quaestionis discussione alicui ex magnis doctoribus se adiungunt. S. Alphonsum *sequuntur* omnes C. SS. R. sodales, sic — ut notissimos solum referam — Konings (Th. Mor. n. 1429), Card. Van Rossum (*Commentarius De Iudicio Sacramentali,* I. Bapt. Pighi ad trutinam vocatus, ed. 2ª pag. 33), Aertnys (Th. Mor. ed. 10ª, II. n. 469; item Fasciculus Th. Mor. pag. 1-3, editus anno 1883; cfr etiam *Nouvelle Revue Théologique,* 1900, p. 500 ss.), Marc et Gestermann (*Inst. Mor. Alph.* ed. 18ª. II. p. 353) et recenter Fr. Ter Haar. Eandem porro sententiam adoptant Scavini: « Occasio proxima est persona vel res externa, quae exponit probabili periculo peccandi ». (III, n. 339). Card. Gousset: « Occasio proxima ea est, quae nos ita vehementer ad peccatum allicit ut qui in ea versatur, probabiliter aut verisimiliter in lethale peccatum incidat ». (*De Poen.*, n. 557). Bouvier: « Occasio remota est, quae probabiliter de facto non ducet ad peccatum; proxima vero est illa in qua homo verisimiliter peccaturus est: « (*De Poen.*, cap. 6. a. 3 §. 2. sect. 3). Card. d'Annibale: « Peri-

(1) Opus Theol. Morale, t. I, n. 693-4.

culum vel tenuiter probabile est, vel graviter probabile;... si primum, occasio dicitur remota; sin alterum, proxima ». (*Summ.* I, § 172). BERARDI haec habet: « Occasio proxima est persona vel res externa, propter quam homo exponitur probabilitati peccandi ». (*De Occas.* n. 12). OJETTI S. I.: « Periculum vel est tenuiter probabile, vel graviter probabile: si primum, occasio dicitur remota; si alterum, proxima » (*Synopsis*, V. Occasio). LEHMKUHL S. I. sequens Reuter, sic scribit: « Occasio dicitur aut remota aut proxima, prout periculum habendi leve est aut grave et instans ». Hoc autem inter alia colligi posse ait « ex tristi experientia lapsus, si nimirum homo, quando versabatur in illis circumstantiis plerumque aut saltem satis frequenter re ipsa peccavit ». (*Theol. Mor.*, ed. 11ª, II, n. 617). Similem definitionem adhibet TANQUEREY (*Th. Mor.* III, 619, 622) et PRÜMMER O. Pr.: « Proxima occasio est grave periculum peccandi, in quo homo frequenter revera peccat mortaliter » ; quae tamen verba dubium de sensu relinquunt (cfr dicta de sensu expressionis « frequenter »), praecipue cum addat: v. g. visitatio tabernae pro homine vitio ebrietatis valde dedito. (*Th. Mor.*, ed. III, n. 449).

Alii, *vestigia Lugo et Ballerini prementes*, benigniorem sententiam de occasione proxima amplectuntur, simulque negant gravem obligationem vitandi probabile periculum peccati, vel de illa simpliciter silent. FERRERES S. I. remittit ad S. Alphonsum, sed primam tantum partem recipit eius definitionis: « in qua homines communiter ut plurimum peccant ». (*Th. Mor.*, ed. 9ª II, n. 733). NOLDIN S. I. ad grave periculum peccati postulat, ut nexus cum peccato sit moraliter certus, nam « vix credibile est offerentem se periculo graviter peccandi cum seria et rationabili spe se non esse lapsurum, graviter peccare, cum affirmari nequeat eum velle peccatum, quippe quod non sit necessario

coniunctum cum periculo, cui se exponit ». (*Th. Mor.* ed. 14ª, I, n. 325). Hinc pro eo « Occasio proxima illa dicitur, in qua periculum peccandi grave est, in qua proinde homines plerumque peccant » (ibid. III, n. 398). ARREGUI S. I. fere ad verba repetit Noldin. P. F. HÜRTH S. I., postquam clare dedit distinctiones, pergit: « Si occasio sive ex natura rei, sive teste experientia ob speciales circumstantias et conditiones, moralem certitudinem creat peccati secuturi, dicitur proxima, si hoc non facit, dicitur remota » (*Th. Mor.* II, p. 315-6) Cfr quod ipse scripsit in *Scholastik,* IV (1929, p. 111-2). Non pauci alii, tum ex clero saeculari, tum ex diversis religionibus, eandem profitentur opinionem. Specialis sententiae propugnator erat E. GÉNICOT S. I. (ed. 1ª a. 1897), qui stricte sequens sententiam BALLERINI, haud raras adversariorum impugnationes sustinendas habuit. Novus post auctoris mortem editor (ab ed. 6ª) doctrinam primitivam iam gradatim temperavit, recenter vero-practice loquendo-plene recepit doctrinam a P. TER HAAR propositam. « Nous estimons-sic de periculo peccati vitando scribit-que ces preuves établissent la gravité de l'obligation de fuir pareille occasion, au moins comme plus probable... A prendre enfin les choses plus généralement, nous souscrivons volontiers à cette proposition: En s'exposant à l'occasion de péché, on se rend coupable, à mesure que fait défaut une raison proportionnée à la gravité de la faute future et à la proximité du danger » (*Nouvelle Revue Théol.,* 1930, p. 37-8). In fine autem concludit: « S'il plaît à Dieu, nous modifierons, dans la prochaine (12ª) édition de la Th. Mor. de Génicot, dans le sens plus sévère indiqué plus haut, certains énoncés qui nous semblent, à notre humble et ferme avis, ou moins exacts ou moins clairs » (ibid. p. 40).

Sunt demum *qui, media quadam via procedentes,* non decidunt theoretice quaestionem, sed practicam

solutionem praebent. « Occasio proxima formaliter est circumstantia exterior, scribit R. P. VERMEERSCH S. I., quae peccandi periculum relative grave inducit. Tale periculum declinare debemus, nisi proportionato incommodo excusemur et tunc cautiones possibiles adhibeamus. Varietas sententiarum efficit, ut gravem obligationem non possimus dicere certam, nisi tantum sit periculum, ut praevidenda sit in eo culpa vere frequentior quam victoria ». (*Theol. Mor.*, ed. 2ª, I, n. 469). In eundem sensum loquitur R. P. FELIX M. CAPPELLO S. I. « Occasio proxima non videtur *practice* admittenda nisi adsit vel moralis certitudo, vel saltem probabilitas valde gravis, quod homo in ea sit peccaturus, ita ut, consequenter, vix adesse queat solida probabilitas, quod idem homo sit peccatum vitaturus. Porro utrum in hoc aut illo casu particulari adsit, necne, moralis certitudo aut valde gravis probabilitas peccandi, diiudicari debet tum ex frequentia relapsus, tum ex indole poenitentis, tum ex communiter contingentibus ». *(De Sacramentis,* ed. 1926. II, n. 824-5).

***

Peracto iam non levi inquisitionis historicae labore, iure ex illa *sequentes conclusiones retineri posse arbitramur.*

1⁰ Vocabula quae in quaestione quam examinavimus adhibentur, ut « probabile » « frequenter » « plerumque », etc., non habent ex se determinatum sensum in indivisibili stantem, sed admittunt plus et minus. Proin *in referendis scriptorum textibus hoc* attendendum est. Quare *inspiciendus est contextus, immo ratio habenda est idearum et praeoccupationum cuiuslibet respectivae aetatis, ut completa auctorum mens haberi possit.* In hoc puncto defectus aliquos admissos fuisse ab iis qui materiam tractaverunt, impossibile erat non advertere.

Praesertim *verbum « frequenter » specialem habet suam historiam.* Introductum a Suarez, ab omnibus fere, ad nostra usque tempora, recipitur, sed dum prius promiscue cum expressionibus « saepe », « fere semper », « plerumque », « ut plurimum » « moraliter certo » adhibebatur, et significationem illis haud dissimilem, si non aequalem, habuit, definitionem Lacroix et S. Alphonsi mutato iam sensu ingreditur; ita ut, etiamsi historicam suam originem innuat, de facto nihil iam commune cum significatione primitiva habeat. Clare iam hic aliis expressionibus opponitur, estque idem atque occasio in qua probabile habetur peccati periculum, prudens habetur timor lapsus futuri; consideratione autem a posteriori instituta, iam verificatur, si quis in decem occasionibus quinquies vel etiam ter quaterve peccet.

Forte simile quid dici possit etiam de expressione « probabile », prout a Navarro adhibetur et postea a fine s. XVII usu venit. Quid nomine « moralis periculi » veniat, suo loco dictum est.

2⁰ *Magna opinionum varietas ex diversa diversorum temporum consideratione oritur et manifestae sunt evolutionis signa.* In *Sacra Scriptura* iam clare dantur principia, sed nondum diserte ponuntur distinctiones, minus adhuc earum definitiones. *Patres* in concreto loquuntur de quibusdam proximis peccati occasionibus, quae proprio suo tempore actuales erant, nec ipsi definitionem curant. Mox, in connexione cum disciplina poenitentiali, sub respectu canonico rem considerare incipiunt. Demum s. XVI, Navarrus conatur primus definitionem proprie dictam dare. Una alterave de adeundo probabili periculo peccati assertio (S. Th., Lopez) manet vox clamantis in deserto; auctores, vi vocis rem considerantes, per longum tempus moralem lapsus necessitatem ad occasionem proximam exigunt; tandem in secunda parte s. XVII, sub novo lumine

introducitur quaestio, novaque datur solutio, quae tempore reactionis contra laxismum ubique recipitur.

3° *Veritati non omnino respondere aestimamus*, quod R. P. Ter Haar in opere suo, ceterum optimo, ad rem explicandam profert. « Ex dictis liquet distinctionem inter occasionem proximam absolutam, in abstracto seu per se et occasionem proximam relativam, in concreto seu per accidens maximi esse in re nostra momenti. Ad quam quia *multi theologi antiqui et aliqui etiam recentes non satis attendunt, confusio oritur,* quae in sacri tribunalis praxi haud parum est exitiosa. » (n. 12 cfr. etiam n. 7). E contra, sedulo textus consulenti apparet illos omnino clare haec distinguere, nec unus forte inveniri potest ex principalioribus, qui rem omiserit. En quaedam specimina. Ad occasionem proximam necessarium est « ut vel *ex suo genere talis sit,* quae frequenter inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel certe, ut experientia constet, *in hoc homine* habere talem effectum » (Suarez). Idem fere ad verbum repetunt Sanchez et Lugo. « Iam Navarrus inculcat perpendendas esse circumstantias, nam hae possunt esse causa, ut eadem occasio sit talis uni poenitenti et non alteri ». Et alibi: « Confessarius regulariter non debet absolvere poenitentem, qui non vult omittere occasionem, quae fere omnes, qui sunt similes eius, facit quasi semper peccare mortaliter. Dixi, regulariter, quia bene poterit, quando tales occurrent circumstantiae..., etc.» Idem de aliis apparebit, si textus eorum supra relatos relegere placuerit. Confusio potius oritur ex propria ipsius auctoris duplici definitione plane differente, quam si applicare velit antiquis, utique exsurgit difficultas.

4. S. Alphonsus *serius occasionem proximam quibusdam specialem, quam occasionem proximam generalem describit, in quo manifesta habetur innovatio.* R. P. Vermeersch non absque aliqua miratione notat

rem, quae certe obiectum disputationis esse potest. Definitio enim quaelibet debet esse una et convenire omni et soli (circumstantiae debent quidem considerari, immo summum possunt habere momentum practicum, sed non ingrediuntur definitionem). Etiamsi duae specie occasiones proximae distinguantur, in notis genericis convenire debent, et discrimen, cum ratio specificationis ex aliquo respectu sumatur, in hoc eodem solum respectu fundari et assignari potest. Si quis igitur ad mentem S. Alphonsi occasionem proximam in genere personam velit esse vel circumstantias externas, in quibus frequenter fit lapsus, vere probabiliter, prudenter timetur peccatum mortale, — haec enim omnia idem in S. Doctore sonant atque indiscriminatim adhibentur —, tunc absolute proxima erit si, spectatis circumstantiis illis, homines in genere prouti solent esse, cum natura sua lapsa et vitiata, frequenter, probabiliter peccant, prudenter lapsus timere debent; relative vero proxima erit occasio, si eadem dici debent de hoc vel illo concreto homine propter maiorem eius individuam fragilitatem, passiones, propensiones, etiam si in genere de omnibus idem pronuntiari nequeat. Difficultatem latere in re etiam laudatus auctor sensisse videtur; duplicem enim definitionem sat fuse iustificare conatur (n. 10-13). Plane admittimus huiusmodi considerationes posse habere momentum practicum; si enim in quibusdam occasionibus homines in genere, plerumque, ut plurimum, cadere solent, a priori dicere possum hunc quoque in concreto poenitentem vere probabiliter in iis lapsurum esse, nisi vel ex experientia vel ex bene nota eius natura aliud mihi constet; multo autem difficilius erit id discernere, si homines in genere tantum frequenter in tali occasione peccant et in probabile tantum peccati periculum incurrunt; tunc enim pro singulis facilius fieri potest exceptio. Rationem tamen non perspicimus, cur haec in

ipsas definitiones introducantur. Ceterum etiam quaeri potest, an sit occasio proxima, in qua homines in genere non plerumque quidem, sed « frequenter », vere probabiliter, etc. peccant? Pro tali casu in neutra definitione S. Alphonsi locus datur, dubitari tamen non potest etiam hanc veram esse occasionem proximam. Neque dicatur, totum hoc in abstracto versari, nam definitio occasionis proximae absolutae etiam in abstracto consideratur, e parte enim rei individua tantum inveniuntur, immo omnis definitio, qua definitio, abstracta est. Censemus igitur — salva omni reverentia sancto doctori debita — si S. Alphonsus vere unam dedisset definitionem, plures confusiones evitari potuisse. S. Doctor non potuisset quidem appellare antiquarum auctoritatem, sed nec sua propria a subsequentibus scriptoribus appellaretur ad oppositas suas opiniones firmandas (alii enim unam e duabus S. Alphonsi definitionibus tamquam completam recipiunt, alii alteram).

5⁰ *Apparet etiam quam periculosum sit facile « moraliter communem » proclamare aliquam sententiam; vel auctores*, apud quos desiderata aliqua occurrit expressio, *intempestivo zelo pro se appellare*. Certe non stat, quod Cardenas « de antiquis » scribit: « Oppositam sententiam — scl. quod probabili periculo peccati se exponere grave sit — docent tamquam certam communiter Doctores »; quaestio enim per longum tempus nusquam posita est. Eodem sensu exaggerato loquuntur VIVA, et, post suam retractationem, CARAMUEL. De suo tempore potuerunt hoc dicere, sed non de illo quod damnatas propositiones praecedebat. Post BALLERINI iterum non habetur opinio moraliter communis. Quare ex solis auctoritatibus vix vel ne vix quidem res decidi posse videntur.

Et haec quidem de quaestionis historia. Videamus iam, quid ratio nos doceat.

(Continuabitur) P. NAPHOLC, S. I.

De S. Comunione ad infirmos deferenda

Excerpta ex praeclaro opere Excellentissimi Secretarii S. C. de disciplina Sacramentorum, Rev.mi D. Dominici Jorio.

N. B. Opus istud cum normis practicis quas tradit eo pluris faciendum est, quod ad auctoritatem Excellentissimi Secretarii accedit praeclarissimum suffragium Eminentissimi Cardinalis LEGA, Praefecti eiusdem S. Congregationis atque Episcopi Tusculani. Is non solum annuit ut opus ipsi dicaretur, sed praeterea litteris maxime significantibus de opere praefatus est. Haec pauca, quae ex his litteris ex italica in latinam linguam a nobis conversa sunt rei probandae sufficient.

« Tamquam Praefectus S. Cong. de Sacramentis dedicationem acceptare non potuissem, nisi mihi persuasum esset, quidquid doces, explicas, hortaris, non solum cum ss. canonibus sed etiam cum mente H. S. C. interpretis authentici et vigilis custodis disciplinae sacramentorum, et quidem maxime Sacramenti Eucharistiae, stricte congruere. Postquam scriptum legi, in hac sententia confirmatus sum, a Te operam utilissimam fieri ad difficultates removendas, et planiorem efficiendam viam applicandis praeceptis et documentis quae, pro necessitate vel opportunitate rerum, S. Congregatio tradit et pervulgat. »

n. 109. — Si osservi che la disciplina della Comunione frequente e quotidiana è stata ristabilita nella pratica dal Decreto *Sacra Tridentina Synodus* del 20 Dicembre 1905, ma che purtroppo la penuria dei sacerdoti è in alcuni luoghi allarmante. Basti sapere che in qualche nazione sono spesso affidate a un solo sacerdote tre parrocchie e, in certi casi, fin quattro; per cui si

è reso necessario di autorizzare tali sacerdoti a celebrare nelle feste tre Messe. In Italia pure scarseggia il clero, e s'è dovuto incominciare a impartire, nelle identiche condizioni, la stessa facoltà. Fortunatamente, i casi sono finora pochi.

Inoltre, non siamo più ai tempi in cui S. Francesco Borgia, ancor secolare, si attirava sul capo i fulmini dei predicatori spagnuoli, scandalizzati perchè, per consiglio di S. Ignazio di Loyola, usava comunicarsi una volta la settimana; o in quegli altri peggiori, in cui le ineffabili Carmelitane Scalze di Port-Royal, per la riverenza (diabolica) che nutrivano verso l'Eucaristia, finirono col non riceverla più, nemmeno a Pasqua! La Chiesa desidera vivamente che i fedeli si comunichino ogni giorno, o con frequenza, specialmente nella malattia.

Ebbene, se certi pastori impediscono la Comunione frequente e quotidiana agli infermi, vietando ai sacerdoti di recarla in forma privata, perchè riservata ai parroci in forma pubblica, essi disconoscono il desiderio vivissimo della Chiesa, la disposizione del diritto e la *mente* della S. C. dei Sacramenti.

n. 110. — Questo avviene in alcune diocesi, ove si è ordinato che la Comunione di devozione agli infermi sia portata *frequentemente* (due volte al mese) a giorni fissi e in forma pubblica; mentre fuori di quei giorni non è permessa la Comunione di devozione in forma privata.

In altre diocesi, non avendo preso gli Ordinari speciali disposizioni, riconoscono essi con ciò, particolarmente nelle città, non essere possibile la forma pubblica per la Comunione di devozione; nel quale caso vige, come è chiaro, il can. 849, § 1, con cui è autorizzato ogni sacerdote, secolare o regolare, a portare in privato la Comunione di devozione agli infermi.

n. 111. — Ora noi siamo d'avviso che le disposizioni degli Ordinari non tengano, se impediscono, contrariamente alla dichiarazione della S. C. dei Sacramenti, la Comunione frequente e quotidiana degli infermi. Quindi: o si porta ogni giorno in forma solenne la Comunione agli infermi che la desiderano (cosa non possibile), o è d' uopo riconoscere, a norma del can. 849, ad ogni sacerdote il diritto di poterla portare ai medesimi in forma privata, col permesso sia pure presunto del sacerdote che ha in custodia la SS.ma Eucaristia.

n. 112. — Nè si creda che con ciò si vada incontro ad abusi, perchè l' abuso (possibile in tutto) deve essere, nel caso particolare, rimosso dal superiore; però egli non deve andare all' altro eccesso, con l' impedire la Comunione frequente e quotidiana agli infermi.

n. 113. — Ma in tal modo si reca pregiudizio al culto pubblico verso Gesù Sacramentato! — D' accordo, se si tratti di culto esterno; ma non così se si tratti di devozione interna, quale è quella di poveri malati, che desiderano nelle loro sofferenze di ricevere l' Amico e il Consolatore divino. Non è questo il fine della divina istituzione?

n. 114. — I malati poveri sarebbero trascurati! — Anche se fosse così, dovremmo perciò far morire di fame i malati ricchi? Sarà sempre meglio nutrire dell' Eucaristia questa porzione del gregge di Cristo, forse e senza forse, più bisognosa dell'altra, che lasciar morire d' inedia ricchi e poveri.

Ad eliminare, poi, quest' inconveniente del preteso abbandono dei poveri da parte dei sacerdoti, si educhi sin dalla vita di seminario il clero all' apostolato della carità; gli si faccia capire praticamente che i poveri, secondo la parola del vangelo, sono stati da Nostro Signore Gesù Cristo sostituiti a Se stesso e che è di costoro il regno dei cieli. Allora si vedrà, che questa evangelica aristocrazia non solo non sarà

trascurata, ma verrà pienamente soddisfatta nelle sue sante esigenze, a preferenza dei ricchi.

n. 115. — I Sacramenti debbono essere chiesti ragionevolmente; quindi, fissata due volte al mese la Comunione di devozione in forma pubblica ai malati, questi possono essere ragionevolmente contenti.

— Sì, se si attendono le occupazioni dei parroci, e la scarsezza del clero secolare, e se non vi fosse il disposto del can. 849, § 1, con cui è autorizzato anche il sacerdote regolare a portare privatamente la Comunione agli infermi. Si porti pure pubblicamente la Comunione agli infermi due volte al mese, ma non si può nè si deve impedire, dopo la dichiarazione della S. C. dei Sacramenti contenuta nella riferita *mente*, che, fuori di detti casi ogni sacerdote, secolare o regolare, il quale trovi ragionevole la richiesta del malato, gli porti più spesso ed anche ogni giorno la Comunione.

Un po' più d' unione e di fiducia tra il clero secolare e il regolare, il clero curato e il clero non curato, specialmente nelle città: e l' Eucaristia, per eccellenza Sacramento di amore, visiterà, anche ogni giorno, malati e moribondi: ai primi, salute e conforto nella malattia, agli altri Viatico per la vita eterna.

De festis dioecesanis recolendis a religiosis

Festa sollemniora localia, vi rubricarum recolenda, religiosi quoque cum clero saeculari celebrare debent idquè eodem die et cum eodem officio. Quae sunt tantummodo « officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis nec non festa sollemniora Patronorum principalium, ita ut *non amplius* teneantur ad officia alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa,

neque ad officia localia, quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam » (Decr. auth. C.R., n. 4312 § 4).

Similiter novae rubricae Breviarii (tit. IX n. 2-3) statuunt: Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis et festum Titulare eiusdem celebranda sunt per totam dioecesim a religiosis utriusque sexus in eadem dioecesi commorantibus ac proprium calendarium habentibus sub ritu duplici 1 classis absque Octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda. Porro si plures Titulares ecclesiae cathedrali sint, omnes a religiosis quoque recolendi sunt (R.C. n. 3289 ad 1). In missis Titularium Credo extra ecclesiam cathedralem omittendum est (R.C. n. 2189; cfr n. 4281 ad 3; EPHEMERIDES LITURGICAE 1921, 430 et 1927, 379), nisi ex alia ratione iis conveniat. Ambo autem festa, scilicet Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, extra ipsam ecclesiam cathedralem quoque primaria sunt (R.C. n. 4249 ad 2 et 3; Praenotanda in duas tabellas ex rubricis generalibus Breviarii excerptas, Duplicia 1 cl. primaria).

Quoad Octavam Titularis ecclesiae cathedralis et Patronorum haec valent. Si Titularis vel Patronus est festum in calendario universali inscriptum sub ritu duplici 2 classis cum octava simplici (scilicet Nativitas Deiparae, S. Laurentius, S. Stephanus, S. Ioannes Evangelista, vel Ss. Innocentes), religiosi festum celebrare debent sub ritu duplici 1 classis; sed post diem festum servent quoad octavam calendarium Ecclesiae universalis (R.C. n. 4324). Si vero idem Titularis vel Patronus fuit sodalis alicuius ordinis vel congregationis, religiosi utriusque sexus eiusdem ordinis aut congregationis integram quoque octavam celebrent cum clero saeculari (R.C. n. 4317 § 3).

Quoad Patronos, notandum est decretum n. 4297 ad 3: etiam in locis, ubi habetur Patronus principalis

oppidi seu civitatis, tum dioecesis, tum provinciae, tum nationis, singula haec festa celebrari debent sub ritu duplici 1 classis, etiam festum Patroni dioecesis, « dummodo hucusque (i. e. usque ad annum 1912) festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici 1 classis cum Octava ». Ulterius autem progressae sunt quoad festum Patroni dioecesis novae rubricae Breviarii tit. IX n. 3: « Festa Patronorum principalium oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis » religiosi ibidem commorantes et calendarium proprium habentes celebrare debent, « quamvis feriata in foro numquam fuerint », sub ritu duplici 1 classis absque Octava, « nisi pariter eis alio titulo debeatur ». Rubrica citata igitur festum Patroni dioecesani simpliciter imponit; quare nihil refert, utrum antea celebratum fuerit per totam dioecesim necne, uti statuit decretum 4297 ad 3. Omnes igitur Patronos religiosi recolere debent eodem modo. Qua in re lex notabiliter mutata est; cfr VAN DER STAPPEN, S. Liturgia I ed. 3 q. 223; PIACENZA, In novissimas rubricas Breviarii ed. 2 p. 127 ss.

Itaque ad celebrandum Patronum loci seu oppidi vel civitatis tenentur omnes, qui in eodem loco commorantur in sensu civili accepto, scilicet etiam cum suburbiis (PIACENZA, ibidem). Ad celebrandum vero Patronum dioecesis, provinciae, reipublicae, et nationis tenentur pariter omnes, qui degunt in dioecesi, provincia, republica et natione. Tam rubrica (Add. et Var. Brev. IX n. 3) quam decreta (R.C., n. 4312 § 4, 4297 § 3) ponunt verbum festa *Patronorum principalium* in numero plurali; et rubrica addit « et » nationis, ita ut plane constet omnes patronos recolendos esse etiam a religiosis, at de singulis patronis festum unum i. e. sollemnius tantum (R.C., n. 4312 § 4; PERIODICA 7 p. 267; R.C., n. 3863 § 1).

Magni momenti est haec dispositio, nempe religiosos non amplius teneri « ad officia localia, quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam » (R.C., n. 4312 § 5). Quibus verbis indirecte statuitur religiosos teneri eadem festa celebrare, si adnexam habent feriationem actualem. Huiusmodi festa tunc, cum decretum 4312 ederetur, crebriora erant (cfr R.C., n. 4272 § 4), quam post Codicem et responsum Pontificiae Commissionis diei 17 februarii 1918 ad 3 (A. A. S., X 170). Ceterum religiosi quoque observare debent dies festos de praecepto quamvis locales; unde sponte sua fluit eos etiam ad officium teneri. Si enim decretum 4312 auferre voluisset etiam obligationem celebrandi festa localia actu feriata, simpliciter dicere debuit, religiosos ad nulla alia festa localia teneri sive feriata sive non; verum obligationem abstulit solum quoad festa localia, olim feriata nunc autem suppressa.

Religiosis proprio calendario gaudentibus neque licet alia festa localia, praeter recensita, celebrare. « Si graves exstent rationes ad aliqua festa localia, praeter recensita, pro aliqua religiosa familia conservanda, S. Rituum Congregationis iudicio subiciantur, ut praedicta festa, quatenus opus sit, in calendario inseri possint » (R.C., n. 4312 § 6).

De officio adhibendo. Religiosi in festis localibus, quae celebrare debent, « uti debent officio et Missa clero saeculari concessis, nisi eadem festa ab ipsis regularibus iam habeantur cum officio et Missa magis propriis » (R.C., n. 4312 § 5). Quae res diu disceptata est inter auctores, donec authentice definita est; cfr P. Victor, *S. Liturgiae Promptuarium* II n. 41 et p. 167-174; Periodica 7, 267 s.

De die uniformi servando. Festa praefata a clero religioso eodem die celebranda sunt quo a clero saeculari celebrantur.

Quod inprimis manifestum est quoad Anniversarium Dedicationis Cathedralis, sed valet etiam quoad festa Titularis Cathedralis et Patronorum. Religiosi enim concelebrant festa cleri saecularis, cuius officium, ut dictum est, et diem sequi debent. Quae uniformitas quoad diem cum clero saeculari etiam tunc servanda est, quoties Sancti Ordinis vel congregationis a clero saeculari « qua Patroni locorum principales vel ecclesiarum cathedralium Titulares extra diem pro tota Ecclesia vel pro universo Ordine aut Congregatione assignatam celebrentur, ut uniformitas inter utrumque clerum habeatur » (R.C., n. 4317 § 2). Quod eo magis valet, si non agitur de festis Sanctorum ipsius Ordinis vel Congregationis.

In archidioecesi Vratislaviensi, ex indulto apostolico diei 12 octobris 1921 festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, qui est Titularis ecclesiae metropolitanae et Patronus praecipuus civitatis et archidioecesis, celebratur dominica ante festum Ss. Petri et Pauli, translata quoque vigilia et octava eiusdem festi. Cui translationi religiosi plane se conformare debent, servatis normis decreti n. 4274. Agitur enim de festo feriato, quod religiosi ex duplici titulo celebrare debent, 1) quia est festum universale, 2) quia est festum titulare Cathedralis. Iuxta decretum n. 4236 ad 2, « feriatio, licet reducta, *omnimodam uniformitatem* ab universo eiusdem dioecesis vel regionis clero, *etiam circa diem,* in celebrando festo requirit » (Decr. auth. S. R. C., vol. VI, Index sub voce « Feriatio »).

Religiosi utique non iam tenerentur concelebrare eiusmodi festum locale, quod feriatione suppressa gaudet, ut dictum est. Sed in casu agitur de festo locali qualificato, quod scilicet est Titulus Cathedralis et Patronus loci ac dioecesis et qua talis a religiosis recolendus, etsi non esset simul festum uni-

versale ; ergo urget omnimoda uniformitas iuxta cit. decr. n. 4236 ad 2.

Eadem uniformitas quoad diem urget, si festum universale feriatum ex apostolico indulto alicubi alio die recolitur. Exemplum praebet eadem archidioecesis Vratislaviensis, ubi ex citato indulto apostolico celebratur festum Assumptionis Deiparae dominica post diem 14 augusti occurrente, translata quoque vigilia et octava. S. R. C. iam decreto n. 4142 statuit regulares idem festum cum clero saeculari transferre debere. In praefata archidioecesi igitur clerus religiosus utrumque festum cum sua vigilia et octava recolere debet iisdem diebus sicut clerus saecularis. Quod pariter docent Ephemeridis Liturgicae (1924, p. 250).

Unde concludimus. Clerus religiosus in festis localibus Dedicationis et Tituli Cathedralis ac Patronorum uniformitatem omnino servare debet quoad officium et diem, etsi eadem festa in universali Ecclesia vel in religione alio die recolantur. Quin etiam religiosi festa universalia feriata eodem die cum clero dioecesano celebrare debent, si forte eiusmodi festum ex indulto alio die celebrandum est in dioecesi. Die enim feriato populus sacris assistere debet ; unde admodum convenit, ut festum feriatum in cunctis ecclesiis eiusdem territorii eodem die agatur.

Franciscus Hecht P. S. M.

De externis monasteriorum Sororibus

I. Die 16 iul. 1931, in festo B. M. V. de Monte Carmelo, annuente, 24 iunio 1929, S. Pontifice, S. Congr. de Religiosis decretum edidit, in A. A. S., 1 sept. 1931 (XXIII, 380) promulgatum, quo approbavit « Statuta a

Sororibus externis Monasteriorum Monialium cuiusque Ordinis servanda ».

Sorores istae vulgo vocantur « *Tourières* », propter Rotam qua res in monasterium afferuntur et ex eo in urbem mittuntur. Huic Rotae Sorores istae non raro assidere debent ut iussiones Superiorissae excipiant et exsequantur, ita ut Rotae custodes dici queant, sicut ianitor ianuam custodit.

In decreto promulgationis, Sorores istae sic describuntur: « Eandem regulam profitentur et unam eandemque religiosam familiam constituunt cum Monialibus internis atque eidem Antistitae oboediunt; attamen vota tantum simplicia emittunt, primum quidem temporaria, postea vero perpetua; at non ita severe et stricte, sicut Moniales internae, clausuram observant, eo quod ipsis ad explenda externa negotia etiam extra saepta domus eis destinatae exeundum est. ».

Si fides sit *Monitore Ecclesiastico*, 1931, p. 331, originem ducunt a S. Francisco Salesio, qui, ut per Moniales a Visitatione, operosam erga proximum caritatem exercere posset, unicuique monasterio sui Ordinis coniunxit parvos coetus « Soeurs Tourières », sine clausura, solis votis privatis et temporariis astrictarum, ut simplices Oblatae, non professae, quae tamen ipso titulo dicebantur *a Visitatione*.

Antea variis modis providebatur isti monasteriorum necessitati. Ita, v. g. ipsi Fratres laici Fratrum Minorum externis necessitatibus Filiarum a S. Clara sub initiis prospiciebant.

II. Ut iam praecipua capita istorum Statutorum memoremus:

Sorores istae cooptantur a Superiorissa Monasterii, cum consensu sui Consilii (art. 19); iisdem quibus communiter religiosi impedimentis obnoxiae sunt (13); postulatum peragunt unius integri anni (21); professioni praeponitur noviciatus duorum annorum, quem nisi completo decimo octavo aetatis anno Sorores valide incipere non possunt. Primus annus, qui canoni-

cus dicitur, debet esse integer, continuus et, *quod plane novum est*, intra claustra monasterii peragi debet (art. 27). Alter in propria Sororum externarum habitatione, sub speciali vigilantia Sororis ad id deputatae transigitur (34); duobus tamen mensibus ante professionem, intra claustra se recipere debent (36). Vota sunt per sex annos annualia. Ad primam porro professionem admittit Superiorissa cum consensu capituli monasterii; ad ultimam vero cum suffragio consultivo eiusdem capituli. Si tamen monasterium fuerit regularibus obnoxium, tam primae quam perpetuae professioni Superior regularis assentiri debet.

Annuas votorum renovationes admittit Superiorissa monasterii cum consensu sui Consilii (19).

Cetera, quae respiciunt obligationes votorum et similia, fere cum omnibus religiosis sunt communia.

Indultum exclaustrationis et saecularizationis S. Sedi reservatur. Per vota temporaria Sororem externam ob graves causas dimittere potest Ordinarius loci et Superior regularis, si monasterium sit regularibus obnoxium. De dimissione perpetua S. Sedes decernit; sicut de aliis religiosis mulieribus. Id tamen peculiare habetur, quod dimissio vota etiam perpetua solvit.

III. Non modica quaestio exoritur de extensiva istorum statutorum vi; i. e. de monasteriis quae praesenti decreto subesse possunt et debent. Ut difficultatem quaestionis percipias, recolere iuvabit quam vario modo etiam hodie externis monasteriorum necessitatibus prospiciatur.

1. Sic dictae « tourières » sunt quandoque honestae famulae laicae, pro modico pretio servitiis externis monasterii addictae. Hae possunt etiam ut singulae esse cuiuspiam Ordinis Tertiariae.

2. « Tourières » possunt quoque conflari in pium sodalicium ab Ordinario loci cum votis privatis vel sine votis approbatum et erectum.

3. « Tourières » pertinere possunt ad Institutum religiosum, cuius sodales non aliter quam in pluribus collegiis vel seminariis servitia externa monasterii curanda assumunt.

4. « Tourières » inter se componunt Congregationem Tertii Ordinis, quae, ut annexa communitati Monialium, ab ipsa Abbatissa seu Superiorissa regitur.

Hoc loco memorandum est: *a*) Decretum 18 maii 1888, quo, ex audientia Sanctissimi (Leonis XIII), 5 maii 1888, tribus Monasteriis Clarissarum concessum est ut « Tourières », rite expleto noviciatu, consueta vota religionis, prius ad tempus, dein in perpetuum emitterent iuxta tertiam regulam S. Francisci a s. m. Leone Pp. X approbatum, et declarationes et explanationes additas ut regula Tertii Ordinis aptetur ad condicionem Sororum quae in Clarissarum Monasteriis externo servitio addictae sunt.

Explanatio autem ad decimum regulae caput, permittit ut, praevia Ordinarii licentia, cetera Clarissarum monasteria eandem regulam, Sororibus externis accommodatam, acceptent.

b) Anno 1925, 28 april., S. Sedes ad septennium approbavit statuta Sororum externarum de Monte Carmelo.

5. « Tourières » interdum, sola Ordinarii loci auctoritate, sive ante 1906 (quo tempore id poterat licite, etiam inconsulta S. Sede), sive consulta S. Sede in communitatem vere religiosam, cum votis publicis coaluerunt.

Quaeritur igitur, quaenam, ex tot speciebus « Tourières », in statu quo ante manere possint; quaenam, contra, propriam institutionem novo statuto commutare debeant.

IV. Verba Statutorum vel Decreti coniuncti interrogemus.

Titulus statutorum ita habet: « Statuta a Sororibus externis Monasteriorum Monialium cuiusque Ordinis servanda ».

Art. 1. Statutorum sic sonat: « Sorores externae monasteriorum Monialium cuiuscumque Ordinis, quibus Ap. Sedes specialem facultatem ad illas instituendas concesserit regi et gubernari debent ad normam Statutorum quae sequuntur ».

In Decreto haec leguntur: « Condicio plurimorum Monasteriorum Monialium..... necessarium fecit ut, annuente in singulis casibus Sede Apostolica, ipsarum rerum externarum expeditio quibusdam Sororibus, quae « externae » vocantur non raro committeretur.

« Huiusmodi porro Sorores eandem Regulam profitentur et unam eandemque religiosam familiam constituunt cum Monialibus internis, atque eidem Antistitae oboediunt.....

« Iam vero, ad hoc ut talis institutio, ubi necessaria est, absque spirituali ipsarum Sororum detrimento, magis ac magis firma evadat, opportunum visum est ut unicus Statutorum textus ederetur, ab iisdem externis Sororibus servandus. Quam ob rem Haec S. Congr. Religiosorum sodalium negotiis praeposita, specialia statuta ex officio redigenda curavit, atque re mature perpensa, censuit ut ea ad religiosae vitae formam servarentur a praefatis Sororibus quae, ex speciali indulto S. Sedis, servitio externo monasteriorum Monialium iam nunc addictae sunt vel in posterum addicentur.

« SS. Dominus statuta benigne approbare et confirmare dignatus est.

. . . . . .

« Contrariis quibuscumque non obstantibus. »

V. Iam de singulis speciebus aequum responsum dare conemur.

1. Praesentia statuta minime prohibent quin monasteria committere pergant praestanda servitia externa piis personis saecularibus, probante Ordinario loci, sive sint Tertiariae, sive non sint. Statuta enim spectant *Sorores*; laicae personae seu famulae, hoc nomine non veniunt: id est manifestum.

2. Neque spectant sodalicium huiusmodi famularum quod Ordinarius etiam cum votis approbarit, dummodo agatur de votis privatis: neque hae sunt Sorores.

3. Si quodpiam religiosum Institutum aliquot Sorores, sicut eas deputat Seminariis vel collegiis catholicis, etiam externo servitio monasterii deputare possit

et voluerit, Institutionem istam nova Statuta intactam esse sinunt. Statuta enim agunt de Sororibus quae ad eandem familiam religiosam cuius sunt Moniales pertineant, ac Superiorissae Monialium ut religiosae subsint, dum praefatae Sorores in aliud Institutum cooptatae sunt nec subsunt nisi domesticae potestati Superiorissae Monialium.

4. *a*) Quid autem de « Tourières », quae apud Clarissas Congregationem Tertii Ordinis regularis S. Francisci constituunt, cuius regimen definitur declarationibus et explanationibus quae, ab anno 1888, regulam istius Tertii Ordinis ad condicionem Sororum externarum accommodarunt?

Valetne hoc ratiocinium: SS. D. N. PIUS PP. XI, nova Regula Tertii Ordinis « veterem legem LEONIS X prorsus » abrogavit. (Cfr A. A. S., XIX (1927), 366). Ergo, suppressa lege ,declarationes et explanationes simul sunt suppressae. Ergo « Tourières » quae apud Clarissas Congregationem Tertii Ordinis constituunt ab anno 1927 omni approbata regula destituuntur. Quare, ut legem habeant, oportet ut nova statuta amplectantur?

Huic ratiocinio id obici posse videtur. Nova regula 4 oct. 1927, de declarationibus et explanationibus prorsus silet; illas igitur saltem expresse non abrogat. Ex his autem declarationibus et explanationibus componebatur regimen quod ab anno 1888 Sorores externae Clarissarum observabant, et post abrogatam regulam LEONIS X pacifice observare perrexerunt. Quare, nostra sententia, nihil obstat quin praefatae declarationes subsistant per se, et non pereant ut suppressae legi annexae.

Verum, ni fallimur, ad eandem conclusionem alia, meliore via, duci possumus. Ex can. 22, lex quae « totam de integro ordinet legis prioris materiam » huic obrogat. Iam vero quid Leo XIII intendit, quando

declarationes et explanationes regulae Leonis X ad usum « Tourières » accommodavit? Quid, inquam intendit, nisi regimen Sororum externarum apud Clarissas ordinare?

Hunc eundem finem modo magis generali S. C., condendo nova Statuta, intendit. Ergo priori legi de « Tourières » suis Statutis obrogavit.

Ne tamen isti conclusioni tamquam certae et irrefragabili assentiamur id obstare videtur, quod nova Statuta *generalis* sunt lex, regimen autem a Leone XIII pro Clarissis approbatum *speciale* ius induxit. Iam vero, ex ipso can. 22, « Lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ». Quibus verbis memoratur iam antiquum principium, c. l. *De Constitutionibus*, I, 2 in VI firmatum: « Leges universales legibus particularibus non derogant ».

Verum in nostro casu reponi potest, aliud esse expresse cautum per clausulam « Contrariis quibuscumque non obstantibus ». Etenim, teste R. Prof. Van Hove, in praeclaro suo tractatu *De Legibus*, n. 345, formula ista revocat « ius etiam particulare legi contrarium ». Hactenus de Clarissis.

b) Expeditior est solutio de statutis quae ad septem annos probata sunt pro Sororibus externis Monialium Carmelitanarum. Die enim 28 augusti 1932, isti septem anni revoluti erunt. Rursus autem Statuta generalia de Sororibus externis promulgata in fasciculo 1 sept. 1931, cum leges novae per tres menses vacent, tantum a 2 die decembris vim suam exserere coeperunt. De computanda legum vacatione, cfr *Periodica*, XVIII, 180*. Ut per sex reliquos menses Carmelitanae Sorores proprio suo iure uti pergant, id, ni fallimur, ipsa S. Sedes expresse vel etiam tacite facile concedet. Elapso autem hoc temporis spatio, ipsa S. Congregatio, ad quam pro innovando vel confir-

mando isto iure recurri debebit, decernet utrum an non externae Sorores Carmelitanae communi regimini obnoxiae esse debeant.

5. Restant iam « Tourières » quae, auctoritate Episcopi, in communitatem vere religiosam, sed dioecesanam coaluerunt.

Cum nova statuta bis, tum in art. 1 tum in Decreto quo confirmantur, servanda dicantur a Sororibus quae ex *speciali S. Sedis facultate vel indulto* externo Monasteriorum servitio addictae sunt vel addicentur, censemus cum P. CREUSEN (1) Dioecesanas Congregationes Sororum externarum, istis Statutis minime affici.

VI. **Corollarium.** Iuridica condicio Clarissarum vel aliarum Monialium apud quas sunt Sorores externae cum votis publicis, ita a nobis describi posse videtur.

a) Legitime Sorores externas habent, nec novum indultum tales habendi postulare debent.

b) Quae nunc iam professae sunt regimine quo hactenus usae sunt uti pergere possunt, nisi aliter a S. Congregatione statuatur.

c) Singulis monasteriis integrum est Sororibus externis in futurum renuntiare, et, annuente Ordinario loci, laicas personas assumere. Si autem maluerint Novicias pro servitiis externis cooptare, oportet ut regimen novorum statutorum adoptent.

N. B. *a)* S. Sedes professis concedere solet quandam optionem pristini et novi regiminis, si quod inducatur.

b) De nostra conclusione pro monasteriis quae ex S. Sedis auctoritate Sorores externas habent, nubecula quaedam dissipanda videtur. Etenim, in Decreto quo nova statuta confirmantur, Sorores dicuntur, « eandem Regulam profiteri » quam Moniales internae observant. Sed istud est minime generale. Non raro

(1) *Revue des communautés religieuses,* 1931, 180.

Sorores externae alii regulae obnoxiae sunt. Ita apud Clarissas, Sorores externae profitebantur regulam Tertii Ordinis regularis, dum Moniales ad secundum Ordinem pertinent. Inde quispiam dubitare possit num nova statuta huiusmodi Sorores externas spectent. Verum, in describendis Sororibus externis, istud videtur esse secundarium. Caput esse videtur ut vota religiosa habeant, eidem Antistitae tamquam Superiorissae religiosae subsint et ita ad eandem religiosam familiam pertinere censendae sint. Cfr de unitate familiae scripta a R. P. JOMBART in *Revue des Communautés religieuses* 1926, 169. 170.

c) Vis novi regiminis haec est, ut in posterum istae « Tourières » non iam ad Tertium Ordinem pertinebunt sed classem constituent secundi Ordinis vel Ordinis simpliciter talis, si, ut in religione S. Benedicti, non sit nisi unus Ordo.

VII Superest haec quaestio. Quid iuris de Sororibus quae, ut noviciae probabantur ut in Instituto per nova statuta suppresso vota nuncuparent, vel in eodem, iam facta temporaria professione, se ad perpetuam praeparabant ?

Ut liquet, condicio Sororum « Tourières » quae in incepto perseverare cupiunt a S. Congregatione definiri debebit. Ut nobis, privatim tamen, relatum est, S. Congregatio sibi proposuit ut pro Instituto nunc condito valerent quaecumque hactenus sub anteriore regimine legitime acta erant. Quare nec noviciatus ex toto vel ex parte, nec temporaria professio repetenda erunt, sed plenam utilitatem servabunt quasi iam secundum nova statuta facta sint. Hoc ceterum cum ipsa rerum natura satis congruit : Sorores enim istae, potius quam ad alterum Institutum transeant, novo proprii Instituti regimini, secundum S. Sedis voluntatem, subduntur.

A. VERMEERSCH S. I.

I. A qua die valent acta S. Sedis

Si agitur de rescriptis particularibus, et fuerint in forma gratiosa, diem habent quae in ipso rescripto ut dies concessionis indicatur; si vero fuerint in forma commissoria, a die exsecutionis valere incipient.

Si facultas, ad triennium vel quinquennium data, renovetur, nova concessio initium habebit ab elapso priore triennio vel quinquennio, etiam si propter oblivionem, nimis sero impetrata fuerit renovatio, ita ut beneficio bonae fidei, indultarius potuerit interea valide facultatibus uti.

Etenim haec accidentialis concessio non potest ut vera prorogatio considerari.

Si gratia fuerit concessa *ex audientia SS.mi*, et quidem in forma gratiosa, dies gratiae est ipsa dies audientiae, ita ut ab hoc momento efficax esse potuerit. Iste est casus dispensationis in matrimonio rato et non consummato, quam solus Pontifex et semper in forma gratiosa concedit. Si autem agitur de actis quae in Ephemeride officiali publici iuris fiunt, non dies quo S. Congregatio de re deliberavit et statuit, sed dies quo decretum edidit veram datam confert. Etenim ista editio se habet quasi promulgatio legis. Iam vero leges, a sua promulgatione diem sortiuntur.

II. Usus iuris patronatus

In Ecclesia quadam collegiata, dignitas canonicalis est sub patronatu constituta. Plures sunt patroni, ita ut praesentatio facta a seniore sit praeferenda. Octavius, senior, praesentavit Ambrosium, dum alii patroni Matthaeum praesentarunt. Elapso autem spatio quattuor mensium, intra quod ius praesentandi concluditur, Ambrosius repertus est carere qualitate, i. e.

origine requisita ad consequendum beneficium; quare coactus fuit resignare suam praesentationem. Tunc senior alterum idoneum designavit, appellando can. 1468, qui patrono ius dat rursus praesentandi si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit iuri suo. Alii vero patroni contenderunt solum Matthaeum esse vere et legitime praesentatum.

Hi recte contendunt, quia can. 1468 supponit fuisse praesentatum *idoneum* qui ante institutionem renuntiaverit, can. autem 1465 patrono qui non idoneum praesentaverit ius non concedit alium praesentandi nisi « tempus utile ad praesentandum (i. e. quattuor mensium) sua neglegentia lapsum ne sit ».

Iam vero senior debuisset de origine sui candidati tempestive se facere certiorem.

Solutio Casus De Medicis

(qui propositus est in Tomo XX p. 148)*

Ad I. Agebatur de medico quaerente de licentia qua ipsi opus erat ut, ad securitatem vitae, femur amputare posset *a*) religiosae professae *b*) personae quae mente capta erat.

Resp. Ab hoc principio exordiendum est: propriam vitam ob iustam causam neglegere vel indirecte profundere ad dispositiones pertinet quae per se ipsi personae cuius vita agitur stricte reservatae sunt. Ac perinde dicendum est de integritate membrorum servanda vel auferenda. Quare:

a) Cum religiosa professa sit sanae mentis, ipsa de sua voluntate interroganda est. Ac nisi speciali voto (ut inserviendi pestiferis) vel Constitutionum articulo aliter provisum sit, ne Superior quidem voluntatem religiosae personae quae sui compos sit supplere potest. Quamquam valde laudandi sunt qui, etiam quod ad corporis integritatem, se voluntati et arbitrio Superiori committunt.

b) Cum de ipsa personali subiecti utilitate agatur, personae quae propter morbum mentalem inops est consilii e caritate succurrere fas est et officium, id eligendo quod rationabiliter praeferendum videtur. Verum publica potestas potuit istas personas sub tutela personae habilis ponere. Quae, cum legitime incapacem repraesentet, ius habet medico permittendi quod expedire videtur. In casu urgenti fas fuerit medico consensum praesumere.

Ad II. Licetne catholico praefecto sanitatis ordinare instituta clinica in quibus etiam artes malthusianae docebuntur et exercebuntur a medicis quos praefectus prohibere istis artibus non licet? Licetne ei patrocinari medico qui, ut persuasum sibi est, artes istas exercebit?

Praefectum sanitatis hoc loco virum intellegimus qui, sive solus sive cum quibusdam aliis, ex officio publico sanitati civium in definita regione prospicere debet, condendo, ordinando instituta clinica, proponendo, admittendo medicos qui, praeter directam curam infirmorum, etiam de sua arte rite exercenda non nullas praelectiones habent.

Lex autem civilis ibi artes neomalthusianas positive permisit.

Ut liquet, talem legem catholici summe deplorandam habent, atque omni vi eniti debent ut quantocius e medio tollatur atque interea mali eius effectus impugnentur et minuantur. Hoc privati, hoc personae publicae sibi reputent esse officium et vocationem qua Christus discipulos suos esse salem terrae iussit. Quare catholicus sanitatis praefectus, in primis studeat istis artibus obsistere et pro viribus adversari. Verum quod numquam approbare potest interdum tolerare cogetur ne, si munere decedat, peiora fiant.

Itaque in hac necessitate positus, cum catholicus sanitatis praefectus non eo fine instituta clinica ordinet

ut istae pessimae artes doceantur et exerceantur, cooperatio praefecti sanitatis nec formalis est nec proxima dici potest. Si igitur lectiones de istis artibus vel earum usum impedire nequeat, propter multa honesta et commendanda quae ibi exercentur, licere dicimus ut, in praefatis adiunctis, catholicus munus praefecti sanitatis gerat, conando ut pessimis artibus quam minimus locus detur.

E bono communi enim est ut sint catholici praefecti sanitatis.

Quod ad commendationem medici qui etiam istas artes exerciturus praevidetur, ei praefectus sanitatis patrocinari poterit si, ob gravissimam causam, huiusmodi commendatione abstinere nequeat eique praesto non sit alter medicus peritus et magis timoratus, quem commendare queat.

III. Licetne ei, id iubente Commissione superiore de curis maternis, quaerere et conducere medicos pro instituto erecto ut schola neomalthusiana.

Resp. Schola ista non est, ex professo, nisi neomalthusiana; medici qui pro ea conducentur re ipsa in proxima occasione ponuntur peccati gravissimi, eique iam formaliter cedunt, dum munus in tali schola acceptant. Quare censemus a praefecto isto iussionem Commissionis Superioris exsecutione compleri non posse, etiam si ideo officium resignare deberet.

Casus De Religiosis

I. Constitutiones cuiusdam Instituti facultatem dant Superiori locali ut, sine alia licentia, utiles expensas ordinet quae mille libellas non superent. Generalis autem Superior, propter oeconomicas necessitates, praecipit ut Superiores locales praeviam licentiam ab ipso petant pro omni non necessario dispendio. Potuitne Superior Generalis id valide et licite praescribere?

II. Paulo ante quam Capitulum electionum conveniret, Consiliarius generalis singulis membris capituli folium scriptum tradidit, a duobus senioribus capituli subscriptum, in quo electores monebantur Cardinali Protectori valde cordi esse ut Camillus in Superiorem generalem eligatur. Nihilo minus, Camillus in primo scrutinio requisitum suffragiorum numerum non tulit. Tunc bini seniores praefati reclamare coeperunt iniuriae factae Cardinali Protectori cuius votum sic contemptum fuerat. Neque tamen in altero scrutinio necessaria Camillo maioritas obtenta fuit. Haec causa fuit vere tumultus in capitulo, ita ut interrumpi debuerit. Per intervallum autem bini seniores coeperunt apud singulos ita urgere necessitatem, propter Instituti prosperitatem, ut voto Cardinalis fieret satis, ut in tertio scrutinio Camillus, stricte necessario suffragiorum numero, fuerit renuntiatus Superior. Quid de ista electione aestimandum est? Debentne testes procurare ut electio ista infirmetur?

III. Ephemerides Liturgicae, 1928, p. 492 docent etiam in ecclesia cathedrali regularibus commissa calendarium religiosorum esse servandum, quia decl. 20 mart. 1915 e Collectione authentica exsulet ac proin non sit nisi decretum particulare, ita ut servanda sit rubrica quae sine exceptione statuit calendarium religiosorum sequendum esse in ecclesia incorporata domui religiosae vel cui coniungitur communitas.

Estne ista sententia certa vel vere probabilis?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Licetne consulere minus malum?

Occasio articuli. - In recenti quadam ac diserta elucubratione, clarissimus P. Bender O. P. [1] haec duo probare contendebat: 1. Sententia quae tenet licere consulere minus malum ei qui determinatus est ad faciendum maius nec alio quovis modo ab eo averti potest, *a*) si auctoritates quae eam vere docent perpendantur, probabilior vocari nequit; *b*) si vero intrinseca ipsius argumenta considerentur, nullum habet solidum fundamentum; 2. Minus malum consulere numquam licitum est.

Neminem vel mediocriter in re theologica morali versatum latet, contrarias istis conclusiones passim, immo communiter, a moralistis et propugnari et teneri. Rem igitur aliquantisper mirati, ad doctores alacriter confugimus, eorum classica opera nostris ipsi manibus volvimus, textuum studium contextuumque comparationem instituimus, quid illi in hac quaestione docerent, quidque nobis sentiendum esset enodare cupientes.

Scopus huius dissertationis non est alius quam in bono lumine collocare:

---

[1] Ephem. Theolog. Lov. Mens. Oct. p. 592-614.

1. *Non certo probari numquam licere minus malum consulere.*

2. *Aliquando vere licitum esse minus malum suadere.*

I.

Non certo probatur, numquam licitum esse minus malum consulere.

STATUS QUAESTIONIS. — A) *Qua in re moralistae omnes conveniunt.* — Manifestum est omnes rei moralis doctores et asserere et uno ore cum Apostolo docere debere, numquam fas esse vel minus vel ullum *facere* malum ne ea quidem de causa ut ex malo maxima bona oriantur; « et non (sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam, nos dicere) faciamus mala ut eveniant bona; quorum damnatio iusta est ». (Rom. III, 8.) At vero aliud est minus malum facere et aliud ad illud inducere. Age nunc: aliquem fingamus qui in implicatissimis rerum nostrarum adiunctis omnino determinatus est ad negotia quae dicuntur Status inimicis nationibus tradenda, vel alium qui impiissimo animo constituit seditiones ad reipublicae securitatem labefactandam promovere, aut, ne classica exempla praeterire videamur, aliquem qui decrevit alteri necem inferre, turpe cum nupta negotium habere. Si quaeramus num iste ad levius peccatum licite induci posset: v. g. ad aliqualem publici aerarii expoliationem, ad percussionem, ad simplicem fornicationem, in locum illius proditionis, tumultus, homicidii, adulterii; omnes etiam auctores unanimiter asserent id certe licitum esse si fiat rogando, consulendo, suadendo ut ille a toto malo vel a mali parte desistat.

B) *Quaestio controversa.* — Licebitne tamen maioris mali vitandi causa minus suadere? Perspicuitatis gratia haud parum interest prae oculis habere, hac locutione « suadere, consulere malum », iuxta auctorum modum

loquendi, duo significari posse. Vel enim, ut ait Valentia [2], locutio ista nihil aliud sibi vult quam « avertere animum eius qui paratus est ad malum v. g. usurae, ab alio maiore malo, exponendo ei quemadmodum, exercendo minus malum, scilicet usuram, possit vitare maius malum occisionis, indirecte et simul explere suam avaritiam ob quam alioquin non vellet proximo in extrema necessitate succurrere », vel significat « non modo animum alterius avertere a maiori malo, applicando ei minus, sed etiam ei vere consulere id minus malum, quamvis non quidem ut faciat illud simpliciter sed comparative, ut aiunt, id est ut faciat potius illud », minus, « casu quo alterum est facturus. Juxta primum modum, voluntas proponentis minus malum non fertur in malum ullum sed tantum in vitationem maioris mali ... » Iam sententiae negativae vel severioris patroni totis viribus contendunt minus malum licite tantum consuli posse si verbum « suadere » prioris modi sensum prae se ferat; e contra auctores qui benigniorem seu positivam sententiam defendunt strenue propugnant minus malum licite suaderi posse etiamsi haec locutio in altero sensu intelligatur.

Quare consulens minus malum, si sententiam negativam audias [3], « solum potest negative aut permissive se habere erga minus malum; scilicet deterrendo a maiori malo et tolerando aut permittendo vel omittendo minus, v. g. si quis dicat: volo firmiter occidere Petrum, volo te occidere aut pecuniam tollere, possum dicere: ne interimas, quia est magnum malum; de minori autem vel tacere, vel solum dicere quod est minus malum, aut loqui conditionaliter, si hoc non esset malum, tolerabile esset, aut aliquid simile. » Juxta hanc opinionem, ad minus malum inducere vel

---

[2] VALENTIA. Com. in 2.am 2.ae Disp. 5 q. 21.

[3] IOAN. A S. THOMA in 1.m 2.ae q. 15 n. 18.

minus malum suadere tantum licet vel avocando a maiore malo, vel consilium stricte doctrinale dando, vel, cum sufficiens adsit ratio, actum eliciendo de se non malum cum duplici praeviso effectu; altero bono intento malo permisso altero; numquam tamen praebere licet consilium sonans « fac hoc, elige hoc », positivum nempe, si obiectum electionis vel actionis sit, ut supponitur, quomodocumque malum.

SENTENTIAE NEGATIVAE ARGUMENTA. — Probationes quibus sententia negativa defendi solet ad hanc « unicam rationem reducuntur. Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Sed suadere minus malum est suadere malum ac proinde est quoddam malum, quod non potest fieri recte propter evitandum maius malum, quod est quoddam bonum » [4].

Haec ratio ita praesentari potest: « Consilium quod revera accipitur, vel, quod idem est, attingit finem ad quem natura sua dirigitur, specificat actum voluntatis hominis cui consilium datur. Quare si consilium ut obiectum habet aliquid quod non potest esse obiectum voluntatis hominis cui consilium datur, hoc consilium moraliter malum est » [5]. Vel aliter: Qui alteri consulit ut aliquid faciat vel omittat, si consilium accipitur, moralis causa est talis actionis vel omissionis, utcumque alter paratus vel determinatus inveniatur ad illam actionem vel omissionem. Sed qui vi consilii minus malum facit, malum facit. Ergo et qui consilium dedit causa moralis est mali.

ARGUMENTORUM SOLUTIO. — Argumenta allata minime certo probant. Hoc evincere haud magni negotii erit; sufficiet, ni fallimur, positivae sententiae fundamenta delineare. Iuxta benigniorem sententiam, actus voluntatis illius qui, paratus ad maius, minus eligit

---

[4] VAZQUEZ. *Opusc. Moral.* q. 43 Dub. 1.m.
[5] BENDER. *art. cit.* pag. 610.

duplex habet obiectum vel, si mavis, duobus aequivalet actibus. Quatenus ille actus minore malo terminatur seu eligit quod malum est, obiectum malum habet. Quatenus autem voluntas eligit malum minus qua minus, seu in minus malum ut minus prae maiore tendit, obiectum habet bonum. Actus illius qui minus malum patrat, quippe qui deliberata et libera mali electione penitus vitietur, non potest non esse malus; sed actus illius qui comparative seu conditionate minus malum consulit bonus est: habet enim tamquam obiectum hoc conditionale « si maius malum facturus es fac potius minus », scilicet malum minus qua minus. Unde consilium illius qui condicionate alii minus malum suadet quodque revera accipitur causa est mere per accidens minoris mali. Tamen diminutio mali, seu, quod idem est, minus malum qua minus, consilio tribui potest ac debet, quia is qui minus malum consulit eam diminutionem formaliter intendit. Ita v. g. ei qui alteri volenti inimicum occidere conditionate suadet ut illum potius verberet, moraliter imputanda est verberatio quatenus mors non est, minime vero qua talis, nam istam ut talem consulens tantummodo permittit.

Ut igitur negativa sententia certo probaretur, certo demonstrari oporteret aut illam duplicem formalitatem minoris mali non dari, aut consilium conditionatum causam vere esse per se mali minoris et ut *minoris* et ut *mali,* quod quidem argumenta allata immerito supponunt. Ultro concedimus eum qui minus malum consulit istud ut minus est, suadere, sed negamus eum ad minus malum ut malum inducere; nec inficiamur actum illius qui consilio conditionali motus agit specificari ab obiecto talis consilii quatenus actus ille mali diminutioni aequivalet, sed electionem mali qua mali pendere ab illo consilio plane rereicimus; tandem verum existimamus absolutum consilium esse causam per se actionis vel omissionis quae a tali consilio pen-

deat, sed ex hoc sequi eum qui conditionate minus malum consulit causam esse per se etiam minoris mali ut minoris minime probari posse censemus. Paucis, in forma: suadere condicionate minus malum est suadere malum ut malum, negatur; suadere illud absolute, etc., transeat. Ad secundum antecedens: consilium quod revera accipitur specificat actum voluntatis hominis cui consilium datur, conceditur in tantum et quatenus actus a consilio pendeat; sed negatur suppositum totius ratiocinii, scilicet actum illum a consilio per se exordiri. Denique illud principium « qui alii consulit aliquam actionem vel omissionem causa est moralis talis actionis vel omissionis », ita distinguimus: si agitur, ut supponimus, de vera causalitate per se et consilium absolutum est, concedimus; si autem consilium alius est speciei, conditionale verbi causa, de plano negamus.

Et haec sufficiant ad ostendendum placitum illud « numquam licet minus malum consulere » minime certo probari.

II.

Aliquando licet minus malum consulere.

Nonnulla praenotanda. — Ex his quae modo diximus constat sententiam positivam id in primis postulare: « Ille qui minus malum consulit », cum is cui malum consulitur ita decrevit maius committere ut nonnisi mediante minoris mali suasione ab illo graviori malo averti possit, « quamvis causa sit minoris mali non ideo mali causa est: [6] » « etenim nec malum consulit sed tantum proponit materiam minoris mali » [7]

---

[6] Soto. *De iust. et iure.* lib. VI. q. 1 a. 2.
[7] Henriquez. *Theol. Moral.* Lib. VI D.i 27.

« nec vult quod fiat malum et sic non sequitur quod velit malum » [8].

Cum minus malum conditionate consulitur, contingere potest: ut minus malum suadeatur inferendum eidem prorsus subiecto cui alius cui consilium datur inferre decreverat, vel diverso; in utraque hypothesi, et ut minus suasum et maius intentum sint eiusdem speciei vel diversae; tandem et ut qui consilium accipit de minore malo cogitasset atque ad maius vel minus malum exsequendum determinatus esset, vel de minore ne cogitasset quidem. Quo sententiae negativae veritas clarius pateat, assertumque nostrum firmius stabiliatur, diversos hos casus singillatim considerabimus, in prima tamen hypothesi, nempe quod tum maius tum minus malum eidem subiecto sit inferendum. Ab altera hypothesi tractanda abstinebimus, quia cum quaestionibus de Iustitia et Iure intime connexa est et aliis principiis, quorum tractatio dissertationem nostram nimium protraheret, solvi debet. Sit igitur conclusio:

1. - **Si minus malum eiusdem est speciei ac maius, licet conditionate minus suadere.**

Auctoritatis Argumentum. — Communi in theologia morali probandi rationi moram geremus, si imprimis auctores qui conclusionem nostram defendunt adducemus; inter quos certe numerantur St. Alphonsus [9], Soto [10], Diana [11], Navarrus [12], Molina [13], Suarez [14], Medina [15], Sanchez [16], Lugo [17], Salmanticen-

[8] Medina. *In 1.am 2.ae* q. 14. a 6.
[9] St. Alphonsus. *Theol. Mor.* lib. II n. 57.
[10] Soto. *De iust. et iure.* lib. VI q. 1. a 2.
[11] Diana. *Resol. Moral.* T. 7. tract. 5 resol. 35.
[12] Navarrus. *Summa Lat.* c. 14 n. 40. v. 13.
[13] Molina. *De iust. et iure.* T. II Dispt. 335 n. 7 et seqq...
[14] Suarez. *De legibus.* lib. III cap. 10. n. 9.: De censuris in communi Dispt. 44 sect 3. n. 3. et.
[15] Medina. *In 1.am 2.ae* q. 14 a. 6 et q. 96. a. 4.
[16] Sanchez. *De matum.* Lib. 7. dispt. II n. 14.
[17] Lugo. *De iust. et iure.* Disp. 19. 43.

ses [18], Lessius [19], Toledo [20], Henriquez [21], Sporer [22], Vazquez [23], Billuart [24], Laymann [25], Konings [26], Bucceroni [27], Ballerini-Palmieri [28], Gury-Tummulo [29], Elbel-Bierbaum [30], Lemkul [31], Genicot [32], Salmans [33], Marc [34], Artnys-Damen [35], Cornelisse [36], Haine [37], D' Annibale [38], Ferreres [39], Vermeersch [40], Arregui [41], Van Egeren-Forman [42], Sulpicienses [43], Ubach [44], Savetti-Barret [45], Pighi [46], Noldin [47], Prümmer [48], Tanquerey [49], Bulot [50], et alii.

Iam vero sive numerum sive praesertim ingens meritum haud paucorum auctorum a nobis recensitorum ponderemus, iure mirabimur fieri posse ut sen-

---

[18] Salmanticenses. *Cursus Theol.* T. VII p. 387 Theot. Mor. T. 21. c. 8. n. 58.
[19] Lessius *De iust. et iure.* Lib. VI. c. 3 dub. 4. et. lib. II c. 13. ad 3. n. 18.
[20] Toledo. *In 2.m 2.a* q. 6 2. a 7.
[21] Henriquez. *Theol. Mor.* lib. 14. dispt. 26. et lib. 4. dispt. 27.
[22] Sporer. *Theol. Mor.* tract. 4 c. 3. n. 27.
[23] Vazquez. *Opus Morale* lib 14 dispt. 26:, lib. 4. dispt. 27. etc.
[24] Billuart. *Summa S. Tho.* De Coct. vert. Iust. Can. Disp. a. 3 ad 4. diff.
[25] Laymann. *Theol. Mor.* lib II tract. 13. c. 3. n. 7-8.
[26] Konigs. *Theol. Mor.* n. 305.
[27] Bucceroni. *Theol. Moral.* T. I. n. 428.
[28] Ballerini-Palmieri. *Opus Th. Mor.* Vol. II n. 278.
[29] Gury-Tummolo. *Comp. Theol. Mor.* 233. V. Gury. Theol. Mor. T. I. n. 237.
[30] Elbel-Bierbaum. *Theol. Mor.* lib VI Conf. De Scandalo.
[31] Lemkul. *Theol. Moral.* T. I. n. 799.
[32] Genicot. *Theol. Moral.* T. I. nn. 234. 80.
[33] Salsman. *Theol. Moral.* T. n. 234.
[34] Marc. *Theol. Moral.* T. II n. 509.
[35] Artnys Damen. *Theol. Moral.* T. I. n. 258.
[36] Cornelisse. *Theol. Moral.* T. I. n. 270.
[37] Haine. *Theol. Moral.* De virt. pars. II q. 96.
[38] D'Annibale. *Sum. Theol. Mor.* T. II n. 97., P. I. c. 2. n. 301.; Vol. II lib. III n. 304.
[39] Ferreres. *Theol. Mor.* T. I. n. 321.
[40] Vermeersch. *Theol. Mor.* T. II n. 128.
[41] Arregui. *Summa Theol. Mor.* n. 335.
[42] Van Egeren-Parman. *Theol. Mor.* Vol. I tract. II n. 590.
[43] Sulpicienses. *Cursus, Theol. Mor.* T. V. n. 271.
[44] Ubach. *Curs. Theol. Mor.* Vol. I n. 96.
[45] Saletti Barret. *Comp. Theol. Mor.* n. 185.
[46] Pighi. *Theol. Mor.* Vol. I-II p. III n. 289.
[47] Noldin *Theol. Moral.* T. II n. 213.
[48] Prümmer. *Theol. Mor.* T. I. n. 611.
[49] Tanquerey. *Theol. Mor.* Vol. II n. n. 545. 844.
[50] Bulot. *Comp. Theol. Mor.* T. I n. 251.

tentia nostra omni solido fundamento destituta declaretur. Absque dubio verisimile est, quod ad auctoritates quae post S. Alphonsum scripserunt attinet, tanti doctoris sententiam haud parum influxum in eorum opinionibus exercere potuisse, at inverisimile prorsus, ne dicam iniuriosum, existimare illos eam adoptasse quin intrinsecam eius probabilitatem ullo modo perspectam habuissent.

CAIETANI SENTENTIA. — Quaestio nostra magis elucescet si aliquam de Caietani sententia in re nostra disquisitionem instituerimus. Eminentissimus theologus dicendus-ne est negativam sententiam tenuisse an positivam? Si quaestio nobis diiudicanda esset tantum ex iis quae leguntur in Comment. in Sum. Theol. 2. 2. q. 78 a. 4. fateri deberemus Caietanum re vera severiorem sententiam docuisse. Tamen in q. 75 a. 8 eiusdem partis haec ipse scripsit « Fateor quod in casu quo pars habens bellum iustum cognoscit vires suas et quod oportet aut confligere et succumbere aut acceptare duellum, quod licite (pars haec) acceptat duellum.... Nec solum licitum est tali parti in praedicto necessitatis articulo constitutae acceptare sed etiam provocare tale duellum ... » Quae cum ita sint, quaerimus: quomodo pars ad duellum provocari, quomodo duellum ipsi offerri poterit quin pars iustum bellum habens ei suadeat vel ab ipsa petat vel, uno verbo, tale duellum ei *positive consulat?* Nihil refert illius provocationis liceitatem a Caietano derivari ex eo quod qui « huiusmodi duellum offert, (hostes) a maiori malo abducit auferendo materiam maioris mali ut facturi malum peccent minus »; etenim, ut probabimus, qui minus malum comparative suadet hoc omnino facit. Sicut innuimus, duarum sententiarum discrimen est: iuxta negativam sententiam non licet alium quantumcumque ad maius malum paratum ad minus inducere ei positive consulendo « fac hoc; elige

hoc » minus malum, conditione, « posito quod maius es facturus », tacita vel expressa; dum e contra iuxta benigniorem sententiam, cum alius re vera ad maius malum paratus sit, consilium illud positivum sonans « fac hoc elige hoc minus malum », vere licitum est.

Quidquid ergo sit de rationibus propter quas ex Caietani sententia fas sit aliam partem ad duellum provocare, evidens est nullam provocationem vel duelli oblationem ab aliquo fieri posse, quin alteri parti duellum, seu, quod idem est, minus malum, iuxta benignioris sententiae positivum modum suadeatur.

Itaque si celeber auctor idem dicit in quaest. 78 ac in q. 95, positivam sententiam procul dubio propugnavit.

Sed ecce; illo adhuc vivo, quidam aliquam contradictionem in allatis textibus reperiri putarunt. Quibus dubitantibus, idem ipse Cardinalis Caietanus respondet in Opusc. t. I tract. 31., resp. 13, distinguendo inter « inducere ad totum hoc minus peccandum quod non licet, et inducere ad ly minus, quod licitum est ». « Hinc fit, ait, ut adulterum, cum aliter non valemus retrahere, ad simplicem fornicationem licite provocemus non hortando ut fornicetur sed si suae vult satisfacere voluptati, alieno non iniurietur thoro ». Hic Caietanus negativae mali minoris suasionis liceitatem una cum aliis theologis asserit, sed positivum conditionatum consilium nequaquam damnat: qui enim affirmat aliquid licere, non ideo affirmat hoc tantum licitum esse. Cum vero iuxta negativae sententiae placitum *tantum* mediante illa negativa suasione minus malum consulere liceat, ex hoc textu legitime deduci non potest Caietanum severiori sententiae adhaesisse nisi alius textus adduci possit in quo cl. auctor positivam sententiam explicite repudiarit. Tandem in *Summula* de peccatis, sub verbo *Tyrannis* haec leguntur: « Sicut enim luxurioso sancte consulitur ut non adulteretur sed for-

nicetur, hoc est minus malum committat quia subintelligitur si luxuria uti vis, ita occupatori dominii sancte suadetur quod minus male ... Et propterea pie interpretandae sunt petitiones tam iustitiae quam gratiae quae offerantur tyrannis : scilicet si vis, ex quo vis detinere et exercere hoc dominium utere illo iuste, utere pie, utere honeste, utere... » Ubi Caietanus docet licitum esse actum iurisdictionis petere a tyranno qui peccabit eam exercendo, simili modo ac licet ei qui adulterari vult, simplicem fornicationem suadere. Certe ut quis tyrannum inducat ad aliquem iurisdictionis actum exercendum positivo consulendi modo uti debet. Ergo si tenet comparatio, Caietanus etiam consilium positivum ad fornicationem suadendam permittit. Idem praeterea ipsissimis eius verbis confirmari videtur. In casu de fornicatione suadenda expresse dicit ibi subintelligi « si luxuria uti vis ». Igitur « sanctum fornicationis consilium », si iuxta negativae sententiae modum praebendum esset, ad hanc vel similem brevem formulam reduceretur : *ne alieno iniurieris thoro.* Nisi ergo putandum nobis sit Caietanum innuere voluisse, hoc *alieno*, speciali quodam emphasi a consulente proferendum esse, ut qui adulterari vult probe intelligat se minus malum facturum esse si fornicetur quam si adulteretur ; in illa formula non consilium non inductio ulla, sed mera dissuasio reperitur. Digressionem nostram his concludere possumus. Vel Caietanus verbis lusisse dicendus est, vel certe sententiam nostram nequaquam reprobat sed tenet ; quod si erramus, tunc Caietani mentem non bene intelleximus non tantum cum Molina sed etiam cum Prümmer, Salmanticensibus, Sanchez, Medina, Suarez, S. Alphonso aliisque qui eum inter positivae sententiae doctores numerant. Soto haec scribebat : « Vel putat Caietanus non sibi contradicere, nam numquam negavit licere consulere minus

malum sed licere inducere ad minus malum quod ego non penetro, vel forte mutavit sententiam » [51].

ARGUMENTA INTRINSECA. — Antequam conclusionem nostram intrinsece probemus, animadvertere iuvabit nos a Patrum textibus adducendis abstinere, non quod putemus eam ab illis probari non posse, sed quia argumenta ex ipsis deprompta, cum evidentia non sint, nimis facile detorquerentur vel infirmarentur. Quare ita probamus ratione:

ARGUMENTUM 1.m — In tantum consilium minoris mali illicitum esset, in quantum illud esset propria causa moralis seu causa per se mali. Atqui consilium conditionatum seu comparativum non est talis causa. Ergo consilium conditionatum de minore malo licitum est. Maiorem huius syllogismi putamus certam et ab adversariis nostris admissam; minor ita evinci potest: Qui determinatus est e. g. ad furandum 1000, eo ipso determinatus est ad furandum 100; et qui inimicum occidere decrevit eo ipso decrevit illum vulnerare; aliis verbis, qui paratus est ad grave alicuius speciei malum commitendum eo ipso paratus est ad leve vel minus malum eiusdem speciei patrandum. Sicut igitur qui consilium conditionatum dat non est causa per se maioris mali, ita nec causa per se minoris dici potest.

ARG. 2.m — In moralibus res sunt accipiendae secundum communem hominum existimationem. Ponamus itaque aliquod gubernium quod universa bona cuiusdam societatis publicanda esse iusserit. Nihil restat quod tentatum non sit ad damnum illud a societate avertendum. Omnia tamen incassum cecidere. Tandem bonus exterae nationis legatus, politicis, oeconomicis ac socialibus rationibus gubernio suadet ut dimidium tantum illius societatis bonorum expropriet. Numquid societas se a legato iniuriam accepisse ra-

---

[61] De iust. et iure. (loco citato).

tionabiliter existimare poterit? Nonne potius eadem legato de furti diminutione gratias quam maximas referet? Attamen si syllogismorum apparatu quis ad contrariam conclusionem devenire valet, meminerit, actuum moralitatem non a philosophicis notionibus sed philosophiam moralem ab obiectiva actuum moralitate pendere.

ARG. 3.^{m} — Supponamus illam mali diminutionem, de qua in argumento praecedente, a legato obtentam esse ea scilicet suasione quam negativae sententiae doctores probant. Legatus igitur gubernium ab exspoliatione dissuadet. Postea scopo decretae expropriationis rite investigato, ministris demonstrat quomodo dimidio tantum furto, finis ab ipsis intentus omnino obtineri valeat. Si utriusque casus obiectivitatem inspiciamus, reperiemus idem damnum, nempe dimidii societatis bonorum spoliationem, iisdem convenientiae, utilitatis etc. rationibus peractum. Unde si ille qui in hoc secundo casu ad minus malum inducit causa non est mali, ut adversarii admittent, ita nec qui iuxta positivae sententiae modum consulit, vere malum facit. In utroque casu, et consulens rationes offert quae ad minus malum moveant, et suasionis sive consilii obiectum constituunt rationes quae de facto ad minus malum movent, et is qui rationes adducit actu non peccat, quia ille qui ad gravius peccandum determinatus erat ad minus malum, qua malum, *se ipse* movet. Quae comparatione aliqua illustrari possunt: Quemadmodum is qui ad ingentem quandam ruinam vitandam, saxi cursum e sublimi in domum cadentis deflecteret, causa non esset minoris damni quod domus illa saxi deviatione sustineret, sed tota calamitas illi qui saxum praecipitavit tribuenda esset; ita cum minus malum ei qui maius facere destinavit, consulitur, tota actus malitia perversae voluntati, quae gravius peccatum conceperat, est imputanda.

Obiectio. — Neque obiciatur illum qui iuxta secundum negativae sententiae modum suadet non peccare quia eius consilium de se et per se ad minus malum neminem inducit, dum e contra consilium iuxta positivae sententiae modum praestitutum de se et per se ad minus malum perducit; nam, praeter quam quod actuum moralitas non exsistit in abstracto nec desumenda est ex eo quod actus in genere per se esse deberent, discrimen allatum ad summum efficit consilium minoris mali *absolutum,* de quo non agimus, semper illicitum esse.

Soti verba. — Quae praecedunt non sunt nisi explanatio quaedam argumenti Soti « Fit ergo ut, iuxta Caietanum » et sententiae positivae propugnatores « licitum sit eandem » (minoris mali) « ei » (qui gravius malum facere decreverat) « praebere materiam, puta quod mitius potest vulnerare hostem atque illo modo suum explere animum suoque honori satisfacere, sicut Loth exposuit filias nefandis sodomitis quo caveret hospitum abusum. Haec autem materiae propositio, ut eius utamur verbo, plane consilium est et suasio. Nam quomodo aliquid aliter consulas quam explicando rationes quibus alter moveatur? Quin vero et hoc est inducere. Porro ergo figmentum est perparum ad mores referens, concedere quod licet proponere materiam minoris mali et tamen negare consulendi licentiam » [52].

2. - Licet conditionate alicui minus malum consulere diversae speciei ac maioris, si ille cui consilium datur alterutrum facere determinaverat.

Cum primae conclusionis rationes omnino hic applicari possint non est cur immoremur ad hanc secundam conclusionem nostram probandam. Haec igitur sufficiant:

---

[52] Soto. *De iustitia et iure.* (loco citato).

Ex hypothesi ille cui malum consulitur iam determinatus est ad minus faciendum casu quo maius omittat; proinde conditionate consulens non suadet ut peccatum fiat sed ut pars peccati omittatur ab eo qui a toto non potest abduci, quare obiectum istius suasionis vel consilii vere est aut omissio mali aut mali diminutio, consilium licitum reddens.

3. - **Licet consulere minus malum ei qui paratus est gravius facere etiamsi qui consilium accipit de minori non cogitasset et minus malum diversae sit speciei ac maius.**

ARGUMENTUM AUCTORITATIS. — Fatemur hic nobis valedicendum esse aliquibus auctoribus qui conclusiones nostras tuebantur. Sunt enim pauci qui tenent tunc tantum licitum esse minus malum consulere, cum « ille cui consilium datur ad illud determinatus erat » [53], - ita Salmanticenses, aut, « cum minus in maiori malo includitur » [54], ut docet Laymann, vel, « cum minus in maiore formaliter vel virtualiter includitur » [55] ut vult Billuart, vel « dummodo minus in maiore contineatur aut eidem personae sit inferendum » [56] ut refert Vermeersch, vel « cum minus sit in maiore virtualiter inclusum » [57], ita Prümmer, vel « cum qui maius facit iam paratus est ad minus faciendum quod idem est ac cum malum minus eiusdem est speciei ac maius » [58] ut putant Noldin et Tanquerey. Nec mirum ; tota enim disputatio nostra in hanc quaestionem practicam convertitur scilicet: quibus in casibus possit aliquis alium inducere ad minus malum quin sit propria moralis causa eiusdem. Iam quo difficilior sit casus, eo facilius invenientur auctores quibus non videatur clarum quomodo tuto licitum asseri possit id quod, ubi de planioribus agebatur, ipsi licere docuerunt. Cuius rei optimum nobis exemplum praebet Billuart, qui in sua Sum.

---

[53]. - [58]. (oper. et locis citatis).

S. Thomae, loco citato, ait « verum est quod cum quis certo animo concepit perpetrare aliquod peccatum, liceat ipsi suadere ut non committat totum, sed partem peccati dumtaxat formaliter aut virtualiter inclusam in toto; ut si volenti furari mille suadeas furari centum tantum, volenti occidere, ut spoliet tantum aut verberet et sic dimittat, volenti prodere civitatem ut potius exspoliet aerarium quae sunt exempla Lessii quia .... At inducere ad peccatum, etiamsi minus, committendum quod ille nec formaliter nec virtualiter decreverat committere, est vera inductio ad malum peccati et scandalum activum ». Sponte igitur concedimus, praefatos auctores conclusionem tertiam non tenere; tamen animadvertere velimus eos inter negativae sententiae auctores computari non posse. Cur enim si, ex eo quod illi tertiae nostrae conclusioni non favent, concludi licet eos negativam sententiam docere, nobis non esset integrum eos uti positivae sententiae patronos simplicitur vindicare?

Quae cum ita sint, conclusio plus quam triginta auctores patronos numerat, ducibus S. Alphonso, Soto, Molina, Suarez, Lugo, Sanchez, Lessio ,Vazquez et aliis qui auctoritatis suae pondere eam vere probabiliorem reddunt.

Rationes quibus ipsi nituntur sunt istae:

1.ª - Consilium de quo disceptamus habet bonum obiectum, bonum finem, et bonas circumstantias. Ergo hoc consilium licitum est. Re vera; obiectum istius consilii, ut saepe diximus, est istud conditionale: « si destinasti facere gravius malum nec ego te ab illo avellere possum quin tuo pravo animo satis facias, fac minus malum et non maius ». Sed conditionale ut aiunt nihil ponit in esse, seu, quod in idem redit, obiectum illud non inducit per se ad aliquid agendum. Cum igitur ex hypothesi, ut adversarii fatentur, tum finis tum circumstantiae sint bonae et ratio adsit sufficiens

ad malum permittendum, sequitur illud obiectum conditionale esse bonum etiamsi sit per accidens causa mali.

2.ª - Ad hominem: « iuxta auctores sententiae negativae, licitum est alicui consulere ut minus peccatum committat non signando ei materiam minoris peccati; sed ex hoc sequitur quod ille eligat se inebriari v. g., ut non committat homicidium: ergo eodem modo licitum erat ebrietatem proponere, seu signare illi materiam minoris mali ad vitandum maius quamvis de eo ipse non cogitasset ». Ita Vazquez [59].

3.ª - Quaemadmodum docet S. Thomas [60], actus exterior peccati quamvis per se nihil addat ad malitiam peccati, tamen hanc augere potest, quod de facto moraliter semper accidit, vel secundum numerum peccatorum vel quantum ad extensionem vel quantum ad peccati intensionem. Unde maiorem in Deum iniuriam includere potest homicidium, v. g., actu perfectum, quam actus internus homicidii simul cum ebrietate, v. g., in quam quis incidit inductione illius qui ei minus macum consuluit. Certum est Deum nequaquam velle ut quis peccando in maiestatem suam offensiones minuat cum et ille Deum offendat. Sed quaestio praecise est: num Deum offendit qui alteri consulit vel condicionato consilio inducit ut loco iniuriam in Deum inferendi ut centum, iniuriam tantum ut nonaginta inferat. Sententiam negativam sequentes existimant eum revera peccare quia causa est partialis illorum nonaginta malitiae graduum; et ex hoc concludunt consilium conditionatum de quo agimus illicitum esse dicendum. Sed benignioris sententiae propugnatores, ad moralem hominum sensum appellantes, iudicant talia consulentem nihil aliud in se recipere, praeter quam alius mali seu

---

[59] Opus Moral. (locis citatis).
[60] Summa Theol. 2.a 2.æ q. 20. a 4.

peccati diminutionem; et inde affirmant consilium de minore malo conditionatum licitum esse.

Nos minime dubitamus quin huic quaestioni v. g. utrum ebrietas moraliter imputanda sit illi qui alium ad homicidium ita determinatum ut crimen iam iam exsecuturum sit unico quo potest modo ab eodem avertit, id est, eum ad ebrietatem inducendo, maxima proborum hominum pars negative responderit. Ratio est, quia cum ille cui consilium datur iam ad peccatum et homicidio intento et ebrietate gravius, absque ullo consilio, paratus esset; qui consilium dedit, perversae voluntatis actus malitiam aliquot gradibus diminuit: seu, ut exemplo allato iterum utamur, solummodo pravae voluntatis collapsum in minorem ruinam divertit.

Probatum tandem existimamus etiam licitum esse alicui minus malum consulere, si destinavit gravius malum facere quamvis minus malum suasum diversae sit speciei ac maius nec de eodem umquam cogitasset.

Quare vere constat aliquando licere ut quis minus malum consulat.

MICHAEL S. FABREGAS S. I.

Sacramenta alii conficiunt, alii suscipiunt.

Excepta Ss. Eucharistia, quam valide confectam quilibet baptizatus valide sibi conferre potest, et excepto pariter Matrimonio, quod valide conficiens sibi quoque ipse quodammodo confert, res est explorata apud theologos, in reliquis sacramentis inter conficientem et suscipientem discretionem debere intervenire. Ex theologorum enim unanimi consensu, nemo se ipse valide baptizat, confirmat, absolvit, ungit, ordinat. Rationes huius asserti si quaesieris, forte spe deceptus dubitare coeperis de ipsa asserti veritate.

Alii enim habentur libri dogmatici, in quibus res non tangitur, alii, in quibus tacta mere asseritur, alii, qui unice provocant ad doctrinam *Innocentii III* in ep. « Debitum pastoralis officii » ad Bertoldum, episc. Metensem, 28 Aug. 1206 (Denzinger, n. 413), ubi S. Pontifex docet: « Cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur evidenter, dicentis Apostolis: ' Ite, baptizate omnes gentes in ' nomine ' etc., memoratus Iudaeus est denuo ab alii baptizandus ut ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, et alius, qui baptizat »; quam Innocentii III doctrinam deinde theologi ex analogia extendunt ad cetera sacramenta; quo id faciant iure, indicare non solent, nisi forte addendo, Dominum nostrum non misisse Apostolos ad sibimetipsis, sed ad ceteris conferenda sacramenta. Saepe etiam provocant ad sacramentorum formas, quibus discretio ministrorum et subiectorum exprimatur.

Iamvero harum rationum vis, quamvis prima fronte constare videatur, propius scrutanti satisfacere omnino et plene vix valet. Stat certe doctrina Innocentii III, iuxta quam nemo sibimet valide conferre potest *Baptismum*. Idem dicendum esse de reliquis sacramentis S. Pontifex non docet. Si proinde idem de ceteris sacramentis asseritur, idem aliunde est probandum; nam provocatio ad analogiam vix sufficiet, cum exceptiones in SS. Eucharistia et in Matrimonio admitti debeant et ab omnibus admittantur.

Ipsa verba Domini, quibus Innocentius III suam decisionem evincere studet, perspicua quidem sunt, si respexeris modum quo *ordinarie* Baptismus *licite* conferendus sit, ut scilicet ordinarie inter baptizantem et baptizandum debeat esse discretio. At non adeo evidenter inde colligitur, eam discretionem etiam in extraordinariis adiunctis necessariam esse, adeo ut, ea non servata, Baptismus semper illicite conficiatur. Nam

merito ab omnibus theologis sacramentorum dispensationi illud applicatur Domini: « Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos» (Matth. 7, 6), et nihilominus interdum sacramenta etiam indignis licite administrantur. Iamvero, si verbis « Baptizate omnes gentes » ne *illiceitas* quidem absoluta evidenter affirmatur identitatis ministri cum subiecto, multo minus evidenter affirmatur *invalide* agi, si minister non sit alius a subiecto. Unde fit, ut ratio Innocentii III ex verbis Domini petita, per se sola rem non evincatevidenter; et ut consequenter theologorum conclusio a Baptismo ad reliqua sacramenta nutet.

Adducunt praeterea theologi, ad necessariam inter ministrum et subiectum discretionem probandam, sacramentorum formas, quibus et discretio patenter exprimatur, ut v. g. « Ego te baptizo, Signo te . . . et confirmo te, Absolvo te, Accipe potestatem ». At haec quoque ratio vacillare videtur. Ut namque vim habeat probandi, statuendum est, eam discretionem verbis formarum exprimi de mandato *divino*, non mere ecclesiastico, cum ex inciso ab Ecclesia formae adiecto non sequatur, eiusmodi additamento exprimi rem iure divino requisitam. Praeterea, etiam dato quod exprimatur res iure divino requisita, non illico inde concludendum est, agi de re iure divino ad sacramenti valorem necessaria, praesertim, cum ea expressio ad *usum* potius sacramenti, quam ad eiusdem essentiam pertinere videatur.

Iamvero exprimi formis discretionem ministri a subiecto iure non mere ecclesiastico, sed iure divino, non sustinebit qui considerat, haberi certo validas formas, quibus illa expressio plene desit. Nam, ut habent Collectanea S. C. de Propag. Fide, I n. 74, S. Officium 8 Sept. 1633 validas dixit esse formulas sequentes apud Armenos schismaticos usitatas: « Baptizat nunc manus mea in nomine Patris et Filii et

Spiritus Sancti », et « Baptizet nunc manus mea in nomine Patris, baptizet nunc manus mea in nomine Filii, baptizet nunc manus mea in nomine Spiritus Sancti » ; quae sane formae nullum exhibent vocabulum, quo exprimatur ministri a subiecto distinctio. Unde statim sequitur, eiusmodi *expressionem* iure divino neque ad licitam neque ad validam Baptismi confectionem requiri. Ergo aliunde evincendum est, verbis « Ego te baptizo » *efferri*, iure *divino* sui ipsius Baptismum esse sive illicitum sive invalidum; nam id unum illis verbis effertur, sui ipsius Baptismum esse iure *ecclesiastico* illicitum, certo illicitum, ubi eiusmodi verba praescripta sunt, probabiliter, ubi (ut apud Armenos schismaticos) praescripta non sunt. Neque aliter res se habet in sacramento Confirmationis, cuius forma graeca sunt verba : « Signaculum doni Spiritus Sancti », quae verba, quoad ea quae *vere enuntiant*, plene verificantur, si quis sibimetipsi ea applicat. Similiter *verbis* non agit contrarie, qui se ipse abluat dicendo : « Baptizat nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Cur ergo eiusmodi modus confirmandi vel baptizandi censeri debet non solum illicitus, sed etiam invalidus ?

Argumentum convincens non habetur, nisi ex praxi Ecclesiae simul cum unanimi consensu theologorum. Et praxis quidem Ecclesiae inde rem probare videtur, quod, si quis sibi ipse posset valide conferre sacramenta, id Ecclesia in casu saltem extremae necessitatis aliquando permisisset, ut v. g. sacerdos missionarius, omni destitutus auxilio alterius sacerdotis, in mortis periculo e morbo vel senio constitutus, sibi ipsi conferret Unctionem extremam, vel ut catechumenus, in extremis (v. g. ante martyrium statim subeundum) se ipse baptizaret. At nullibi vel minimum eiusmodi concessionis inveniri potest vestigium. Quod signum est, talem sacramentorum administrationem

non solum illicitam esse, sed etiam invalidam. Et cum accedat theologorum doctrina tam unanimis, ut eorum multi ne operae quidem pretium esse ducant, quaestionem de sui ipsius Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, Absolutione, Ordinatione tractare, et cum Ecclesia hanc theologorum doctrinam non repudiet, certum habetur argumentum externum, in sacramentis (excepta SS. Eucharistia et excepto pariter Matrimonio) administrandis ministrum debere esse personam ita necessario a suscipiente distinctam, ut alias sacramenta non solum illicite, sed etiam invalide conficiantur.

Possit quidem videri peculiare in re nostra suppeditari argumentum externum, quod Extremam attinet Unctionem, ex auctoritate BENEDICTI XIV, qui in Constit. « Ex quo primum », 1. Martii 1756 (Collect. S. C. de Prop. F. I, n. 397) ita docet: « Quamvis Quintaduenas, in Tract. 5 de Extr. Unct., asseruerit, licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes Oleum sanctum infirmorum ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur, vel tamquam abutens sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa sacramentum Extremae Unctionis ». Quoniam vero hic agitur de fideli, qui, licet non sit sacerdos, attentat administrare sacramentum sive sibi sive alii, quaestio nostra nec dirimitur, immo nec tangitur; quippe quae circa id unum versatur, utrum ille, qui aliis valide possit conferre sacramenta, eadem etiam sibimetipsi dare valeat.

Quaeri vero potest et decet utrum doctrina de impossibilitate autobaptismi etc., argumento externo ex auctoritate petito satis probata, etiam internis rationibus, e *natura* videlicet sacramentorum haustis, fulciatur, an contra a mere positiva Christi voluntate sit statutum, neminem posse (exceptis sacramentis

Eucharistiae et Matrimonii) sibimetipsi valide conferre sacramenta. Iamvero alienum est a sapientissimo sacramentorum conditore, in re tanti momenti egisse arbitrarie. Nostrum igitur est, eas ex sacramentorum natura depromere notas, quibus saltem aliquatenus sacramentorum per ministrum sibimet facta collatio repugnare videatur.

Primum de singulis agendum sacramentis, postea de omnibus simul.

Si Baptismum consideremus, ex duplici capite autobaptismus repugnare vel minus congruere conspicitur. 1. Baptismus lavacrum est *regenerationis* ita, ut ipse minister causa sit, licet instrumentalis (ministerialis) tantum, regenerationis. Iamvero quis possit esse causa, sive principalis sive instrumentalis propriae suae regenerationis? Aeque id implicare videtur, ut propria sui ipsius generatio. Id enim maxime proprium est generationis, ut in ea generandus non active, sed passive se habeat: quod idem asserendum de regeneratione, quae vera sit, non fucata, regeneratio. Ubi notandum, posse quidem hominem adultum nondum baptizatum baptismo flaminis, in quo sane active se habet, iustificari: at vera regeneratio huiusmodi iustificatio non est; secus enim non posset postea aqua baptismali vere regenerari, cum regeneratio proprie non sit nisi una, quae fit Baptismo fluminis, quo non solum gratia sanctificans infunditur, sed etiam character indelebilis imprimitur (cf. *Ephemerides Theologicae Lovanienses* I [1924] 510 sq.).

Insuper notandum, adultum baptizandum debere quidem sese active ad validam fructuosamque Baptismi receptionem disponere: haec tamen dispositio non est causa activa (nec principalis nec instrumentalis) ipsius actus regenerativi, sed meram fundat habilitatem ad regenerationem passive recipiendam. Manet

ergo vera quaedam incompatibilitas interna in tentamine se ipsum baptizandi.

2. Altera ratio internae disconvenientiae autobaptismi in eo cernitur, quod Baptismus *ianua* est *regni Dei* seu Ecclesiae. Dei regnum absolute monarchicum est. At nullus homo regno absoluto aggregari potest nisi actu aut monarchae ipsius aut delegati: solo actu proprio nemo eiusmodi regno se adiungit, sed actu alterius. Adsciscendus offerre sese potest monarchae eiusve delegato, ut ab ipso aggregetur: se ipse aggregare nequit. Ergo Baptismus, qua actus aggregationis in Ecclesiam, a nemine sibi ipsi conferri potest.

Confirmationis sacramentum neque episcopum neque presbyterum alios confirmandi potestate praeditum — si forte ipse ante ordines non fuerit valide confirmatus — sibi ipsi conferre valere, vel inde sequitur, quod Confirmatio essentialiter est *Baptismi « perfectio »* (Cf. UMBERG, *Confirmatione Baptismus « perficitur »*: *Ephem. Theol. Lovan.* I [1924] 505-517). Unde, cum autobaptismus natura sua repugnare videatur, « perfectio » quoque seu complementum Baptismi a nemine sibi ipsi conferri potest. Et sane Confirmatio est 1. *regenerationis* per Baptismum causatae *perfectio* (perfectio, inquam, non altera regeneratio, quippe quae est impossibilis) eaque (sicut in Baptismo) ita facta, ut subiectum in ea recipienda passive se habeat, ratio vero causalitatis versetur tota quanta in sacramento et ministro tamquam causis instrumentalibus, in Christo Deo homine tanquam causa principali.

2. Praeterea Confirmatio *perficit* baptizati in regnum Dei *aggregationem*. Ratione enim theologica docemur, regnum Christi essentialiter esse regnum militiae spiritualis: ad militiam ergo quilibet consecretur oportet, qui plene vult esse de regno Christi:

quae ad militiam consecratio Confirmatione efficitur. Cum ergo sui ipsius Baptismus inde implicet, quod nemo sese ipse regno Dei aggregare valet, consequenter etiam Confirmatio sui ipsius qua sui ipsius,« promotio », interne discrepat. Neque obstat, quod tum episcopus tum presbyter ad confirmandum delegatus iam perfectiore modo Ecclesiae sunt aggregati, utpote in hierarchia ordinis positi: nam id quo baptizatus in Christi regno constituitur miles, id est character confirmatorius, per ordinis sacramentum minime confertur neque charactere ordinis suppletur. Quamvis ergo sint in regno Christi « officiales » seu hierarchae, deficiente charactere confirmatorio, proprie non sunt « milites ».

De SS. Eucharistia sibimetipsi administranda non est cur hic agatur, cum compertum sit, quemlibet eandem valide sibi ministrare, cum administratio seu distributio sit diversum quid ab eiusdem valida sive confectione (consecratione) sive susceptione (1).

Sacramentum Paenitentiae ex natura sua refragari, quominus legitimus eius minister, h. e. sacerdos iurisdictione instructus, illud sibimet conferat, vel prima fronte liquet; est enim hoc sacramentum de interna sua indole non solum qualiscunque actus iudicialis, quo merus favor per absolutionem impertitur (uti contingit in indulgentiarum concessione iuxta can. 912, quas indulgentias ipse quoque concedens lucrari valeat), sed naturam sortitur veri processus iudicialis, qui sententia iudicis tum favorabili tum odiosa terminari potest. At nemo in propria causa iudex esse potest sensu proprio, nemo auctoritative se ipse punire valet.

(1) De notione validae vel invalidae susceptionis sacramenti validi, seu capacitatis vel incapacitatis subiecti tum ceteris sacramentis, tum etiam s. Communioni applicabili et applicanda cf. Umberg, *Systema sacramentarium*. Oeniponte (Rauch) 1930, n. 79 et 144.

Accedit, quod non minima paenitentiae ratio in eo invenitur (a Christo ideo in huius sacramenti institutione intenta), quod peccator peccata sua humiliter alteri fateri debet: quod paenitentiae humilitatisque exercitium plane deesset, si quis sibi soli sua peccata accusare et se ipsum ab iisdem absolvere valeret. Haec quidem ratio, pro illo casu necessitatis, quando videlicet accusatio peccatorum non requiritur nisi generica, nequit efficaciter urgeri: eiusmodi enim confessio generica, utpote facillima, vix censeri potest paenitentiae atque humilitatis exercitium; manet tamen ratio prius allata, nam, etiam in casu confessionis genericae, indoles iudicii servatur; servatur proinde etiam incompatibilitas asserta.

Difficilius interna indicari potest ratio, cur Extremae Unctionis sacramentum ab eius ministro solum aliis, non vero sibimetipsi valide conferri possit. Non enim iuvat provocare ad Unctionis indolem, qua complementum est sacramenti Paenitentiae, adeo ut eadem sit servanda proportio et relatio inter haec duo sacramenta, quae habetur inter Baptismum eiusque complementum, i. e. Confirmationem; etenim natura Unctionis, cum nulla ratione participet indolem iudicii, qua tota imbuitur sacramentum Paenitentia, plane ab hac discrepat. Cum autem probabilis sit opinio nonnullorum theologorum docentium, immediatum Unctionis effectum (« rem - sacramentum ») esse auctoritativam aegrotantis in misericordiam divinam addictionem vel consecrationem, probabiliter quoque affirmari potest, sacerdotem se ipsum inungere ideo non posse, quod nemo semetipsum *auctoritative* Deo devovere possit et consecrare. (Cfr. de hac re etiam Cappello S. I. *De Sacramentis* vol. II P. II. *De Extr. Unctione,* n. 101).

De sacramento Ordinis quaestio nostra practicum momentum vix nanciscitur. Quoniam non

indagamus, quis alios valide ordinare possit — constat enim nonnisi episcopo hanc facultatem competere quod Ordines attinet certo sacramentales, — id solum quaeri potest, utrum episcopus, si forte ante consecrationem episcopalem Ordines Diaconatus vel Presbyteratus aut nullimode aut invalide susceperit, hunc defectum supplere valeat per propriam suiipsius in diaconum vel presbyterum Ordinationem. Haec quaestio eodem modo solvi potest et debet, quemadmodum similis quaestio de sui ipsius Confirmatione superius soluta est.

Diaconatus Presbyteratusque collatio essentialiter est quaedam « promotio », id est auctoritativa baptizati in ordinem hierarchicum assumptio, eaque non per mere moralem vel iuridicam deputationem, sed per physici characteris impressionem. Iamvero huiusmodi promotio ex natura sua perfici debet principio quodam extrinseco, non per actum ipsius promovendi proprium, sive iste actus consideretur ut actus causae principalis, sive ut actus causae instrumentalis (ministerialis).

Etiam hic dici debet promovendum posse sese forte aptum reddere et dignum Ordinatione, sed promotionem sive principaliter sive instrumentaliter efficere non posse, cum ipse in ea se habeat passive relate ad causam agentem et efficientem.

Consimilis vel eadem aliis verbis ratio contra possibilitatem Ordinationis sui ipsius inde enascitur, quod cuilibet Ordinationi insita et innata est nota *successionis apostolicae;* haec vero nota necessario dicit: « alius ab alio ». Quamvis ergo episcopus valide consecratus gaudeat in ordine suo successione apostolica, nihilominus haec nota « alius ab alio » non verificaretur, si episcopus sibi conferre valeret praetermissum Diaconatum vel Presbyteratum.

Neque hic opus est inquirere, utrum fidelis qui, praetermisso Diaconatu vel Presbyteratu, episcopus

consecratur, eo ipso etiam charactere Diaconatus vel Presbyteratus instruatur: hoc si affirmatur, quaestio nostra locum non habet, quia tunc quaereretur, num aliquis, qui iam sit diaconus vel presbyter, denuo ordinari possit diaconus vel presbyter.

Sacramentum demum Matrimonii nupturientes sibi ipsos conferre nemo iam est qui neget. Quaeri tamen potest, num sensu stricto et pleno sponsus sibi, non tantum sponsae, et sponsa sibi, non tantum sponso, sacramentum conferat. Theoretice namque non sine ratione ille dicitur sensu stricto et pleno sacramentum conficere, qui enuntiat verba formae; verba vero formae in Matrimonio sunt verba sponsi qua acceptantia oblationem sponsae (quae se habet per modum materiae), et viceversa verba formae sunt verba sponsae qua acceptantia oblationem sponsi (quae se habet per modum materiae). Unde consequi videtur, Matrimonium esse sacramentum virtualiter duplex (non formaliter duplex, quia verba sponsi sustinent partem et materiae et formae, itemque verba sponsae). Hinc vero quodam sensu dici potest, sponsum qua acceptantem sponsae oblationem conferre sacramentum non sibi sed sponsae, et similiter sponsam qua acceptantem oblationem sponsi conferre sacramentum sponso, non sibi, simili ratione, ut in Paenitentiae sacramento sacerdos enuntians verba formae super poenitentem, qui exhibet contritionem et confessionem tanquam materiam, est sacramenti minister, poenitens vero exhibens materiam est subiectum sacramenti et ipse huius effectus in se recipit solus, non autem minister exhibens formam. Adeoque non incongruenter res ita concipi potest, ut alterum sacramentum conferat sponsus sponsae, alterum sponso sponsa: quo efficitur etiam hoc Matrimonii sacramentum ne-

minem, sensu perfecto et pleno, sibi ipsi, sed necessario alteri conferre (1).

Considerata singulorum sacramentorum natura, quae valorem sacramenti a ministro sibi ipsi collati (exceptis sacramentis ss. Eucharistiae et, quodammodo, Matrimonii) excludere videatur, quaerere licet rationes universales omnibus sacramentis communes forte idipsum suadentes vel postulantes.

Et revera eiusmodi ratio inveniri potest in sacramentorum *indole sociali*. Totius religionis revelatae hoc est proprium, ut per se nemo solo nisu suo individuali salvetur. De necessitate est salutis, ut homo membrum sit Ecclesiae: non ducit ad salutem via mere individualis et solitaria. Pariter a Deo ita est ordinatum, ut communicatio revelationis fiat homini

(1) Quodsi iste Matrimonium considerandi modus non est a re alienus, neque alienum est asserere, posse unam sponsorum partem conficere et conferre sacramentum, quin necessario altera quoque pars conficiat conferatque sacramentum. Revera res pendere videtur solum a potestate conficiendi in una persona et a capacitate recipiendi in altera parte.

Atqui a priori nil obstare videtur, quominus dicatur, hominem etiam non baptizatum posse conficere et conferre sacramentum Matrimonii (ut certo potest baptizare): quodsi altera pars est baptizata, eo ipso (abstrahendo ab impedimento dirimente disparitatis cultus, etc.) est capax ad sacramentum valide recipiendum. Quo in casu adest Matrimonium ex una solum parte ratum seu sacramentum. Nec multum valere videtur ratio in contrarium afferri solita, quod vinculum Matrimonii hoc in casu non esset in indivisibili, id est aeque firmum ex utraque parte. Sane quidem summa iurium et obligationum (nihil enim aliud est vinculum coniugale) ex contractu coniugali enascentium in ratione *iustitiae* eadem est ex utraque contrahentium parte ideoque in indivisibili. At nihil impedit quominus, v. g. in matrimonio mere legitimo (ut in quolibet alio contractu bilaterali), altera pars, v. g. sponsus, iureiurando confirmet contractum (pactum iuratum): tunc autem ex ipsius sponsi tantum, non vero ex sponsae parte, ad rationem iustitiae accedit ratio religionis, adeo, ut sponsus violando contractum non solum iustitiam sed etiam religionem, sponsa autem contractum violando mere iustitiam laedat, non autem religionem. Similiter non implicat, solum sponsum baptizatum, qui cum sponsa non baptizata valide contrahat, praeterquam virtute iustitiae, etiam vi sacramenti, qua religionis obligatio fundatur, teneri ad servanda iura et munera Matrimonii. Potest ergo, quantum videre licet, vinculum matrimoniale non esse in indivisibili quod attinet obligationem *religionis*. Proinde ex internis rationibus non est improbabilis theologorum illorum opinio, qui docent Matrimonium inter fidelem et infidelem posse in contrahente fideli esse sacramentum, vel evadere Matrimonium duorum infidelium, quorum alter baptizetur, in baptizato sacramentum (Cf. Chr. Pesch S. I., *Praelectiones dogmaticae*, VII n. 728).

per hominem. Quidni non eadem valeat ratio adipiscendi sanctificationem internam, ita ut, sub hoc quoque respectu, servetur adagium: « homo per hominem », « alius per alium »? Haec probandi ratio non est quidem ita urgens et constringens, ut exceptiones a regula excludantur, attamen argumentum aliunde (ex usu Ecclesiae et theologorum unanimi consensu) haustum dilucidat atque confirmat.

Altera communis ratio peti potest e sacramentorum *indole symbolica*. Ut alibi probavi (cf. haec *Periodica* 1929, 97*-122*; *Systema Sacramentarium* 1930, 20 sq.) peculiari quodam (quamvis secundario) modo omnia sacramenta, praecipue vero SS. Eucharistia, symbolizant eorum, qui in sacramentis participant, in fide unionem. Quomodo autem unio in fide symbolizari potest, si quis ipse sibi sacramentum ministrat? Ad id requiritur, ut saltem duo adsint quorum unio significetur. Sacerdos aegrotus ipse se inungens non valet exhibere symbolizationem, se unius esse fidei cum alio: ergo non satisfacit indoli Extremae Unctionis. Etiam hic repetendum est, quod antea notatum est: hanc rationem non esse ita constringentem, ut exceptiones excludat omnes. Revera enim Baptismus valide et licite interdum conferri potest, quamvis deficiat symbolismi verificatio, ut si gentilis vel haereticus vel schismaticus baptizet hominem in extremis constitutum, cupientem, ut tamquam catholicus moriatur. Confirmat tamen haec ratio argumentum externum antea propositum.

Exceptio pariter contra rationes communes modo allatas proferri posse videtur ex *SS. Eucharistia*, quae a quocunque valide confecta valide quoque a quolibet subiecto capaci, sive ab ipso conficiente sive ab haeretico sive a schismatico, suscipi potest. At nemo est, qui non statim percipiat imparitatem inter hoc et cetera sacramenta. Augustissimum enim Sacramentum

« in fieri » « in esse », « in suscipi » non eodem tempore habetur sicut cetera sacramenta « in fieri » et « in suscipi ». Sapientissime noluit Dominus noster statuere, ut sacerdos conficiens non posset ipse sibi ministrare S. Communionem: hoc enim pertinet ad indolem SS. Eucharistiae, institutae ut sacrificii et convivii sacrificalis, ut offerens ipse possit libare de epulis sacrificalibus a semet paratis. Neque potuisset apte constituere, ut Hostia valide consecrata consecrationem amitteret, si, contra atque eius symbolismus omnino postulat, porrigeretur a catholico sacerdoti alicui haeretico vel schismatico.

Finalis et ultima huius expositionis quaestio indagare debet, quidnam in *interna sacramentorum structura* deficiat, unde invalidum et irritum sit conamen semetipsum baptizandi, etc. Estne defectus in subiecto vel in ministro, in susceptione vel in confectione? Dicendum videtur, defectum proprie non esse in subiecto ut sic vel in susceptione ut sic. Admissa et supposita opinione, quod confectio et susceptio tam adaequate sint distinguendae, ut confectio censeri possit valida, et susceptio simul invalida (cf. Umberg, *Systema Sacramentarium* 1930, n. 144), admittendum quoque videtur, susceptionem (praesupposita valida confectione) validam unice pendere a subiecti capacitate (cf. ib. n. 80 sqq.), cuius nota non est subiecti discretio a ministro. Potius defectus valoris autobaptismi etc. provenire videtur ex parte *confectionis*. Sed quonam modo? Non ex defectu in sacramenti « substantia » proprie dicta (hoc est in materia et forma a Christo determinatis), quippe quae in autobaptismate, saltem iuxta externam apparentiam, integra supponitur adhibita. At neque ex parte ministri, sive spectetur eius potestas baptizandi (alios) sive eius intentio baptizandi: nam etiam his suppositis, sui ipsius baptismus, etc. non valet. Nihil ergo aliud remanere videtur,

nisi ut dicamus, discretionem inter ministrum et subiectum esse condicionem valoris a Domino statutam, qua videlicet impleta, minister alias debitus valeat agere nomine Christi, qua non verificata, incassum conetur agere nomine Christi, id est materiam et formam ita ponere, ut actu, non tantum aptitudinaliter significent voluntatem Christi, ut huic subiecto conferatur sacramenti effectus (cf. UMBERG, *Systema Sacramentarium* 1930, n. 14 sqq. 24 sq.). Deficiente ergo necessaria ministri a subiecto discretione, incassum minister intendit agere nomine Christi: vi suae intentionis non agit plus quam si haberet intentionem quae dicitur mere externa; id est ponit ritum, *quem* ponere solet Ecclesia, non *quatenus* ponitur ab Ecclesia (id est ultimatim nomine Christi); ipsius actio non esset vicaria Christi actio, cuiusmodi essentialiter esse debet quodlibet sacramentum « in fieri » validum (cf. *Systema sacramentarium* n. 19 sqq.).

Haec, quae exposui, dicta sint omnia salvo meliori iudicio; in re enim hucusque parum a theologis tractata nonnisi audacissimus affirmare auserit omne se tulisse punctum.

I. B. UMBERG S. I.

De obligatione orta ex valida promissione matrimonii.

I. Can. 1017, § 3 statuit: « *Ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur* ».

Quibus verbis attentis, nonnulli censent, ex iure Codicis, promissioni matrimoniali, licet validae et sollemniter initae, sublatam esse vim producendi con-

scientiae obligationem certam et absolutam ad matrimonium contrahendum, sed haberi dumtaxat obligationem *disiunctivam,* scil. *vel* ad contrahendum *vel* ad damna reparanda. Huic opinioni adhaesit recentissime egregius CLAEYS BOÚÚAERT (1).

II. Praefata opinio, si res accurate perpendatur atque ad trutinam revocentur rationes quibus eiusdem patroni nituntur, sustineri nequit. Sane:

1. Can. 1017, § 3 loquitur de *promissione,* et quidem *valida.* Porro effectus proprius, immediatus et essentialis, qui *per se* et non per accidens, oritur ex quacumque promissione, est *obligatio,* ea quidem obligatio, ad quam refertur ipsa mens atque voluntas promittentis. Quae obligatio, cum sit effectus *proprius, immediatus et essentialis* cuiuslibet promissionis, ita necessario profluit ex ea, ut si forte desit obligatio, eo ipso evanescat ipse conceptus promissionis.

Omnes classici auctores concorditer id affirmant.

S. THOMAS ait: « Secundam honestatem ex *qualibet* promissione homo homini obligatur, et haec est obligatio iuris naturalis » (2).

MOLINA docet: « Illud ante omnia observandum, longe diversa esse, aliquem habere propositum voluntatemne deliberatam ac firmam quippiam in gratiam alicuius faciendi... et aliquem ex sua liberalitate seipsum propria voluntate astringere ad quippiam faciendam.... Primum namque non est promissio neque ullam inducit obligationem id implendi, ut ex se manifestum est... Secundum vero est promissio atque si acceptetur, adsintque ceterae circumstantiae ad id necessariae, de quibus infra dicetur, *semper inducit obligationem* » (3).

LESSIUS dicit: « Promissio simplex est deliberata et spontanea *fidei obligatio,* facta alteri de re quapiam bona et possibili » (4).

DOMINICUS SOTO affirmat: « Promissio *ex natura sua* parit obligationem » (5).

(1) *Ius Pontificium,* an. 1931, fasc. III, pag. 125 ss.
(2) *Summ. theol.* 2-2, q. 88, art. 3, ad 1.
(3) *De iustitia et iure,* tract. II, disp. 262, n. 1. s.
(4) *De iustitia et iure,* lib. II, cap. 18, dub. 1.
(5) *De iustitia et iure,* lib. VII, q. 1, art. 2.

CASTROPALAO asserit: « Promissio ex communi omnium sententia est *datio fidei* libera et spontanea de re licita... Ea vero manifestatio non est tantum de voluntate concepta promissum exequendi, sed de *obligatione fidei,* seu fidelitatis pro illius executione suscepta, *alioquin non esset promissio,* sed propositum » (1).

GABRIEL A S. VINCENTIO ait: « Promissio *parit obligationem* in foro conscientiae, modo sit de re licita, honesta et possibili » (2).

Quod attinet, in specie, ad promissionem sponsalitiam, unius alteriusve praeclarissimi auctoris testimonium afferre satis est.

SCHMALZGRUEBER, loquens de effectibus praedictae promissionis, dicit: « Effectus triplex refertur. Primus est *obligatio* inde orta... Estque *obligatio* ista non tantum fidelitatis, sed etiam iustitiae, qualem inducit *omnis promissio* mutua et onerosa » (3).

PIRHING docet: « Sponsalia obligant ex iustitia sub culpa lethali ad matrimonium contrahendum: est communis sententia » (4).

SANCHEZ scite haec tradit: « Iam de *obligatione* ex ipsis (sponsalibus) consurgenti disputandum est. Haec autem potest oriri vel *ab intrinseco,* ratione praecepti naturalis obligantis ad fidem servandam, et de hac obligatione erit sermo hac disputatione et sequenti, vel *ab extrinseco,* et hoc vel ratione coactionis iudicialis, quia iudex cogit, vel conventionalis, quia ex partium poena per fidem frangentem solvenda, adiecta est... Tamquam certum tenendum est obligare sub culpa lethali sponsalia » (5).

Itaque ex dictis haec uti certa atque indubitata retinenda: *a*) omnis promissio parit obligationem; *b*) quae obligatio ita necessario ex promissione oritur, ut haec sine illa nullatenus concipi queat; *c*) huiusmodi obligatio ex ipsa natura promissionis seu *ab intrinseco,* ut egregie animadvertit clarissimus SANCHEZ (l. c.), profluit.

Quae obligatio, eo ipso quod ex natura promis-

---

(1) *De iustitia et iure,* disp. 2, punct. 1, n. 1.
(2) *De iustitia et iure,* disp. 17, q. 1, n. 4.
(3) *Ius ecclesiasticum universum,* lib. IV, tit. 1, n. 80.
(4) *Ius canonicum,* lib. IV, tit. 1, n. 15.
(5) *De matrimonio,* lib. I, disp. 27, n. 1.

sionis sive ab intrinseco derivatur, *semper* et *necessario* respicit *qua talis* obiectum eiusdem promissionis. Porro obiectum sponsalium est matrimonium. Igitur ex promissione sponsalitia oritur *semper* et *necessario* obligatio, quae directe et immediate respicit eiusdem obiectum, scil. matrimonium, sive accedant aut superveniant ab extrinseco aliae obligationes sive non.

2. Obligatio reparandi damna non procedit directe et immediate ex promissione matrimoniali, neque ex ea *per se,* sed solum *per accidens* gignitur. Causa enim proxima et radix immediata huiusmodi obligationis est *damnificatio*, non autem promissio sponsalitia, quae in ordine ad illam iure dici haberique potest tamquam mera occasio.

Ergo, praeter hanc obligationem — quae per *accidens* oritur, et non est effectus proprius et essentialis promissionis — debet necessario admitti alius effectus, qui *per se* ac immediate profluat sitque de substantia ipsius promissionis.

3. Tunc habetur obligatio *alternativa,* cum facultas seu optio datur eligendi unum aut alterum, nempe faciendi vel praestandi hoc aut illud. Quare duo termini necessarii omnino sunt, ita ut, uno vel altero deficiente, eo ipso cesset *alternativa.*

Porro obligatio resarciendi damna non semper adest, sed tantum in casu quo revera damna, occasione promissionis matrimonialis, habita fuerint. Quod perspicue supponit ipse Codex dum statuit: « Datur tamen (actio) ad reparationem damnorum, *si qua debeatur* » (can. 1017, § 3).

Igitur, si damna desint, nulla exsistit obligatio eadem reparandi, ac propterea *alternativa* in casu non datur, immo excludenda est ex ipsa rei natura. Tunc *vel* nulla erit obligatio promissionis sponsalitiae, *vel* necessario ea admittenda, quae ab intrinseco profluit ipsumque matrimonium ineundum, tamquam obiectum

proprium, respicit. Si vero in hoc casu oritur obligatio, cur in altero casu pariter non gignitur? Promissio quippe est eadem, eadem eiusdem natura: idem consequenter debet esse effectus ex illa sponte necessarioque manans.

4. Obligatio reparandi damna, si forte ex dolo vel fraude seu ex culpa Titii obvenerint, ipsi incumbit erga partem laesam etiam in casu quo sponsalia valide inita non fuerint ob sollemnitates a iure praescriptas non servatas, de quibus in can. 1017, §§ 1 et 2. Proinde onus resarciendi damna non est effectus necessarius et essentialis promissionis sponsalitiae, utpote qui interdum haberi potest etiam independenter a vi atque efficacia eiusdem promissionis. Inde sponte consequitur, huiusmodi obligationem reparandi damna, cum sit natura sua *separabilis* ab exsistentia et valore promissionis matrimonialis, coniungi et aequiparari non posse tamquam *alternativa* alteri obligationi, quae nullo pacto separari potest a vera valideque inita coniugii promissione.

5. Id plane confirmat responsum Pontificiae Commissionis Codicis 2-3 iunii 1918, ad IV, n. 2. Proposito dubio: « Utrum actio reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3 pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile »; responsum fuit: « Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, esse mixti fori » (1).

Si ista actio est *mixti fori*, ita ut etiam iudex laicus possit legitime de ea videre, palam est, agi de obligatione, quae separabilis est ab exsistentia et valore sponsalium; secus magistratus civilis suam auctoritatem exerceret quoque, directe aut saltem indirecte, in ipsam promissionem sponsalitiam ad normam sacrorum canonum initam. Porro neminem latet, spon-

(1) *Acta Apost. Sedis*, X, pag. 345.

salia, uti matrimonium, penitus effugere competentiam iudicis laici, ubi agitur de baptizatis.

6. Verba can. 1017, § 3: « licet valida sit (promissio) *nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset* », traditam doctrinam luculenter confirmant.

Imprimis *excusatio,* ut passim tradunt theologi et canonistae, est peculiaris circumstantia quae eximit a lege, ab onere, seu ab aliqua obligatione. Ubi deest obligatio aliquid faciendi, praestandi vel omittendi, opus non est excusatione. Praeterea *impletio* respicit, proprie loquendo, ipsam obligationem praestandam vel omittendam, ita ut, hac deficiente, eidem iuridice locus non sit. Demum *causa* et quidem *iusta* eatenus requiritur, quatenus agatur de vera obligatione positiva aut negativa; secus, ubi desit obligatio, nulla causa requiritur ad hoc ut quis libere agat.

Proinde relata verba: « *nec ulla iusta causa ab eadem* (promissione) *implenda excuset* », evidenter supponunt agi de vera obligatione implenda.

III. Quae huc usque dicta sunt, manifeste confirmantur ex refutatione argumentorum, quibus nituntur patroni memoratae opinionis.

1. Dicunt: « Ecclesia potest auferre obligationem naturalem. In casu, ipsa statuit ex promissione sponsalitia oriri dumtaxat obligationem *alternativam* ».

Resp. Ecclesia potest quidem auferre obligationem conscientiae seu naturalem, ut ipsa quoque auctoritas civilis, quatenus *irritet* promissionem eamque decernat nullum effectum sortiri in foro tam externo quam interno, nisi certa ac peculiaris forma praefinita in ea ineunda adhibeatur; sed nequit habere promissionem ut *validam* simulque impedire quominus ex ea proprius et necessarius effectus sequatur. Si, hypothetice loquimur, id fieret, manifesta haberetur contradictio.

2. Addunt: « Eo ipso quod ex matrimonii promissione, quamvis valida sit nec ulla iusta causa ab

ea implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, excluditur obligatio in ordine ad matrimonium. Obligationi enim correspondet ius: ius autem munitur actione ».

Resp. Imprimis animadvertendum, ius non semper et necessario actione muniri. Quare can. 1667 statuit: « Quodlibet ius non solum actione munitur, *nisi aliud expresse cautum sit*, sed etiam exceptione..... ». Ergo, ex perspicuo et expresso Codicis praescripto, dantur exceptiones.

Praeterea distinguendum inter officia mere ethica seu moralia et officia iuridica. Haec legitime urgeri possunt, adhibita quoque coactione; non item illa (1).

Demum plures sunt obligationes naturales, tam in foro civili quam in foro canonico, quae nequeunt vi urgeri ideoque actione non muniuntur. Id etiam in iure romano. V. g. ex l. *Iuris gentium*, *§ Sed cum nulla*, *ff. de pactis*, nuda pactio iuridicam obligationem non parit.

In iure italico, ex art. 1802 Codicis civilis, « la legge non accorda azione veruna pel pagamento di un debito di giuoco o di scommessa ». Doctrina autem et iurisprudentia concorditer affirmant: « Le perdite al giuoco dànno luogo ad obligazioni *naturali* (art. 1804), ma non mai ad obligazioni *civili*, nemmeno se tradotte in forma di vaglia cambiari, o di contratti notarili con garanzia ipotecaria ». (2).

Item art. 1300 eiusdem Codicis statuit: « Le *azioni* di nullità o di rescissione di un contratto durano per cinque anni... ». Et art. 1518: « Non promovendo il venditore l'*azione* di riscatto nel termine convenuto, il

---

(1) Cfr Meyer, *Institutiones iuris naturalis*, I, n. 451; Schiffini, *Disputationes philosophiae moralis*, I, n. 200 ss.; Cathrein, *Philosophia moralis*, n. 304 ss.; Cappello, *Summa iuris publici ecclesiastici*, n. 30.

(2) Cfr *Giurisprudenza italiana*, an. 1886, II, 713; *Monitore Tribunali*, an. 1886, 908.

proprietario rimane proprietario irrevocabile ». In utroque casu, concors doctrina atque iurisprudentia tenet, denegata actione post temporis lapsum, non ideo exstingui obligationes *naturales*.

Porro cum Codex canonizet, ut aiunt, leges civiles de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, ac de solutionibus (can. 1529), quae modo diximus ex iure italico, valent quoque in foro canonico.

Igitur confundenda minime est obligatio iuridica, actione iudiciali munita, cum obligatione morali sive conscientiae: ista quippe etiam sine illa optime exsistere potest.

3. « Verba can. 1017, § 3, aiunt, quae excludunt actionem ad petendam celebrationem matrimonii, ita videntur intelligenda, ut non solum actio iudicialis, sed quaevis alia obligatio exclusa maneat ».

Resp. Si hoc verum esset, actum iam foret de obligatione *alternativa*. Adversarii illud affirmantes, in evidentem contradictionem se ultro coniicere videntur; nam, eo admisso, ex sponsalibus una tantum sequeretur obligatio, scil. damna resarciendi.

Nullus est textus Codicis, nullus textus iuris antiqui, nullus auctor iuris civilis et canonici, qui dicat nomine « *actionis* » significari quamcumque obligationem. Contra, tam in lege civili quam in lege canonica, ex communi loquendi usu iurisperitorum et canonistarum, vocabulum « *actionis* » usurpatur semper et unice ad significandam actionem *iudicialem*. Adversarii in favorem praedictae assertionis nec textum iuris allegant nec ullum Doctorum testimonium; neque profecto allegare valent, cum desint omnino. Quibus positis, quo iure et titulo illud affirmare possint, percipere non valemus.

Ceterum verba can. 1017, § 3 adeo sunt clara atque explicita, ut ne levissimum quidem supersit du-

bium. Dicitur sane: « *Non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur* ». Actio, quae datur ad reparationem damnorum, eadem est ac illa de qua sermo fit in priore parte propositionis, ut evidenter liquet ex ipso textu canonis. « Datur (*quid?* illa utique *actio*, paulo antea memorata) ad reparationem damnorum ». Porro ista actio, *mixti* quidem *fori*, certissime est *iudicialis;* ergo talis dici debet etiam actio ad petendam matrimonii celebrationem, de qua in priore parte propositionis et ad quam se refert explicito altera propositionis pars.

4. Dicitur: « Recursus extraiudicialis viam de se sternit ad recursum iudicialem. Hoc reiecto, ille sponte fit illusorius et inutilis. Positive exclusa fori externi actione, vix concipitur voluisse legislatorem servare et asserere determinatam obligationem in conscientia ».

Resp. Complura hisce verbis asseruntur, quae aut mere gratuito affirmantur, aut quae congrua indigent explicatione.

Falsum est recursum extraiudicialem viam « *de se* » sternere ad recursum iudicialem. Multa sunt, quae proponi ac pertractari possunt et debent in via disciplinari seu administrativa, non autem in via iudiciali (cfr can. 250, § 5, 251, § 1, 257, § 3, 345, 1601, 2146, § 1, etc.).

Item falsum est, quod, reiecto recursu iudiciali, fiat « *illusorius* et *inutilis* » recursus extraiudicialis. Hoc in genere dictum volumus, ut adversarii ipsi in genere loquuntur. Confessarius quippe, parochus, Ordinarius serio *monere* possunt et debent partem reluctantem nullaque iusta causa excusatam ad suam obligationem implendam. Quae *monitio* maximi facienda est eaque, ubi agitur praesertim de fidelibus piis ac timoratis, vim et efficaciam plane sortitur.

Etiam ante Codicem, licet daretur actio ad petendam celebrationem matrimonii ideoque recursus iudicialis, nihilominus *monitioni*, practice, potissimum locus erat. Sane LUCIUS III Episcopo Rapalensi rescribit: « Cum libera debeant esse matrimonia, *monenda* (sposa) est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere » (c. 17, *X, de sponsalibus,* IV, 1).

Quare Card. GASPARRI merito docet: « Omissis variis canonistarum sententiis, haec oppositio facile conciliatur, si dicas indicem ecclesiasticum *monere* potius quam cogere debere sponsam resilientem, si difficiles exitus ex hac coactione timeantur, *qui profecto de regula generali timeri debent.* » (1).

Item WERNZ, attenta praxi S. Sedis ipsaque rei natura perspecta, affirmat partem reluctantem, etiam facto recursu ad iudicem ecclesiasticum, cogi non posse; ideoque, saltem post aliquod tempus, eiusdem matrimonium cum tertia persona non esse impediendum. « Cum in perpetuum, ait, prohibitio novi contractus matrimonialis sustineri non possit, nec parti absolute invitae coniux sit obtrudendus cum evidenti periculo infelicis matrimonii, post aliquod tempus *matrimonium cum tertia persona est permittendum* » (2).

In causa *Pistorien., Sponsalium super dispensatione*, penes S. C. Concilii acta ac definita die 7 iunii 1856, id iure asseritur: « Ceterum non tam facile ad coactionem deveniendum esse, etiamsi de sponsalibus *indubitanter* constet, *receptum apud omnes est,* quia coactiones difficiles solent exitus habere... a quibus eapropter, in irritum iam cessis *monitionibus,* abstinendum ».

Igitur, *practice* loquendo, vix datur discrimen inter ius antiquum et novum. Olim, non obstante actione

(1) *De matrimonio,* I. n. 70.
(2) *Ius Decretalium,* IV, n. 125.

iudiciali, facienda erat *monitio* et per eam, non autem per coactionem, pars invita inducenda erat ad implendam promissionem sponsalitiam valide initam; hodie, exclusa actione iudiciali, eadem *monitio* fieri potest, et interdum debet, vel a parocho vel ab Ordinario aliave prudenti persona in foro externo, aut a confessario in foro sacramentali.

5. Dicitur: « Obligatio omnis quae in determinatae personae favorem adimplenda est, supponit exsistentiam iuris apud hanc personam exsistentis. Omne autem ius, obligationi correlativum, in foro externo urgeri et exigi potest ».

Resp. Id minus recte asseritur, ut manifesto liquet ex supra dictis. Titius, v. g., serio promittit mihi daturum librum, quam promissionem ego libenter accepto. Ex hac promissione libere facta et acceptata, oritur ex parte Titii obligatio mihi librum dandi. Sed, mutato animo nullaque causa excusante, Titius renuit promissioni satisfacere. Possumne adire magistratum ecclesiasticum et, actione iudiciali instituta, adigere Titium ad obligationem implendam? Nequaquam. Id valet non solum de promissione unilaterali, sed etiam per se de promissione bilaterali sive mutua.

Ergo non omnis obligatio facta in favorem alicuius determinatae personae secumfert ius obnoxium coactioni, ita ut inde fiat locus actioni iudiciali.

6. « In graves angustias et illogicas sequelas, aiunt, caderet parochus qui, post declaratam alicui in foro interno sacramentali vel extra-sacramentali gravem obligationem ineundi determinatum matrimonium, eundem, praecepti sui contemptorem, admittere deberet ad alias nuptias celebrandas ».

Resp. Id *practice* verificabatur etiam ante Codicem, ut supra animadversum fuit in responsione ad IV. Immo graviores angustiae et sequelae habebantur. Nam, post factum iam recursum ad iudicem ecclesiasticum

contra partem reluctantem, haec, saltem post aliquod tempus, admittebatur ad matrimonium celebrandum cum tertia persona, parocho inutiliter monente, non obstante actione iudiciali rite instituta.

Porro si ante Codicem aderant huiusmodi « graves angustiae et illogicae sequelae », et nihilominus admittebatur obligatio ex sponsalibus orta, cur hodie, ab assertas angustias et sequelas, eadem obligatio erit deneganda?

7. « Finis, addunt Patroni, et circumstantiae legis ostendunt, ex promissione matrimonii nullam oriri obligationem. Nam disciplina Codicis longe mitior est disciplina antiqua, cum sublatum sit impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus ortum, atque invalida declarata sint sponsalia privatim inita. Praeterea omnis efficacia ligandi conscientiam in ordine ad matrimonium, per prius Codicis schema auferebatur ».

Resp. Ex fine et circumstantiis legis nihil eruitur in favorem adversariorum.

Ultro concedimus disciplinam Codicis longe esse mitiorem disciplina praecedenti. Quidnam inde sequitur? Nihil profecto. Verum est, invalida hodie esse sponsalia inita sine sollemnitatibus, de quibus in can. 1017, §§ 1 et 2. Sed quaestio, de qua nunc agitur, respicit promissionem matrimonii *validam* eamque tantum.

Falsum est, iuxta prius Codicis schema, omnem efficaciam ligandi conscientiam in ordine ad matrimonium promissioni matrimoniali sublatam fuisse, ut immerito asserit etiam quidam recentissimus auctor (1).

Verba schematis haec sunt: « Ex promissione matrimonii... seu ex sponsalibus nulla *urgeri* potest obligatio contrahendi matrimonium... ». Quae verba nullatenus excludunt obligationem conscientiae, sed tantum declarant hanc obligationem « *urgeri* » non

(1) Cf. *Ius Pontificium*, 1931, fasc. 3, pag. 131.

posse, scil. exigi externa coatione, iudicis ministerio implorato. Idem quippe est, iuridice loquendo, dicere: *obligatio urgeri nequit,* ac dicere: *non datur actio ad petendam,* in casu, *matrimonii celebrationem.*

8. Lex, aiunt, potest, propter boni communis motivam, libertatis privatae dominium limitare, submittendo quosdam contractus certis conditionibus eorumque effectus restringendo » (1).

Resp. Aliud est *restringere* effectus promissionis sive contractus, aliud *auferre* penitus; item aliud est subiicere contractum certis conditionibus, aliud denegare eidem contractui, valide inito ad normam iuris, vim et efficaciam.

Nemo diffitetur legem posse, ratione boni communis, coarctare hominum libertatem, subiicere contractus ineundos certis conditionibus, denegare iisdem obligationem urgendam in foro externo, ipsa manente in foro interno; ac demum auferre quamcumque vim seu obligationem tam in foro externo quam in foro interno, quatenus praefata negotia nulla et irrita declaret.

Cardo quaestionis, de qua nunc, alius omnino est. Quaeritur nempe, utrum lex possit declarare *validum* certum negotium vel contractum sive, in casu, promissionem matrimonialem, et, non obstante eiusdem *validitate* ab ipsa lege admissa et firmata, decernere, ex tali negotio (contractu, promissione) nullum directe et immediate oriri effectum seu obligationem.

IV. Ex dictis istae conclusiones sponte sequuntur:

1⁰ Effectus proprius, immediatus et essentialis cuiuslibet promissionis validae est obligatio, quippe quae ab intrinseco atque ex ipsa eius natura necessario profluit.

2⁰ Promissio matrimonii *valida,* utpote ad normam iuris inita, *necessario* et *per se,* eo ipso quod est

(1) Cfr *Ius Pontificium,* l. c. pag. 132.

valida, gignit obligationem, scilicet effectum proprium immediatum et essentialem.

3⁰ Lex nequit mutare conceptum et naturam negotiorum eorumque effectus essentiales, illis manentibus, auferre. Quare legislator potest quidem declarare nulla et irrita sponsalia, v. g. sine scriptura inita, ac *propterea* iisdem auferre quamcumque obligationem in foro externo et in foro conscientiae; sed nequit ea expresse ut *valida* recognoscere et, non obstante eorumdem *validitate*, effectum proprium et essentialem, scil. obligationem, ipsis denegare; secus legislator in manifestam contradictionem incidere videretur.

4⁰ Praefata obligatio, quae oritur ex *valida* matrimonii promissione, non potest esse obligatio reparandi damna: *tum* quia damna non semper habentur resarcienda, *tum* quia iste effectus non oritur directe et immediate ex ipsa natura promissionis *qua talis*, sed contra profluit ex damnificatione, ideoque non est *per se*, at solum *per accidens*.

5⁰ Opinio contraria, cuius argumenta solida vi destituuntur, quovis iuridico fundamento, mature omnibus perpensis, carere dicenda est.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

De Causalitate per se et per accidens, seu directa et indirecta.

Argumenti opportunitas

Doctrina de causalitate directa et indirecta, quae satis perspicue et a scholasticis eius commentatoribus proponitur, v. g. a S. THOMA (1) a CAIETANO in art.

(1) V. g. 2 2, q. 64 art. 7 et 8; In lib. II Phys., lect. 8; 1 P. q. 116 art. 1. Interdum indirecte voluntarium dicitur quod est voluntarium per omissionem: de hac ratione hic non agimus.

citatos; a SUAREZ, *De voluntario et involuntario,* Disp. I, sect. 4; non ita raro apud hodiernos theologiae moralis scriptores confusione obscuratur, ita ut iam ab aliquo tempore, praesertim postquam in *Ephem. Theol. Lovaniensibus,* III, 1926, p. 493 ss. disputationem cl. professoris Leodiensis, SIMENON *(La causalité accidentelle en théologie morale)*, legeramus, propositum nobis esset classica de ista re placita et notiones renovare, quando recens medicorum congressus qui, mense octobri anni proxime elapsi, Mediolani frequentes coiverunt, et quaestionem directi vel indirecti homicidii non valde distincte attigerunt, nos movit ut antea conceptum propositum non diutius differremus.

Is autem erit noster ordo dicendi. Primo accidentalis seu *indirectae* causalitatis expositionem, quae in isto congressu eximium nactus est defensorem, ipsis *extrinsecis* auctoritatibus parum accuratam esse demonstrabimus; deinde veram ac traditionalem doctrinam memorabimus et, pro viribus nostris, rationibus confirmabimus; tum factam confusionem dissipabimus. Haec, ut liquet, solo studio veri scribemus, minime, propter fortuitum et excusabilem in re implicata errorem, detrahentes auctoritati eorum quos iure ac merito magni fieri ultro profitemur.

I. Minus accurata expositio extrinsecis auctoritatibus revincta.

In praefato congressu medicorum, in quo, praeter nobile moralis honestatis studium, ut observat Magnificus Rector Universitatis catholicae Mediolanensis, non satis laudari potest honor quem in eius persona medici doctrinae catholicae tribuere meditati sunt, cum Senator Dr. Prof. PESTALOZZA, qui inter peritissimos scientiae gynecologicae in Italia locum nemini secundum obtinet, nos allegando, tradidisset indirecte tantum abortum provocari a medico qui uterum gravidum sed

canceratis ulceribus affectum ad salvandam matrem extraheret, Ill. et Rev. P. GEMELLI id numquam a se ut abortum indirectum habitum esse obiecit. Ac rationem subiungebat: actio ista, sic ipse, vitam fetus non mere periculo obicit, sed vitam eius simpliciter abolet; propter quod sit abortus directus (1).

Iam vero ista Ill. Rectoris sententia a communi et iam classica traditione confirmata, doctrina recedit. Quod, allegatis auctoribus satis facili negotio ostendemus.

1. *A communi sententia recedit.*

Audiatur **d'Annibale,** *Summula,* II, 284: « Indirecta (actione) quoties quid fit, quod ad matrem cum primis curandum valet, sed interdum, quasi per consequens, fetum extrudit, enecat, ut scissio venae, balneum, etc. Indirecta actione fetum vel animatum explodi posse, salva iustitia, iam fere nemo dubitat, quia ius vitae matris praevalet » (2).

Lehmkuhl, *Theol. mor.,* I, 1011: « Sicuti enim in praegnatione normali uterum morbide affectum, qui matrem in vitae discrimen inducat, excidere licet cum fetu, neque tamen hoc modo fetus directe sed indirecte tantum morti devovetur ».

Pruemmer O. P., *Manuale theologiae moralis,* II, n. 140: « Absolute loquendo licet ipsum uterum gravidum morbo affectum excidere, si, hac operatione omissa, mors matris certo sequatur. Nam mater aegrota strictum ius habet ut ipsius membra aegrota curentur. Si autem, ex tali curatione sequatur mors fetus, haec mors non directe sed indirecte causatur ».

Génicot-Salsmans, *Institutiones theol, mor.,* I, 377: « Ad hunc casum (abortus indirecte voluntarii) refertur *licita excisio totius uteri gravidi,* propter morbum vel abnormalitatem quae eius praecise remotionem exigat ad vitam matris ».

---

(1) « Il Senatore PESTALOZZA, valendosi della competenza teologica del P. Vermeersch, da lui interrogato in proposito, sosteneva che l'asportazione dell'utero gravido affetto da tumore è un aborto indiretto.... » il P. GEMELLI « non ha mai accettato l'opinione che la demolizione di un utero gravido e malato sia un aborto indiretto... questa operazione non mette in pericolo la vita del bambino; bensì la tronca senz'altro; perciò, nel giudizio di P. Gemelli, è un aborto diretto ». Ex relatione R. P. GEMELLI in *Rivista del Clero italiano:* Le idee dei medici in tema di « aborto terapeutico »; 1932, p. 16. 17.

(2) Sententiam quidem exscribimus, minime tamen additam rationem probando.

Aertnijs-Damen C. SS. R., *Theol. mor.*, I, 576, inter condiciones indirecti abortus nullo pacto ponit effectum abortus debere esse incertum.

Vult tantum ne per abortum fetus rationabili spe baptismi privetur. Rationem addit, allegando principium duplicis effectus, in quo effectus malus indirecte efficitur.

Ubach S. I., *Compendium Theol. mor.*, I, n. 182, in quaestione de excisione fetus ectopici, ut *exemplum* allegat: « paritatem cum excisione uteri morbidi, in praegnatione normali ».

Schilling, *Lehrbuch der Moraltheologie,* n. 46, 3, e, postquam ibi bene principia memoravit, in tomo II, n. 394, 3, p. 373, ipse exemplum dat licitae excisionis uteri gravidi sed morbidi: « wie es erlaubt sei, unter Umständen uterum cum fetu graviter aegrotum excidere ».

Cornelisse O. F. M., *Compendium theol. mor.*, II, n. 473: « Illicitum est indirectum homicidium innocentis sine iusta ratione permissum... III. Licitum esse potest indirectum innocentis homicidium ex gravissima ratione permissum in causa de se bona vel indifferente ». Quod, n. 490 applicat ad abortum.

Praeter auctores qui explicite de abortu dicunt, allegare iure ac merito possumus quotquot, loquendo de occisione indirecta, minime condicionem ponunt ut vita innocentis mere periculo obiciatur, nec simul in actione secus licita certo peritura sit.

Ita, v. g. **Ferreres** S. I., *Compend. theolog. mor.* ed 11, I, 62, 13, ubi belli ducem excusat qui incendit turrim in qua, simul cum hostibus forte peregrini bello extranei includuntur, « quia causa damni istius est in se honesta, damnum autem innocentium *per accidens* sequitur nec intenditur sed tantum permittitur ».

Berardi, *Theol. mor.*, I, p. 147: « Exemplum habes in duce exercitus qui, in bello iusto, ad expugnandam urbem tormenta in eum locum in quo plures sunt innocentes dirigere necesse habeat: istorum enim innocentium mors... simpliciter permissa dici debet ».

Noldin-Schmitt, *De praeceptis,* ed. 18, n. 338: « Ex causa proportionate gravi licitum est *indirecte innocentem occidere,* i. e. licet aliquid in se indifferens facere vel omittere, unde praeter intentionem sequitur mors innocentis, quia, mors innocentis ex

principiis de voluntario in causa in hoc casu agenti imputari nequit ».

S. Alphonsus, in L. III, n. 393, de homicidio directo vel indirecto refert ex **Busembaum** casus: fugientis qui puerum conculcat, ducis qui tormenta dirigit in locum ubi multi sunt innocentes, ne alludens quidem ad distinctionem quae periculum a certa morte divelleret.

2. *Recedit a sententia quae traditionalis inter theologos etiam classicos vocari potest.*

In notissimo loco, 2, 2, q. 64 art. 7 c. Quaestionem utrum necne liceat quemquam occidere (igitur non mere periculo exponere) se defendendo, S. Thomas ita solvit: « Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est praeter intentionem, cum sit per accidens. Ex actu ergo alicuius se defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriae vitae; alius autem occisio invadentis. Actus ergo huiusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini ».

Caietanus locum istum perbelle commentatur: « Intellige bene distinctionem litterae, scilicet quod dupliciter potest referri occisio alterius ad conservationem vitae propriae: primo ut medium ad finem; secundo ut consequens ex necessitate finis. Et ut in littera dicitur, multum interest altero modo se habere. Nam finis et medium ad finem cadunt sub intentione, ut patet in medico qui intendit sanitatem per potionem et diaetam. Id autem quod consequitur ex necessitate finis non cadit sub intentione, sed praeter intentionem exsistens emergit: ut patet de debilitatione aegroti quae sequitur ex medicina sanante. Et iuxta duos hos modos diversimode occidere potest licite persona publica et privata. Nam persona publica, ut miles, ordinat occisionem hostis ut medium ad finem subordinatum bono communi, ut in littera decitur; persona autem privata non intendit occidere ut seipsam salvet, sed intendit salvare seipsum, non destiturus a sui defensione etiamsi alterius mortem ex sua defensione oporteat sequi, et sic iste non occidit nisi per accidens; ille autem per se occidit. Et propterea ad illud requiritur publica auctoritas, ad hoc, non.

Suarez, *De voluntario et involuntario,* Disp. I, s. 4, ut quidpiam sit in alio voluntarium exigit, ex parte intellectus ut aliquo modo sit cognitum et ex parte voluntatis ut ambo obiecta sint inter se conexa; ut conexio sit aliquo modo praevisa, et ut sit « obligatio vitandi unum ne sequatur aliud, sine qua, nullum erit voluntarium in alio ». Obicienti autem praeceptum extrinsecum nihil ad voluntarium conferre posse, sed id solum efficere posse ut quod voluntarium est imputetur, ipse respondet: Quod sequitur per se ex vi meae actionis praecise sumptae est voluntarium in alio si prior actio est voluntaria directe et in se; sed quod sequitur non per se et ex vi actionis tantum sed ex adiunctis, non est voluntarium in alio sine obligatione vitandi unum ne sequatur alterum. Secluso enim praecepto, effectus qui omnino per accidens sequitur non pertinet ad voluntatem; « ratione autem praecepti pertinet ad illam moraliter, quia tenetur vitare illud quoad possit, et ideo, si non faciat, censetur moralis causa illius ». Praecepto posito, fit moralis mutatio in obiecto.

N. B. Locum istum allegamus, quia mentem prodit eximii Doctoris de efficientia accidentali, seu indirecta, quam nulla ratione conectit cum incertitudine effectus mali; nostra autem parum interest ut, seclusa prohibitione, effectus dicatur non voluntarius in alio an simpliciter non imputabilis agenti.

C. de Lugo, *De iustitia et iure,* disp. 10, n. 53, explicite quaerit utrum an non liceat, ad adversarios conterendos, ignem apponere navi vel turri, « quando certum est non posse mortem vitari ». Ac pro honestate istius actionis id affert: « in eo casu non te directe occidis, neque id intendis, sed indirecte et praeter intentionem: directe enim solum vis occidere hostes, licet, praeter intentionem, eodem ictu vel incendio pereas ».

Immo nonne dicta confirmantur facto quod in L. I Macchabeorum, c. 6, V. 43-46 legitur, et a S. Ambrosio laudatur, Eleazari qui, ut liberaret populum suum, per medios hostes audacter cucurrit ad elephantem quo rex hostium insidere videbatur, et se elephanti supponens, bestia occidit, « a quo cadente, ut ait Lugo, l. c. n. 51, videbat se statim opprimendum ».

Simili errore quo Ill. P. Gemelli, deceptus videtur R. D. Kiselstein, *Ephemer. Lovaniens.* III, 1926, *La causalité accidentelle en théologie morale,* p. 493, ss.

Quamvis enim non penitus praetereat concursum duplicis causae qui in causalitate indirecta intervenit, nihilo minus causam honestatis non allegat nisi minus certum effectum ; nec praeterea duplicem effectus accidentalis rationem (vulgarem et scientificam) distinguit.

Quare etiam non potuit nisi incompletam casuum solutionem proponere, et casus qui, quia tam frequenter appellantur, pro classicis exemplis haberi possunt, silentio praeterire. Cogites quae supra memoravimus, ducis exercitus qui in iusto bello explodit vel incendio comburit arcem seu domum qua etiam innocentes concluduntur, navarchae qui, in alto mari, navem explodit ne hostes ista praeda fortiores fiant, nihil dubitantis fore ut ipse explosione occidatur.

II. **Genuina causalitatis per accidens doctrina proponitur.**

1. Duplex in primis *effectus per se* et *effectus per accidens* ratio (seu modus concipiendi), distinguenda est. Prior ratio hauritur ex ipsa effectus frequentia : *per se* dicuntur accidere quae, posita causalitate saepe, *per accidens* autem quae raro positam causam consequuntur. Ita per se pereunt et per accidens salvantur qui simul eodem incendio vel eodem naufragio immixti erant (haec significatio magis vulgata est). Altera ratio, magis philosophice causalitatem efficientem scrutata, declarat *per se* fieri quidquid agens praevidit et intendit secuturum, vel quod in sua causalitate, iam per se spectata, continetur seu ad quod iam per se sola ordinata est ; per accidens autem quod, praeter intentionem sequitur (intentionem intellegas vel finis vel medii) ob concursum alterius causae quam agens impedire nequit. Egregiam istius notionis propositionem cfrs insignis theologi De San S. I., opus *de Deo uno*.

Utraque ratio duas saltem causas concurrentes supponit.

Cur enim *raro* in via solitaria, frequenter vero in via celebri evenit ut qui rem gravem per fenestram proiciat praetereuntem personam offendat? Quia causa personas movens eas raro in locum desertum, saepe autem in locum celebrem ducit, ita ut raro aut frequenter simul tempore unus proiciat dum alter transit.

Secundum alteram notionem, alter agens non vult nisi rem gravem proicere, dum altera persona sponte vel invitata per eum locum iter facit. Atque ita accidit ut actio quae per se sola non fuisset nisi rei emissio, fiat vulneratio vel etiam occisio personae.

Observes quoque nullatenus ad notionem causalitatis *per se* et causalitatis *per accidens* referre ut ambae causae simul tempore agant. Ita, in classico exemplo indirecti abortus, generatio quae fetum in utero posuit diu distare potest a momento quo uterus, quia evaserit ulcerosus, excidendus sit.

Sed alter secundum alteram rationem est agentis moralis respectus. In priore ratione formaliter attenditur ad propriae causalitatis determinationem, ita ut *per se* dicatur effectus causae satis definita, *per accidens* autem, causa indefinita, quia infinita possunt uni accedere (1). Altera ratio virtutem seu virtualitatem propriae causalitatis considerat. Priore modo, si quis oriatur effectus malus, excusabitur quia eius praevisio humanam diligentiam (quae sola nobis praecipitur)(2) superat: soli effectus probabiles non infinite possibiles attendendi sunt. Altera autem ratione, effectus malus interdum excusabitur, quia, etsi etiam praevisus, nullatenus intenditur vel eligitur, et concursus alterius causae ab agente impediri nequit. Unde proloquium: Deus (omnipotens) nihil facit per accidens, sed quae-

(1) Ita Aristoteles L. II Phys. quod exscribit S. Albertus Magnus L. 5 Metaphysicorum, Tr. 6, c. 15.

(2) Diligentia secundum naturam negotiorum, temporis ac personarum censenda est. (Caietanus, in 2, 2, q. 64 art. 8, II).

dam vult per accidens. — Interdum, dico, quia agentis voluntas optionem habet vel omittendi propriam actionem vel acceptandi, approbandi efficientiam causae simul concurrentis, vel eandem mere tolerandi invita, fere sicut quispiam mere materialiter vel formaliter alienae efficientiae cooperari potest. Namque, quae est manifesta S. THOMAE doctrina, effectus qui cadit sub intentionem semper agenti imputatur ; non semper autem, ut statim videbimus, effectus qui praeter intentionem accessit (2, 2, q. 64 art. 7).

Verum id iam non modici momenti, pro nostro scopo, occurrit notandum. Sive priorem sive alteram rationem acceptes, notio effectus per accidens ex *obiectiva* effectus incertitudine non desumitur. Nisi enim libera causa interveniat, effectus est semper in suis causis determinatus, nec incertus est nisi ignoranti causas. Non ex effectu plus vel minus certo, sed ex *directione* actionis, ex eius *incidentia,* in effectum, causalitas directa vel indirecta vocatur. Quare Ill. P. GEMELLI et R. D. KISELSTEIN immerito exigunt effectum non certum, ut causalitas dici possit accidentalis.

2. Causalitatem accidentalem, qualem eam describimus, esse interdum ab omni reprehensione morali immunem iam *demonstrare proponimus.*

a) Assertum iam firmatur communi consensu, ac proin communi sensu quo excusatur dux qui, in bello iusto, utilem patriae explosionem determinat qua ipse vel alii innocentes simul cum hostibus perituri sunt. Iam hoc valido argumento constat moraliter honestum esse ut quis, propter proportinatam causam, id agat unde malus effectus per accidens oriatur. Quod etiam hoc alio modo exprimi potest : Permissio mali effectus est honesta, nisi actio qua permittitur ideo prohibeatur agenti, ne effectus malus sequatur.

Hactenus quod hodie dici potest extra controversiam.

Verum in ratione intrinseca danda magis laboratur.

Rationes a quibusdam allegatae. *a*) FRINS S. I. *De actibus humanis,* haec argumenta profert, n. 195: prius sensum communem; dein naturam causarum quae causam per accidens in hunc determinatum effectum trahunt: sunt volitioni effectus boni prorsus extrinsecae. Quod autem nullo modo est volitum, nequit ut voluntarium imputari. Quod non videtur alienum a mente S. THOMAE in 1, 2, q. 19 art. 7, c., ubi haec habet: « Cum bonitas voluntatis pendeat a bonitate voliti ».

b) Alii, praesertim medici, rationem honestatis repetere conantur ex *subordinatione* qua utilitas boni minoris utilitati maiori cedere debet. Immo non desunt qui eadem ratione directum abortum « therapeuticum » excusare contendunt: quia vita matris sit pretiosior, vel quia, omittendo abortum seu craniotomiam, mater cum fetu moritura sit, ita ut fas sit fetum immolare vi principii quo de duobus malis minus eligendum pronuntiatur.

c) Sunt qui non nullos saltem casus quadam *dispensatione* divina explicare tentent. Hanc viam potissimum ineunt ad tuendam honestatem cruentae defensionis. Bonum sociale, sic aiunt, requirit ut cruenta defensio exerceri possit. Deus autem in necessariis non deficit. Ergo, ut huic necessitati provideat, dispensat a praecepto naturali quo neminem privata auctoritate occidere possumus.

Aestimatio istorum argumentorum. Ratio quam P. FRINS subtiliter excogitavit, et quam nullatenus ut spernendam habemus, in hanc tamen obiectionem impingit. Sane, si mere intentionem consideraveris, libenter concedimus effectum qui mere permittitur nec sequitur per se, neque ut finem neque ut medium sub intentionem cadere. Sed estne fas obiectum intentionis et obiectum volitionis confundere? Qui, rei conscius, causam ponit ex qua, in concretis adiunctis, praeter

intentionem et propter concurrentem aliam causam, effectus malus sequitur, nonne vult utriusque effectus causam; nonne proinde effectus malus est in causa volitus ita ut dici debeat voluntarius? Quocirca explicatio P. FRINS difficultatem inadaequate tantum solvit. Cur activa mali permissio non semper vetetur, laudatus auctor non declarat.

Secunda allegata ratio duplici vitio laborat. 1. Medicus qui non vult per fetus occisionem salvare matrem, nec matrem nec fetum occidit, sed actione occisiva abstinet. Minus malum non eligit ut *faciendum,* sed nec minus nec maius malum operatur. — 2. Cum agitur de trucidanda persona humana, qualis est etiam fetus, aequalis cuiuslibet personae humanae inviolabilitas, inalienabile ius quod a persona separari nequit, obstant quominus in casu ulla habeatur utilitatum subordinatio.

Tertia ratio, quae divinam dispensationem appellat, cum esset dispensatio ab ordine naturali, defectum, insufficientiam ordinis naturalis argueret, cui divina dispensatio suppleret: quod non videtur admitti posse. Addas huiusmodi positivum divinae voluntatis interventum aegre in ordine naturali concipi. Remedium necessitati sociali in ipso ordine naturali intrinsece reperiendum est, quamvis difficulter fortasse a nobis detegatur.

Ratio ista praeterea nobis periculosa videtur. Cur, quod de cruenta defensione allegatur, in abortum therapeuticum transferri non posset? Dicesne hic nullam esse iniustam aggressionem. Sed, praeterquam quod cruenta defensio etiam contra aggressorem materialiter tantum iniustum conceditur, estne ultima ratio dispensationis ipsa iniustitia et non potius enextricabilis casus necessitas?

Restat igitur ut explicationem repetamus ex natura permissionis activae et praecepti quod liceitati obstare posset.

Tertius enim voluntatis actus, qui *permissio activa* vocatur, a duobus aliis (intentione et electione) ideo differt, quod in duobus prioribus voluntas effectum imperat, seligit, dum in tertio mere sinit ut eveniat; non obstat quin altera causa quam impedire nequit cum sua propria efficientia concurrat ad adducendum effectum quem voluntas nullo affectu complectitur. Efficientia ista, quod notabile est, ne partialis quidem est causa totius effectus mali; sed sola pars effectus eidem, nolenti tamen, assignari potest.

Si haec ita se habeant, quaestio iam hoc modo ponitur, seu hunc alterum aspectum induit: cum mea causalitas, qua talis, non sit nisi per se bona, qua lege prohibeor agere quod bonum est, quia, propter aliam causam quam impedire nequeo, quae mihi est penitus extrinseca, quae, quod ad me, rationem fati participat, effectus malus consequatur?

Et quia, secundum principia S. THOMAE, licet quidquid non prohibetur (1), iam ipsa prohibitio demonstranda foret. Lex autem actionem meam prohibens ea sola esse potest qua cavere iubeor ne mea actio sit simul damnosa. Verum haec imperata cautio, humana est; agitur de lege positiva quae excusationem nimiae difficultatis admittit.

Ergo cum proportionata causa malum effectum active permittere honestum est.

Confirmatur ex mente S. THOMAE. Etenim, in prima secundae, q. 77 art. 7, c. haec docet: « Aliquid dicitur voluntarium directe vel indirecte; directe quidem id in quod voluntas fertur; indirecte autem, illud quod voluntas *potuit prohibere* sed non prohibet (2). » Ergo quod voluntas impedire non potest, ne indirecte quidem erit voluntarium. Nec imputatur nisi quod saltem

(1) In IV S. d. 15, q. 2 art. 4 sol. 2.

(2) Sed, ut monet Caietanus, ut imputetur, requiritur ut *debuerit* prohibere; non sufficit ut possit. Cfr in 2, 2 q. 64 art. 8.

indirecte est voluntarium. Quocirca, ex mente S. THOMAE, effectus malus permissus non imputabitur nisi demonstretur obligatio abstinendi actione ne talis effectus per accidens eveniat.

Confirmatur praeterea communissima doctrina de cooperatione ad malum. Semper illicita praedicatur formalis ad malum cooperatio, quae intentiones male agentis et cooperantis coniungit, sicut, in nostra praesenti specie, *intentio* effectus mali qui per accidens actionem meam consequitur, hanc corrumpit, efficiendo, quemadmodum ait SUAREZ, l. c., ut ex actione et accidentali effectu unum quid morale exsurgat. Sed omnes *materialem* cooperationem ob iustam causam excusant. Dicesne, in cooperatione semper supponi agentem liberum, dum in nostra specie effectus malus non est semper agenti libero imputabilis. Sed nonne alieno peccato cooperari quidpiam peius est quam in effectu physice damnoso partem habere? Praeterea si non proxime, remote tamen actio libera non ita difficile in praesenti specie deprehenditur. Ita, in classico exemplo innocentium qui simul in arce explodenda reperiuntur, ex libera sua vel aliorum actione illuc pervenerunt.

III. Facta confusio dissipatur.

Non ita raro fit ut volontarium directum ab indirecto non satis distinguatur. Et, praeter casus perspicuos, alii sunt de quibus dubitatio haberi vel explicari potest (1). Confusionem istam ab egregiis docto-

(1) Ita v. g. controvertitur utrum, fugiendo propriam necem, conculcare possis infantem quem in angusto itinere positum vitare nequis. Quod LUGO, *De Iust. et iure*, d. X, n. 127 excusat quia « actio illa per se et ex intentione agentis non ordinatur ad occidendum infantem sed ad salvandam vitam propriam, fugiendo per viam communem, ad quod habet ius, et per accidens est quod sequatur damnum alteri quod tu nec ut finem nec ut medium eligis, sed velles non intervenire. » Observes tamen hoc discrimen inter praesentem casum et abortum qui indirecte consequitur necessariam uteri suppressionem. In casu abortus, directe uterum matris attingis, dum infantem directe conculcas.

ribus quorum sententiam corrigere conati sumus factam esse, nolimus affirmare, sed potius normas de directa actione in causalitatem indirectam transtulerunt.

Quando enim innocens directe feritur vel attingitur, ut in partu praematuro, tunc re vera periculum cui opponitur sedulo considerandum est.

Quare Ill. Rector Magnificus optime monet praeter graves rationes, curandum esse, quantum fieri potest, ut fetus non solum sit vitalis, sed etiam sit maturitati proximus (1). Consonat responsum Supremae Cong. S. Officii: « Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis quibus, *ex ordinarie contingentibus,* matris et fetus vitae consulatur » (4 maii 1898).

Immo, quia praematura fetus expulsio semper est fetui damnosa et, attenta die, etiam periculosa, non ita facile excusatur praematura expulsio quando, sine tali expulsione, fetus mature et sanus ederetur. Graviter innocenti nocere propter bonum alius personae non licet. Verum in praefato casu, actio nobis videtur honestari quia ipsius prolis interest ut mater eius salvetur, ita ut actio sit in ipsum prolis bonum directa.

Sed, ut ostendimus, alia est causa abortus indirecti. Quare, hac distinctione commode etiam vitantur pericula abusus quae, art. citato, R. P. Gemelli ex tradita notione causalitatis indirectae timenda esse existimat. V. g. nullo modo ad remotionem placentae extendi potest quod de remotione uteri cancerati permittimus. Etenim, dum uterus ad matrem pertinet, placenta fetalis est quasi organum fetus. Quare eius violenta remotio est directa invasio vitae innocentis.

---

(1) Ill. Scriptori gratulamur quod hac occasione usus sit ad perficiendum et corrigendum quod in *Osservatore Romano,* 28 ian. 1931 scripserat minus perspicue et feliciter, cum ibi visus esset simpliciter permittere ut, ex iustis causis fetus ab initio sexti mensis expelleretur.

Conclusio

Disputationem de causalitate directa et indirecta his paucis contrahere licebit.

Triplex notio de causalitate directa et indirecta tradi potest.

Prima ad solam *agentis intentionem* respicit. « Insuper, ait BALLERINI-PALMIERI, *Op. Theol.* II, n. 912, etiam quando remedium per se non tendat ad morbum curandum, sed solum ad partum maturius obtinendum, abortus nihilo minus alio sensu *directe* vel *indirecte* quaesitus haberi potest, spectata scilicet non materiali ratione accelerandi partum, sed voluntate seu intentione operantis .... quando, scilicet, voluntas non in temporale prolis damnum, quod per accidens sequitur et praeter intentionem sed in alium finem directe tendit ».

A qua sententia non erat alienus LEHMKUHL, ed. 1883, vol. I, p. 499 : « Quando mater in praesenti vitae discrimine versatur, quod aliter auferri nequit, nisi immaturi foetus eiectione . . . aliis autem id non videtur directa occisio sed modus valde diversus ». Antea dixerat : « In hoc casu vix magis erit directa abortus procuratio sensu theologico, h. e. quae morali sensu sit foetus occisio, quam in naufragio tabulam amico cedere est directa sui occisio ». Quam rationem etiam proposuit *Osservatore Romano,* 22 dec. 1931, Dr. Senator PESTALOZZA, in epistola quae in ista ephemeride est publici iuris facta sub titulo : « *La parola della scienza* ». Quod scite redarguit Ill. Rector Universitatis Mediolanensis, in eadem ephemeride 28 ian. 1931.

Altera notio non e solo operantis fine sed etiam ex operis fine abortum directum vel indirectum esse aestimandum docet. Ut indirectus sit abortus, non suf-

ficit ut mors innocentis foetus non quaeratur *propter se,* sed oportet praeterea ut non quaeratur *in se,* tamquam medium boni effectus. Hanc notionem in disputatione nostra tuiti sumus.

Tertia demum notio causalitatem directam vel indirectam esse contendit, prout, in concretis adiunctis, effectus malus vitari nequit, vel solum eius datur periculum.

Iam vero prima notio hodie a schola catholicorum theologorum exsulare cogitur, propter responsa S. Sedis de abortu quem, secundum istam notionem, excusabant quando mater non poterat nisi per abortum e certa morte eripi.

Tertia, confusione laborat directae et indirectae causalitatis. Quod enim effectus certo vel tantum probabiliter sit futurus, id actionis directionem nullatenus afficit.

Sola igitur secunda notio simul philosophicae analysi et communiter receptae sententiae etiam classicorum auctorum consentanea est, ut in ipso studio nostro demonstravimus.

Demum iuvabit criterium satis facile indicare quo occisio vel invasio innocentis directa ab indirecta secernatur. Fieretne actio aequali modo, sive adsit sive non adsit innocens, sive actio malum effectum habeat sive non habeat: nulla tunc directa actio contra ipsum tentatur; si autem actio ei nociva ex ipsa praesentia innocentis dicitur necessaria et tentatur, utilitas ex ipsius damno immediate quaeritur, ita ut in ipsum directe peccetur.

A. VERMEERSCH S. I.

QUAESITA VARIA

I. - De via crucis et annexis indulgentiis.

N. B. — *Annotationes in decr. S. Poenitentiariae 20 oct. 1931 cfrs in altera Parte.*

I. Possuntne stationes viae crucis ita disponi ut plures stationes sint altera supra alteram et sic in una modica ecclesiae vel sacelli parte sint omnes simul collocatae?

R. Id, v. g. in quibusdam oratoriis Helvetiae observatur; sed, nisi speciale indultum obtentum sit, huiusmodi dispositio indulgentiarum consecutionem impedit. Oportet enim ut singulae stationes ordine circumeantur; quod, si stationes sint una supra aliam, solae aves facere possent.

II. S. Communio quae ordinatur ad alteram viae crucis indulgentiam plenariam lucrandam sufficitne etiam lucrandis, eadem die, aliis indulgentiis quae communionem exigunt?

R. Procul dubio sufficit, cum canon 933 id explicite concedat: « Uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae annexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel *communio* ».

III. Potestne, ad lucrandas indulgentias, via crucis aeque utiliter fieri ante vel post communionem?

R. Aeque utiliter fit ante vel post s. communionem. Cf. Decreta authentica S. C. *de Indulgentiis*, n. 214. (Resp. 19 maii 1759, de condicione visitandae ecclesiae et aliis praescriptis).

IV. Plenaria indulgentia quam lucrantur ii qui « infra mensem ab eodem (pio viae crucis exercitio) decies peracto ad sacram synaxim accesserint », exi-

gitne ut exercitium viae crucis prius decies peractum sit ante quam ad s. mensam accedant, an obineretur etiam ab iis qui in eodem mense, post receptam s. dapem, seriem decem piorum exercitiorum complerent (ut si post quinquies peractas vias crucis ad s. mensam accedant) vel adeo inchoarent?

R. Id minus constat, cum verba decreti supponant vias crucis in antecessum peractas; immo *a decies peracto exercitio* diem ponant a quo initium habet mensis infra quem communio peragenda est.

Nihilo minus, cum, secundum Decr. authent. S. C. *de Indulgentiis,* n. 214, non referat quo ordine fiant plura opera indulgentiae consequendae necessaria, arbitramur s. communionem utiliter fieri etiam prius quam viae crucis peragantur, ita ut dici queat indulgentiam plenariam, praeter eas quae singulis piis exercitiis annectuntur, etiam iis prostare qui in eodem mense s. dape reficiantur et viam crucis decies, passionem Christi pie mente volventes, circumeant.

V. Qui alteram plenariam indulgentiam viae crucis annexam consecutus est propter s. communionem eadem die receptam, potestne efficaciter eandem communionem destinare lucrandae indulgentiae plenariae propter communionem factam post decies peractam viam crucis?

R. Id nimis a mente concedentis alienum videtur, quam ut putemus id efficaciter tentari posse. Sic etiam Beijersbergen, *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* 1932, p. 35.

VI. Si quis, eadem die bis viam crucis circumierit, potestne altero exercitio, si illa die communionem receperit, alteram indulgentiam plenariam lucrari, altero autem exercitio inchoare, continuare vel perficere decem exercitia quae, coniuncta cum s. communione, intra mensem a decimo exercitio recepta, titulum dant novae indulgentiae plenariae?

R. Id sine dubio facere potest.

VII. Debentne decem exercitia decem diebus distinctis peragi, an supputari possunt plura exercitia eadem die?

R. Supputari posse plura eiusdem diei exercitia affirmandum est, cum nihil reperiatur quod obstet.

VIII. Utrum, iam mane, dum ad s. mensam accedit, christianus intentionem habere debet instituendi viam crucis, an alteri plenariae indulgentiae lucrandae prosit etiam communio sine ullo proposito faciendi ea die viam crucis recepta?

R. Non est necesse ut iam tunc, cum ad s. mensam accedis, de peragenda via crucis cogites. Namque ad lucrandas indulgentias, sufficit habitualis implicita intentio (LEHMKUHL, II, 675) quae in ipsa professione vitae christianae iam continetur. Cf. PALMIERI, *Opus theol. morale,* V, n. 775-778.

IX. Consequeturne indulgentiam partialem decem annorum et decem quadragenarum qui ab initio statuit aliquot tantum stationes visitare?

R. Videtur indulgentiam non esse consecuturus. Decretum enim partialem indulgentiam iis tantum largitur quorum exercitium « forte non fuerit ad finem perductum ».

X. Estne opus ut rationabilis causa superveniat cur exercitium non ad finem perducas?

R. Rationabilis causa requiritur, cum ipso decreto postuletur: « quavis rationabili causa » non esse perductum ad finem, supponit Decretum. Sic etiam BEIJERSBERGEN, op. c., p. 35 et SALSMANS, *Nouvelle Revue Théologique,* 1932, p. 171.

XI. Post quamnam intercapedinem fueritne inutile viam crucis ab ultima visitata statione reassumere?

BERINGER S. I. *(De Indulgentiis)* et, post ipsum, alii communiter monent exercitium viae crucis non esse modico intervallo moraliter interruptum; atque etiam maius intervallum non nocere, si fiat interea

actio sacra vel pia: puta audiendam Missam, confessionem instituendam, communionem recipiendam. Quodnam autem sit in se modicum intervallum ultra non definiunt. BERINGER allegat rescriptum S. C. *de Indulgentiis,* 16 dec. 1760 (*Decreta authentica* n. 223) ad IV. Porro haec erat quaestio proposita:

« An qui exercitium viae crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam, etc. indulgentias lucrentur si illud prosequantur vel ad indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere »?

Responsum sic sonat:

Ad IV. Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter non interrumpant; negative quod secundam, et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.

De qua quaestione et responsione hoc observandum nobis occurrit. Orator mere casum ponit de *modica* interruptione, et actiones sacras mere ut exempla affert, in ratione sacra nullatenus insistendo. Neque in responsione haec distinctio facta est. Inter exempla ponitur auditio missae, quod semi-horam insumere solet. Inde haec concludere posse videmur. *Moralis* interruptio habetur si quis, post inchoatum exercitium, istud deserit sine animo istud continuandi. *Notabilis* autem interruptio ea esse videtur quae semi-horam excedat. Atque, ex rei natura, benignior aestimatio locum habet si causa interruptionis sacra fuerit quam si fuerit profana.

XII. Quid, si quis, post notabilem interruptionem, nihilo minus exercitium perficere tentaverit, visitando stationes nondum a se visitatas?

R. Partiales indulgentias stationum quas ante interruptionem circumierit lucrabitur; sed nullas indulgentias propter stationes postea visitatas consequetur. Etenim, cum initium viae crucis non sint postremae stationes, non potest dici « *incoepisse* exercitium » post

interruptionem. Partiales autem indulgentiae incoepto exercitio annectuntur.

XIII. Potestne indulgentia plenaria pluries a peragentibus pluries viam crucis eadem die obtineri?

R. Res ambigi nequit, cum decretum explicite concedat « Indulgentiam plenariam toties quoties ipsum pium exercitium (fideles) compleverint ».

XIV. Debentne addi preces ad intentionem S. Pontificis ?

R. Id neque iam antea pro indulgentiis viae crucis annexis requirebatur; nunc autem sine ulla ratione haec condicio apponeretur. Excipe, ut liquet, vicesimum Pater, Ave et Gloria, quod ad intentionem S. Pontificis recitatur ab iis qui legitime exercitium peragunt ope Crucifixi ad hoc benedicti.

XV. Qui eadem die exercitium pluries peregerit et s. communionem receperit, obtinetne *toties quoties* duas plenarias indulgentias an *semel tantum* ipsi duplicatur indulgentia?

R. Semel tantum, quia, sub littera *b*) ubi alia indulgentia plenaria conceditur, clausula *toties quoties* non apponitur. Viget igitur regula ordinaria, quod semel tantum in die plenaria indulgentia pro eodem opere, etiam repetito, acquiri potest. Cf. Decr. S. C. *de Indulgentiis* 7 mart. 1678 (*Dec. authent.*, n. 18) et can. 928 § 1.

XVI. Potestne etiam pluries in die indulgentiam plenariam consequi infirmus vel impeditus qui modo privilegiato peragendi viam crucis pluries in die utitur?

R. Id procul dubio affirmandum est, cum SS. Dominus indulgentias peragentibus modo ordinario viam crucis ad eos quoque extendere voluerit. Id igitur valet etiam pro infirmo qui mere intueri queat in Crucifixum ad hoc benedictum. Qui usus non satis infirmis commendari posse videtur.

XVII. In Decreto S. Poenitentiariae remittimur ad Decretum 25 mart. 1931 (*Per.*, XX, p. 260). Iam vero

in isto decreto impediti infirmi dicuntur osculari debere aliquem Crucifixum (vel in eum intueri) ad hoc benedictum, « eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam passionis et mortis Iesu Christi Domini Nostri ».

Necessitas huius orationis iaculatoriae expresse Decreto 20 oct. 1931 supprimitur in gratiam infirmorum qui eam recitare non valent.

Estne etiam suppressa alia condicio, ut Crucifixus aegrotis ab aliqua persona exhibeatur?

Cum in praesenti decreto non memoretur, suppressa dicenda est. Satis igitur est ut infirmo praesto sit Crucifixus pro via crucis benedictus, atque ita locatus ut in eum intueri queat.

II. De Religiosis

1. In canone 488, 1°, religio esse dicitur « societas in qua sodales... vota pubblica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda nuncupant ». Supponuntur igitur sodales votorum temporariorum indefinitam votorum suorum renovationem in animo habere.

Hinc quaeritur:

a) Utrum candidatis fas sit religionem ingredi cum animo repetendi saeculum post elapsum votorum temporariorum tempus, an, si animus iste reticeatur, fraus committatur quae, si accesserit dolum, ipsi valori votorum obstare queat, vi can. 542?

R. Cum animus iste adversetur rationi professionis temporariae sicut in iure concipitur, id nefas esse arbitramur et, si dolus accesserit, ipsi valori istius professionis obstare posse.

Qui admissionem petit propositum habere debet perpetuae perseverantiae vel saltem serii experimenti vitae religiosae, cui tanquam condicioni suam perseverantiam subordinet.

b) Fueritne vere religiosus qui animo deserendi religionem post spatium professionis temporariae religionem ingrediatur ?

R. Vere religiosus non fuerit, deficiente stabilitate quae ad statum religiosum requiritur. Cf. nostrum *De religiosis Institutis et Personis*, ed. 2, n. 23.

c) Licetne Superioribus candidatum admittere quem norint ita animo esse affectum ?

R. Id, si communi bono Instituti non adversari sed potius prodesse existiment, licere arbitramur, cum id nullo canone prohibeatur.

2. Licetne Superiori qui, secundum ius commune vel Constitutiones, secretum scrutinium in Concilio suo vel Capitulo instituerit, consiliarios interrogare de ratione cur suffragia negativa dederint ?

R. Id exigere nullatenus possunt. Sic enim scrutinii secreti oeconomiam et rationes virtualiter destruerent.

Summum possint Superiores amice consiliarios rogare ut, si id expedire aestiment, animum suum benigne aperire velint.

III. De administratione viatici quod ex devotione recipitur

Status quaestionis. Tum in *Theol. mor.* III, n. 387, tum in *Epitome iuris can.* II, n. 114, solum Viaticum de praecepto sumendum esse parocho reservatum affirmavimus.

Iam vero, recens, ephemeris Hiberna, « *The Irish Ecclesiastical Record* » mense maio 1931, p. 517 con-

trariam propugnavit thesim, hoc asserto: « The administration of Holy Viaticum, whether of devotion or of obligation, is reserved to the parish priest, clerical religious Superior, or ordinary confessor of nuns » (can. 858).

Quid de ista opinione sentiendum est? Ut sincere, sed salva semper caritate et aestimatione scribentium, dicamus, sententia ista solido fundamento destituitur. Etenim:

1. Can. 858 non habet verba « Whether of devotion or of obligation » (sive ex devotione, sive ex obligatione), quae in sola formula laudatae ephemeridis leguntur. Si autem, ut naturale est, canon de solo viatico intellegitur cuius necessitatem moralem docuit, et non extenditur ad viaticum minus proprie dictum, seu ad communionem quae, propter mortis periculum, ab infirmo non ieiuno sumitur, nullum e dicto canone pro severitate conclusionis argumentum colligi potest.

2. Praeterea, usus certe plurium regionum est ut, sine ullo scrupulo, alii sacerdotes devotionem infirmi periculose decumbentis delata legitime eucharistia foveant. Iam vero consuetudo est optima legum interpres (can. 29).

3. Si scriptores qui post Codicem scripserunt adeamus, nullum reperimus qui positioni nostrae refragetur; sunt qui casum silentio praetereunt; sed plures explicite nobis consentire declarant.

PRUEMMER O. P., *Manuale Theol. mor.*, III, 219, in ipsa § ubi agit de viatico haec profert: « Communionem devotionis causa privatim deferre ad infirmos non est ius parochi; proindeque quilibet sacerdos id potest ».

FANFANI O. P., *De iure parochorum*, n. 289: « Notandum quoque est, quod si agitur non de Viatico in mortis periculo *de praecepto* recipiendo sed de Viatici *devotionis causa* iteratione, etiam alii sacerdoti licebit afferre communionem infirmo non ieiuno ».

MARC-GESTERMANN C. SS. R., *Insti. Alphonsianae*, n. 1537 (de iure parochi): « Id vero intellegendum est de viatico quod ante receptionem extremae unctionis porrigitur ».

AERTNIJS-DAMEN C. SS. R., *Theol. mor.*, n. 125, exscribunt ipsa nostra verba quibus sententiam protulimus et demonstravimus.

CAPPELLO S. I., *De Sacramentis*, I, n. 325, Viaticum dicit reservatum « prima vice non aliis successivis, attento fine legis » Et n. 485: « Viaticum repetitum non est parocho reservatum ».

UBACH S. I., *Compendium theol. mor.*, II, n. 576: « Viaticum, cuius ministratio parocho aliive reservatur, illud est quod ex obligatione suscipitur ab aegroto; non quod licite eidem et cum speciali etiam forma *Ritualis*, durante periculo, iterum ministratur; tunc enim simplici communioni aequiparandum est ».

Quid, quod auctores isti etiam rationem quandam confirmantem indicant. Ita, P. CAPPELLO, dicit « attento fine legis ». Re vera reservatio omnis communionis parocho foret praeter finem legis: honor pastori tribuitur sufficiens reservatione praecepti Viatici, sicut sola communio in Paschate praecepta parocho ante reservabatur.

MARC-GESTERMANN, observant in can. 462, quo reservatio exprimitur, viaticum coniungi cum Extrema Unctione: hoc viaticum autem est viaticum praeceptum.

Addimus autem, can. 864 viaticum repetendum esse secundum prudens consilium Confessarii. Haec mentio confessarii insinuat iam non agi de iure parochi, cuius arbitrium gereret Confessarius.

Maxime autem nos movet haec ultima ratio. A mente Legislatoris, qui tantopere communionem etiam cotidianam, etiam infirmis commendat, prorsus alienum foret ut per multiplicem reservationem obstaculum cotidianae immo frequenti communioni infirmorum periculose decumbentium crearet.

IV. De canonicis et parochis

De canonicis. 1. Cum in quadam regione, propter temporum iniquitatem, canonici Ecclesiae collegiatae omni pensione et omni emolumento spoliati forent, servitium chorale, consulta S. Sede, fuit ipsis ita temperatum ut solam missam capitularem, sua quisque vice cantare, et die dominica parvas horas in choro recitare deberent. Non nulli tamen canonici contendunt se nulla conscientiae obligatione teneri ut sic temperata officia praestarent. Pereunte enim beneficio, cessare quoque officium; pereunte fundo cui onus impositum fuerit, legatas missas non iam esse celebrandas. An recte sic ratiocinatum est?

Resp. Prorsus perperam ratiocinatum esse. Longe aliter enim dicendum est de onere mere reali conexo cum fructibus qui perierint, et de officio personali magis absolute suscepto. Honorificus est titulus canonici; aequum est ut qui honorem voluerit etiam coniunctum onus libenter suscipiat et exsequatur. Nulla ergo excusatio prodest canonicis qui valde temperatas obligationes chorales persolvere noluerint.

2. **De parochis.** Episcopus clerico alienae dioecesis, assentiente proprio Ordinario, beneficium inamovibile parochiae contulerat. Post aliquot annos parochus iste parochiam resignavit. Inde Episcopus e cuius dioecesi migraverat eum iam in propriam dioecesim revocare voluit. Potuitne id urgere?

Resp. Excardinatio e propria dioecesi et incardinatio quam collatio beneficii inamovibilis secum fert effectus habent perpetuos, qui resignatione beneficii minime tolluntur. Nullum igitur ius est Episcopi qui proprius erat clericum istum in suam dioecesim revocandi. Nova opus foret excardinatione et incardinatione.

A. VERMEERSCH, S. I.

Solutio Casus de Religiosis propositi p. 55*, 56.*

I. Procul dubio licuit Generali Superiori, propter peculiaria adiuncta facultates ordinandi expensas Superioribus localibus coartare. Id enim consentaneum est muneri Superioris Generalis, qui, vi can. 502, « potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis »; nec adversatur Constitutionibus, quae id non prohibent: mere facultatem quae per se Superiori locali competit describunt, et solent Superiori permittere ut in re disciplinari a Constitutionibus dispenset.

Id unum foret Constitutionibus contrarium, si Supremus Superior modo generali, extra peculiaria adiuncta, facultatem Superioris localis aliter definiret. Nunc autem, « generi per speciem derogatur ».

II. Si preces istae importunae metum gravem iniecerint, electio ista nulla est ex can. 169 qui § 1 invalidum declarat suffragium metu gravi extortum. Canon enim 507 § 1 statuit ut in electionibus Capitulorum ius commune observetur. Quia tamen res non est adeo manifesta, debent testes efficere ut legitima sententia electio infirmetur, vel saltem dubium de valida electione, seu de valide suscepto munere evacuetur.

III. Collectio decretorum S. R. C. quae 16 feb. anno 1898, iubente Leone XIII, promulgata est, erat exclusiva, quatenus, exceptis decretis pro particularibus Ecclesiis, non inserta decreta et ab insertis dissonantia pro abrogatis habebantur; ambae vero posteriores collectiones 1912 et 1927 mere declarant authentica esse decreta inserta, nihil de authentia aliorum decretorum vel de natura universali aut particulari decretorum non susceptorum pronuntiantes.

Quocirca, propter istam omissionem, vis vel extensio decreti non afficitur. Quam vim ante nuperrimam

collectionem habebat eam post editam collectionem retinet.

Observes decretum istud rite *Acta Ap. Sedis* 31 mart. 1915, p. 150, promulgatum esse et plane congruere cum responsis quae Episcopum, etiam regularem, obligant ut calendarium suae dioecesis sequatur. Mirum fuerit quod in ecclesia cathedrali, quae maxime propria est Antistitis, diversus ab Episcopi calendario Ordo servandus foret.

Sententia igitur de qua in casu nobis intrinsece probabilis esse non videtur.

Casus de privilegii Paulini usu

Elisabeth, filia ministri sectae evangelicae, in haeresi baptizata et instituta, civiles nuptias in America septemtrionali fecit cum quodam John, non baptizato et nullam religionem profitente, atque ab eo geminam prolem suscepit. Sed post tres annos vitae communis, John, divortio civili obtento, uxorem prorsus cum prole dereliquit. Elisabeth autem, invitante gratia, haeresim abiuravit, et, iterato sub condicione baptismate, in fideles catholicos cooptata est et sacramenta frequentare coepit. Cum autem ab Amedeo, iuvene catholico, quem ipsa amat, ei matrimonium offerretur, parochus catholicus dubio angitur utrum annon, ex usu privilegii Paulini, Elisabeth sibi viam ad novas nuptias parare queat.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De vera proximae occasionis peccati notione

II. — ***De vitando peccati periculo.*** [1]

Ut fundamentum obligationis se non exponendi proximae et liberae occasioni peccati, aliud sine dubio generatim stat praeceptum: *obligatio* nempe *fugiendi quodlibet deliberatum peccatum.* In hoc consistit negativa iustitiae Christianae pars. Immediate fluit haec obligatio ex ipsa peccati notione. Peccatum est maximum malum quod homini in hac vita accidere potest; quare non solum quaeri et amari nequit, sed etiam odio illud abhorreamus oportet quo dignum est, i. e. supremo et absoluto. Cuius obligationis violatio, pro ipsius mali moralis gravitate, mortalis vel venialis erit (2). Apparet etiam, est enim simplex applicatio eiusdem principii, nos etiam causam peccati velle non posse; non possumus eligere, quod *per se* ad peccatum ducit: qui enim amat alicuius mali causam, eo ipso malum quod cum ipsa per se coniungitur, velle censetur; et quaevis lex, sicut sui violationem vetat, ita etiam prohibet omne id, quod ex se ad hanc violationem ducit.

---

(1) Cf. *Periodica,* supra, XXI, p. 1-34.
(2) Vermeersch, I. n. 467.

Tale est principium, quod pro fundamento ulteriorum considerationum ponimus. Nisi enim obligationis fugiendi peccata et eorum pericula rationem et mensuram noverimus, veram occasionis proximae notionem dare non valebimus.

Assertum de fuga peccati, si in generalitate sumatur, ab omnibus admittitur. Plura tamen explicanda veniunt ut sensus magis determinetur, atque appareat quousque obligatio se extendat. Qua in re gradatim procedendum esse arbitramur.

Ante omnia duo sedulo notentur, velim:

1. Malum, quod vitandum, fugiendum diximus, intellegitur *morale*. Tale autem proprie non est nisi *peccatum formale*. Malum enim morale est malum voluntatis, quae eligendo malum, fit ipsa mala. Non igitur agendum erit de peccato materiali, quod non est malum voluntatis, nec proin verum malum morale. Ceterum obligationem vitandi materiale quoque peccatum non probari in tractatu de conscientia ostendi solet, quem hic supponimus (1).

2. Impossibilis est seria fuga peccati absque hoc, ut etiam omne id vitetur quod ad peccatum conducit. Dico: conducit ad peccatum; *necessarium* igitur *est ut vinculum, connexio habeatur inter peccatum et talem rem, personam, vel circumstantiam, de qua fugienda agitur*. Pura possibilitas peccati ad obligationem gignendam non sufficit. Si ad hoc quoque homini attendendum esset, impossibilis ipsi vita evaderet. Ceterum iuxta Legislatoris mentem obligationes semper « humano modo » intellegendas et implendas esse, extra dubium est.

Si non mera possibilitas habetur peccati, sed realis connexio causalis exsistit inter peccatum et aliquam

(1) Eadem de causa non consideravimus fuse opiniones auctorum probabilioristarum in conspectu historico.

rem, personam vel circumstantias, iam in ordine morali versamur, et proprie *quaestio periculi peccati* agitur. « Est impulsio ad peccandum », « imminentis mali verisimilitudo », « omne id, quod ad peccatum disponit vel impellit », dicunt moralistae. Itaque est notio omnino generalis; significat aliquid homini sive externum, sive internum, quod ipsum ad peccatum futurum moraliter, i. e. mediante intellectu et voluntate, movet et sollicitat. Continet igitur in se tum occasionem proprie dictam, quae aliquando *periculum externum* appellatur, tum scandalum, tum tentationes et malas dispositiones subiecto intrinsecas, quae *periculi interni* nomine veniunt.

Si connexio inter periculum et peccatum inde proveniens consideretur, illa maior vel minor potest esse, pro ratione qua aut graviter aut leviter ad peccatum futurum excitat, movet et inclinat. Illud appellare solent *grave vel proximum,* hoc autem *leve vel remotum.* Utrumque iterum tale est vel *per se seu absolute,* i. e. in genere ex natura rei et hominum habetur talis connexio causalis cum peccato, vel *per accidens seu relative,* i. e. considerando specialem particularis hominis naturam et dispositiones individuas in concreto. Periculum proximum porro a Cardenas, Lacroix et S. Alphonso distinguitur formale et materiale. *Formale* dicitur illud, quod est proxime coniunctum cum peccato, i. e. in quo homo — iuxta S. Doctorem — saltem « probabiliter peccabit », scilicet non solum simplices tentationes aut motus experietur, sed de facto in ipsum peccatum probabiliter consentiet. *Materiale* autem illud est, quod per se quidem duceret ad peccatum, saltem probabiliter, sed per accidens « ratione necessitatis, et mediorum, quae homo adhibet ad peccatum vitandum » de facto remote tantum cum peccato coniunctum est. Aliis verbis: est periculum materialiter quidem proximum, formaliter tamen remotum.

Nimis *est evidens, obligationem* fugiendi periculum peccati non esse semper eandem, *sed multum dependere ab adiunctis, atque proportionatam esse connexioni causali* inter id quod periculum constituit, et formalem in peccatum consensum, *sicuti etiam variare secundum gravitatem peccati.*

1. *Si periculum hic et nunc coniunctionem moraliter certam habet cum actu peccati inde secuturi*: qui illud scienter et volenter incurrit, reus est peccati mortalis, si de mortali, venialis si de levi agatur. Qui enim sciens tam artum esse nexum, nihilominus sine ulla vere exigente necessitate (agitur tantum de periculo formali!) se tali periculo exponit, aut in illo voluntarie permanet, cum periculo ipso peccatum eligere et iam in antecessum consensum ei dare convincitur. « Deinde — ut apposite ad rem Lacroix ait — quia praeceptum prohibens peccatum etiam prohibet velle quod proxime et moraliter est coniunctum cum peccato, sicut praeceptum prohibens finem, etiam prohibet media ad talem finem ducentia, ergo qui exponit se periculo formali et certo peccati, peccat contra praeceptum prohibens illud peccatum, et consequenter admittit malitiam talem, qualis est in ipso peccato ». (1) Nec rem mutat, si per accidens reipsa laesio non sequatur; peccatum enim *tunc* iam commissum erat, quando quis se periculo scienter et volenter exposuit.

Huiusmodi connexio moraliter certo constare potest a posteriori, quando quis in tali periculo semper aut fere semper vel plerumque cecidit ita, ut etiam nunc lapsus eius sit moraliter certus. Minime tamen necessarium est, immo nefandum scelus esset consulere ut quis experimentum sumat et ita gradum periculi discat. A priori enim, spectata in genere lapsa hominis natura

(1) *Theol. Moral.*, L. V, n. 256.

et nota respectivi periculi impulsione ad peccatum, iam idem sciri potest; experientia — post factum — per accidens tantum confessarium docebit pro tali homine in concreto tale vel tale quid nondum esse periculum moraliter certum, quod pro aliis in genere iam est, vel etiam e contrario iam esse, quod aliis nondum est.

2. — Sat facile auctorum concordia obtineri potest in casu alterius extranei, quando scl. non mera peccati possibilitas habetur quidem, sed exsistit iam causalis nexus, qui tamen adeo exiguus est, ut *periculum remotum* tantum fundet atque *levis* habeatur *tantum probabilitas peccati* inde *secuturi.* Sic se exponere levi peccandi periculo perfectorum non est quidem, sed nec peccatum etiam veniale constituere videtur. Se autem ad peccandum mortaliter sed remote exponere, per se certe peccatum grave non est, modo quis firmam habeat voluntatem in periculo illo non peccandi (contraria enim voluntas iam in se peccaminosa esset). « Non est enim gravis inordinatio ponere causam quae leviter tantum influit in malum effectum, seu ex qua peccatum raro tantum et per accidens ac praeter prudentem praevisionem sequitur. Praeterea huiusmodi levia pericula cuique, etiam prudentissimo, adeo obvia et frequentia sunt, ut ea omnia collective sumpta vitare, non solum onus esset insupportabile, sed etiam impossibile esset. Unde ex quacumque rationabili causa alicui levi ac remoto periculo se committere licet; aderit gratia Dei ordinaria qua certo lapsus mortalis vitetur.

« At vero, si non de mera peccati possibilitate, sed de positivo aliquo et particulari, etsi levi tantum mortaliter peccandi periculo agitur, sine ulla plane causa rationabili se huic exponere, a peccato veniali excusari nequit; tum quia actio in se esset irrationalis ac proinde levis inordinatio, tum quia levis esset quaedam incuria offensae Dei et salutis animae. Immo si

quis nulla pericula levia vitare, sed omnia obvia sine ratione positive quaerere vellet, innumera peccata venialia committeret, et sic paulatim peccati mortalis reus fieri posset. Idque non quidem *per se,* quia, ut docet S. Thomas, « peccatum mortale et veniale differunt in infinitum » (I-II. qu. 83, a. 4), neque etiam ratione ipsius propositi actualis, quia, ut S. Alphonsus ait, « tale propositum tantum remote conducit ad peccatum » (IV, 12), sed *per accidens et consequenter.* Nam, ut ait Scriptura: « Qui spernit modica paulatim decidet » (Eccl. 19); « sed, ita pergit S. Thomas, ille qui peccat venialiter videtur minima spernere: ergo paulatim disponitur ad hoc quod totaliter defluet per peccatum mortale » (l. c. a. 3). Videlicet per consuetudinem illam peccandi venialiter tepescit fervor charitatis, crescit concupiscentia, voluntas debilitatur, gratia actualis minuitur, et sic pedetentim procedens tandem versatur quis in periculo gravi et proximo peccandi mortaliter, quod quidem periculum sub gravi vitari debet, ubi primum illud advertitur » (1).

3. — Remanet casus, quando *connexio causalis talis est* ut, etiamsi non moraliter certum sit peccatum inde secuturum esse, res tamen adeo probabilis est, *ut lapsus* saltem *prudenter timeri debeat.* Quaestio recenter multum disputabatur; atque, pro solutione varia, casum in categoriam proximi, vel e contra remoti periculi peccati, auctores remiserunt. Ne tamen vis verbis inferatur, — « proximum » enim periculum vi vocis maiorem cum peccato connexionem innuere videtur, « remotum » vero iterum ex alia parte aequo plus distare, — placuit nomine separato « periculi vere probabilis » rem tractare et propter momentum eius paulo diutius in ea morari.

Quaestio iam a Doctore Angelico leviter tacta, a

(1) Ter Haar, op. c. n. 32.

Lud. Lopez clare proposita, revera s. XVII ad finem vergente tantum theologorum mentem agitare coepit. Infausta Caramuelis solutio hoc saltem habuit emolumentum, quod determinatum est, *quo sensu periculum hoc « probabile » dicatur.* Tale scl. est non ratione exsistentiae ipsius periculi, rei nempe, quae constituit periculum, hoc enim certum supponitur, sed ratione effectus, quatenus peccatum ipsum probabiliter sequetur ex periculo certo exsistente. Brevi: est *certum periculum probabiliter peccandi.* Habetur igitur coniunctio tantum probabilis cum peccato, ita ut probabiliter tantum ex illo peccati actus secuturus sit, ac simul probabile remaneat, quod non sequatur. Tale autem esse aliquod periculum iterum constare potest a posteriori, quando quis in eo constitutus sat saepe, sat frequenter, etsi non plerumque aut frequentius, cecidit; vel generatim a priori accommodate ad supra dicta, quando prudenter timetur lapsus, licet prudenter exspectari possit etiam victoria.

Vix aliquis hucusque occurrit, qui ad quaestionem sic positam: « an habeatur gravis obligatio vitandi etiam probabile peccati periculum? » *simpliciter et explicite negative responderet.* Caramuel, ut notum est, sententiam suam retractavit. Ballerini, in *Opere Morali,* t. V. n. 172, sic ait: « In tractatu de Peccatis nn. 343-345 ostendimus non bene quosdam induxisse etiam necessitatem fugiendi probabile periculum peccati et allegationes, quibus ea fulcitur, allatas a Cardenas, non subsistere ». Et revera abusus circa auctoritates evenisse, iam notavimus; textum legenti etiam apparet nonnulla obscura remanere in argumentis Cardenas et Lacroix, praesertim quia non dantur omnes distinctiones quas claritas rei exigeret; sed ex altera parte, ut rem ingenue fateamur, neque Ballerini rationum falsitatem positive ostendit in loco ad quem remittit. Etiam posteriores, ut Génicot, Noldin, etc. negative proce-

dunt; nimirum, quod in medium ferre solent, est hoc: non apparet, cur qui tali periculo se exponat, mortale committat, cum nulla morali necessitate lapsus sequatur et sic per se non eligatur peccatum. Quo audito, petitionis principii eos accusant alterius opinionis fautores; qua in re tamen modum excedere videntur: non enim hic affirmatur quod petitur, sed simplex desiderium exprimitur validarum rationum ad maiorem adstruendam obligationem quam quae communiter ab omnibus tenetur et de qua dubium subsistere nequit. Plus asserenti munus probandi incumbit; quare quaestionis solutio a rationibus pendebit quae afferri possunt.

Sed etiam affirmativa responsio ad quaestionem omnino in genere positam a nullo unquam prudenti dabitur. Quis enim nostro tempore affirmabit nemini licere statum vitae eligere, in quo multa habentur probabilia lapsus pericula v. g. militis, cauponis, chirurgi, advocati, etc., vel numquam licere adire universitates gubernii civilis, utpote ut plurimum atheas, aliaque similia gravia et probabilia lapsus pericula. Evitare omnes status seu vitae condiciones quae multa quidem pericula, sed in communi et e longinquo tantum et indeterminate involvunt, esset onus et incommodum gravissimum; permulti enim ad convenientem vitae statum cui speciali modo apti sunt, pervenire non possent. Unde iusta et gravis saepe adest causa suscipiendi talem vitae statum cum suis periculis, modo debitae adhibeantur cautiones et remedia, quo haec gravia pericula, quando postea in individuo occurrent ex proximioribus magis remota et levia fiant. Eadem consideratio fieri debet etiam de casibus particularibus, in quibus necessitas habetur periculum adeundi. Quare magis restringenda est quaestio et sic ponenda videtur:

Utrum annon graviter peccet, qui sine iusta et proportionata causa se exponit periculo hic et nunc vere ac solide probabili peccandi mortaliter?

Agitur ergo iam solum *de peccato mortali.* Periculum supponitur *vere et solide probabile,* quod ex natura rerum et subiectivis cuiusque dispositionibus diudidicandum est. Debet esse *hic et nunc tale;* non igitur quaestio est iam de generali periculo v. g. vitae status, sed de periculo bene in concreto determinato et praesenti, ut de actione hic et nunc ponenda, v. g. de domo aliqua adeunda, in qua, consideratis omnibus circumstantiis (gravitate tentationis, interna fragilitate vel experientia, etc.) vere probabile est hominem individuum ibi graviter peccaturum. Dicitur « *sine iusta et proportionata causa* » ; « iusta » debet esse, i. e. non quaelibet rationabilis, sed vere gravis, quae necessitatem aliquam late dictam importet. « Quanta autem gravitas seu necessitas causae requiratur pendet tum a gravitate periculi, tum a gravitate peccati vel eius consequentiarum. Qua de re hae generales regulae statui possunt: *a)* Quo gravius seu probabilius est peccandi periculum, eo gravior requiritur causa. *b)* Quo gravius timetur peccatum, eo gravior iterum requiritur causa: sic gravior causa adsit oportet, ut quis se periculo luxuriae consummatae exponat quam periculo simplicis delectationis morosae. *c)* Quo peiores consequentias haberet peccatum futurum, eo graviores iterum causae requiruntur: sic graviores rationes postulantur, ut quis periculo perdendi fidem se committat quam periculo perdendi castitatem » (1). Quae omnia hic explicationis gratia tantum dantur, nullo adhuc praeiudicio de rei veritate concepto.

Quaestione sic determinata, videamus iam rationes, an rem evincant, vel e contra in suspenso relinquant.

1. Multum a quibusdam *insistitur in consectariis practicis sententiae negative respondentis.* (2) Et recte

(1) Ter Haar, l. c. n. 34.

(2) Ibidem num. 48. Auctor hic fuse exponit rationes; quare in crisi instituenda specialiter eum respicimus.

quidem. Hoc ipsum erat cur, tempore reactionis contra laxismum, sententia affirmans invaluerit. Etiam nunc nemo prudens opinionem illam publice in sermonibus docere auderet. Sed etiamsi ex falso intellectu et propter pravas hominum inclinationes praxis huiusmodi opinionis funesta esse possit, minime inde concludi potest illam falsam esse; ad summum ostendit, quam prudenter illa proponi debeat, ne animae scandalum patiantur atque obligationum moralium frena laxari videantur. Multae sunt etiam aliae Theologiae moralis doctrinae, quae similem effectum producere possint, ut doctrina de gravitate materiae in furto, aliqua placita de sexto, de castitate coniugum etc., nemo tamen inde concludet ea falsa esse. Seposita autem proprie dicta obligatione, pleno adhuc iure Christifideles ad altiora hortamur: aliud enim est stricta obligatio et aliud quid regula perfectionis. Sicut in speciali materia venereae delectationis, quaedam castitas angelica praedicatur, sic habetur quaedam generalis mentis castitas, quae perfectam affectus puritatem colit, nullam tentationem subire annuit propter propriam satisfactionem, immo fomitem peccati in virtuoso homine minuere satagit (1).

2. Multo propius iam ad quaestionis cardinem accedit *argumentum quod ex charitate erga seipsum debita desumitur.* Ad quid positive erga nos teneamur, non tam commode et semper etiam in particularibus determinatur; ideo magis ex paritate cum charitate proximi auctores arguunt. « Si est illicitum, ait S. Alphonsus, uti opinione probabili sine iusta causa cum periculo damni alieni spiritualis vel temporalis, uti certum est apud omnes, quanto magis id non licebit, ubi periculum imminet propriae animae? » (2)

---

(1) Cfr Vermeersch, l. c. n. 472.
(2) L. c. L. V, n. 63 § 6.

Alii idem variis exemplis illustrare conantur (1). Non licet v. g. sine necessitate administrare baptismum cum materia tantum probabili; neque absque gravi causa infirmo venenum porrigere, ex quo probabiliter mors secutura est: utrumque peccatum est contra charitatem erga proximum. Unde a pari ratiocinando pergunt: Ergo, quia charitas bene ordinata incipit a seipso, neque licet sine gravi causa se obicere periculo, ex quo probabiliter mors propriae animae sequetur: illa res vel persona quae periculum probabile peccandi creat, est revera venenum, quod probabiliter mortem propriae animae inferet. In utroque casu, sive damni alieni sive damni proprii, est « periculum facti », quod per dictamen conscientiae seu per principium reflexum removeri nequit; in quo proinde nefas est uti opinione probabili.

Ultimum clarum est: at estne omnino certa illa paritas, in qua argumentum tandem fundatur? Primo saltem aspectu videtur magni momenti discrimen inter periculum spirituale et periculum mere corporale intercedere. Periculum enim corporale mortis manet semper probabile et grave, etiamsi ob iustam et proportionatam causam subeatur, nisi forte Deus per quoddam miraculum adiuvaret, ad quod cum de bono corporali et temporali agatur, non tenetur; periculum vero spirituale, cum alterius sit omnino ordinis, per remedia adhibita et divina opitulante gratia certo remotum et leve fieri potest. Prior casus hic non respicitur, non enim adhibentur ex supposito remedia; et sine iusta ac proportionata causa aditur periculum; sed non item praeter considerationem relinqui potest aliud elementum. Paritas quoad mali futuritionem et consequenter pariter gravis in admittendo periculo temeritas tunc tantum habebitur, si in periculo

(1) Cardenas, *Crisis* I., disp. 18, n. 60 s.; Lacroix, op. c. V., n. 257.

peccati sub datis condicionibus non intervenerit novum aliquod elementum, quod in periculo corporali locum non habet. Unde valor rationis ultimatim dependet a quaestione oeconomiae divinae in dispensandis gratiis.

Insuper etiam supposito valore argumenti, ratio ultima et formalis tale periculum vitandi non est imprudentia *in propria salute* exponenda — non ultimatim, quia salus animae exponitur, peccatur, sed e contra quia peccatur, ideo salus animae exponitur, — sed imprudentia relate ad offensam Dei et iacturam eius amicitiae. Aliis verbis : ratio formalis non consistit in periculo *salutis* aeternae, cuius iactura sequela dumtaxat esset peccati futuri, sed in periculo ipsius *peccati in se spectati,* quod quilibet omnino vitare debet; sed hoc praecise hic in quaestione est, utrum graviter hic et nunc peccet, qui sine iusta et proportionata causa, se peccati periculo vere probabili exponat. Quare ob duplicem allatam rationem argumentum, in se saltem, nondum propria mole stare ita ut ulteriores considerationes non exigantur censemus.

3. Iuxta communem moralistarum doctrinam non licet cum conscientia practice dubia agere, nam qui practice dubitat de honestate suae actionis, agendo peccat; hypothetice enim in violationem legis consentit. Hic annectunt aliud pro sua sententia argumentum. « Quemadmodum est peccatum mortale ponere actionem in dubio practico num haec graviter sit prohibita, quia id gravem indifferentiam erga Supremum Legislatorem eiusque offensam importat, ita quoque *gravis adest indifferentia adeoque irreverentia erga Deum,* si quis, ob rationes hinc inde probabiles practice dubitans, num ex sua actione sequatur factum peccati, nihilominus sine iusta causa eam poneret: in utroque casu est dubium practicum, in quo agere plane non licet » (1).

(1) Ter Haar, op. c. n. 37.

Idem auctor sic rem comparatione illustrat. « Qui sciens prudens sine gravi ratione aliquam ponit actionem, ex qua probabiliter magna alicuius, utputa regis, sequetur offensio, seu ex qua serio et prudenter gravis eius offensio timetur, profecto non levem, sed gravem erga ipsum irreverentiam committit: hic enim parvipendit regis offensam, quia indifferentem se ostendit, utrum rex, occasionis suae actionis, graviter a se offendatur necne. Eodem plane modo indifferentiam ostendit, ac proinde gravis erga Deum contemptus reus est, qui sine gravi causa ponit actionem ex qua praevidet probabiliter Deum a se offensum iri suumque lapsum in peccatum secuturum esse » (1). Et Viva: « Eodem modo adversus reverentiam regi debitam delinquit, qui regem laedit et qui citra necessitatem exponit se periculo illum laedendi » (2).

Evidens iterum est probabilismum hic non posse invocari ad tollendum peccatum probabiliter futurum: est enim dubium facti; non agitur de sola honestate actionis, sed de malo, quod si de facto eveniat, certo mortale erit peccatum. Oblivisci tamen quidam videntur agi tamen hic revera de honestate *alicuius actionis,* non quidem illius quae probabiliter sequetur ex periculo, *sed praesentis actionis se in hoc periculo ponendi;* quare quaestio probabilismi non simpliciter tollitur, sed notari tantum potest probabilitatem facti futuri non esse rationem, propter quam hic invocari possit ad praesentem actionem, se in periculo peccati futuri ponendi, cohonestandam. Sed an non exsistunt aliae rationes? auctoritates? Hoc sensu de facto adhibetur probabilismus ab auctoribus, qui, media via procedentes, varietate sententiarum effici dicunt, ut gravis obligatio practice certa dici nequeat, nisi tantum

(1) ibid. n. 36.
(2) In prop. I. Innoc. XI, n. 16.

sit periculum, ut praevidendus sit in eo culpa vere frequentior quam victoria.

Claudicat etiam comparatio cum actione posita cum conscientia practice dubia. Ibi enim irreverentia non habetur propter aliquam imprudentiam, sed propter voluntatem positive malam in ipsa positione actus. Qui enim dicit: « nescio, utrum haec actio sit vetita, an non; utrum sit peccatum vel non, tamen pono illam », talis iam de facto facit peccati electionem, dat consensum hypothetice in malum, et in hoc consensu formaliter consistit eius peccatum. Quae mala voluntas in temerario aditu probabilis peccandi periculi non est ita evidens, et hoc ipsum est, quod in quaestione versatur. Licet igitur magna sit analogia, argumentum tamen non omnibus satisfaciet.

4. Similes fieri possunt observationes contra rationem eorum qui tentationem Dei vident in eo quod qui praevidens probabilem suum lapsum in periculo peccati, illi se nihilominus exponit, spe fretus victoriae, quae pariter probabilis remanet. Et idem de aliis rationibus dicendum foret. Quare non continuamus examen argumentorum, sed, relicta negativa via destructionis, opus constructivum iam aggredimur.

Non obstantibus motis difficultatibus, quaestioni *affirmative* respondendum esse censemus.

Probatio positiva duplici puncto absolvetur: primo fundamentum dogmaticum adstruemus, quod in prioribus argumentis extra considerationem reliquimus et a quo tamen solutio pendet; dein ultimam obligationis rationem assignabimus.

1. Et sane *consideremus* hic *oportet essentiale supernaturalis ordinis moralis elementum.* Non enim unice agendum habemus cum homine propriis viribus naturalibus relicto, sed *ratio habenda est etiam auxilii supernaturalis gratiae,* quod plane aspectum rei mutat. Hoc ipsum est, propter cuius neglectum allatae ratio-

nes non videbantur convincentes: semper enim aperta ianua in hoc puncto relicta est adversariis; ulterius tamen sedulo considerantes hoc novum elementum et in specie dispensationem gratiae, via refugii praecluditur, lacunae complentur et vis probativa argumentorum novo sub lumine apparet.

Deus hunc constituit ordinem, ut *homo* in fine suo prosequendo faciat ex sua parte, quod possit. Sed *suis relictus viribus naturalibus nihil salutare positive operari potest, immo nec totam legem naturalem servare « moraliter » capax est.* Physice quidem et in particularibus casibus potestas vitandi peccata nequit ei denegari, sed non potest *certo* vitare peccatum in gravibus tentationibus et periculis animae vere probabilibus, *sed ad id gratia Dei indiget. Oeconomia autem Dei in dispensanda gratia talis est, ut licet omnes iusti semper habeant gratiam saltem remote sufficientem* ad vitanda gravia peccata formalia (1), quod etiam valet (sed non est definitum) de communibus peccatoribus quoad novos lapsus, *non possit idem dici de gratia proxime sufficienti.* Homo humiliter petere illam debet, nec preces eorum, ordinarie saltem, exaudientur, qui sponte et temere gravi periculo et tentationi se obiciunt. Quae omnia iam in S. Augustino inveniuntur, in variis Conciliis repetuntur, in Tridentino vero sollemniter definiuntur, vel saltem, quod ultimum punctum attinet, docentur. « *Deus impossibilia non iubet,* — ait, Augustinum repetendo, S. Concilium —, *sed iubendo monet et facere quod possis* (en gratiam remote sufficientem) *et adiuvat ut possis* » (2). Hoc sensu etiam verissimum est tritum axioma: « Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam », vel adagium recens: « Adiuves teipsum et Deus te adiuvabit ».

---

(1) De fide definitum ex prop. damnata Iansenii ut haeretica (Denz. 1092).
(2) Sessio VI. cap. 11.

Sed potestne iure affirmari talem esse modum agendi eius, *qui sine causa et necessitate vere probabili periculo peccati se exponit?* Nonne qui ita agit, potius *invertit ordinem a Deo statutum?* Quapropter in periculo libere et sine necessitate adito suis relinquetur viribus, *ordinarie* nullam a Deo gratiam accipiet, sive efficacem et abundantiorem, sive sufficientem et communem, qua peccatum vitet. Accipit quidem gratiam, sive directe, sive indirecte, non adeundi periculum, vel discedendi ab illo, si forte iam in eo versetur (quia tali gratia ob rei difficultatem aliquando indigere potest), sed non potest exspectare gratiam vincendi tentationem et non peccandi in vere probabili periculo, quod ipse voluntarie admittit et vitare potest, sed non vult, nam sine necessitate et causa illud adit. Sed quis dicere possit: potest tamen semper sperare illam gratiam. Deus enim potest illam dare et ipsa historia exempla praebet, quando in ipsa prosequenda peccati exsecutione magnas receperunt homines gratias. Esto; gratiam Dei semper sperare potest ut *possibilem,* sed hoc nihil omnino mutat; nam *homo agere debet non secundum possibilitates, sed saltem secundum probabilitates, iuxta ea, quae per se fiunt et non per accidens.* Iam vero saltem theologice certum est auxilium Dei in descriptis hominis dispositionibus ordinarie non intervenire.

Ex qua consideratione nova vis accedit rationibus allatis ita ut efficaces evadant.

Habetur de facto tentatio Dei. Homo enim certo vitare debet peccatum mortale; sed ut quis in probabili et gravi peccandi periculo certo a peccato liberetur, sperare deberet divinae gratiae auxilium, quo adiuvetur; a propriis enim viribus naturalibus exspectare tantum potest, ut probabiliter a peccato liberetur. Nec sufficit, spectata hominis naturae infirmitate, nunc firmiter proponere se in hoc periculo non esse peccaturum et,

relictis mediis propriis, confidere viribus; nam voluntas, gravi tentatione ac periculi praesentis illecebris allecta, saltem frequenter propositum suum relinquet et probabiliter cadet; quare praesumptio esset in hoc periculo certam sperare victoriam a propriis viribus et non a gratia Dei. Sed rursus Dei auxilium, uti ex allata ratione dogmatica elucet, exspectare, quando quis ex sua parte sine gravi incommodo seipse a periculo liberare potest (supponitur enim periculum et tentatio libera) illud simpliciter non adeundo vel relinquendo, id tamen non facit, auxilium gratiae ille rationabiliter exspectare nequit. Si nihilominus sine ratione periculo se committat, sperans in tentatione inde secutura Dei auxilium, temere agit Deumque *interpretative* tentat. Ita expresse S. Thomas: « In hoc Dei tentatio consistit, quando praetermittit homo facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum ad auxilium divinum... Quando propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est tentare Deum... Quando vero hoc agitur absque utilitate et necessitate, hoc est interpretative tentare Deum; unde... dicit Glossa: « Deum tentat qui habens quod faciat, sine ratione se committit periculo, experiens utrum possit liberari a Deo » (1). Idem argumentum variis in locis profert Lehmkuhl (2).

Apparet etiam, cur *adversum reverentiam Legislatori debitam peccet* qui sine causa periculo Deum positive laedendi, actu nempe peccati ex periculo vere probabiliter secuturo, se exponit; prudenter enim exspectare non potest ut, interveniente eiusdem Legislatoris gratia, laesio eliminetur, et, cum e propriis viribus id certo evitatum iri sperare nequeat, scienter et volenter sine proportionata causa periculo se com-

(1) S. Th. 2. 2. qu. 97, a. 1.

(2) Reuter - Lehmkuhl, *Neo-Confessarius*, n. 188, q. 7; *Casus Consc.*, II, 596.

mittens, in hoc suo actu — modo rem advertat — contemptum Dei ostendit *simili modo* quo is qui cum conscientia practice dubia agit Deum posthabet.

Demum etiam paritas apparet, quae in puncto comparationis inter periculum spirituale et periculum corporale desiderabatur. *Non licet igitur uti opinione probabili sine iusta causa cum periculo propriae animae,* nam, deficiente tali causa, nullam potest homo habere spem fundatam ad gratiam obtinendam, immo eam temere exspectat, quia, periculum vitando, posset seipsum ex eo liberare. Quoad temeritatem igitur in utroque casu paritas habetur, ergo uno admisso, aliud negari non poterit.

2. Omnibus iam consideratis, *ultimam* quoque *assertae obligationis rationem* formalem dare posse arbitramur. Hoc quidem stricte necessarium non esset, nam obligationum fontes non sunt solum particularia praecepta bene determinata et voluntate Legislatoris explicite imposita, sed etiam generaliores rationes reverentiae, charitatis, etc., quae in ipsa rerum natura et exigentiis rationis percipiuntur (1); ad intelligentiam tamen rei multum confert et haud parum ad doctrinae moralis unitatem perspiciendam iuvat.

Peccatum est malum voluntatis; ubi igitur voluntas nihil mali eligit latiore saltem verbi sensu, peccatum haberi nequit.

Si ergo se sine iusta et proportionata causa in periculo peccati vere et solide probabili ponere gravis culpae argui debet, voluntatis perversitas ostendenda est. Iam nunc in casu nostro peccatum ex periculo secuturum non est in se, directe intentum: hoc extra quaestionem est. Etiam, saltem quando affirmanti fides praeberi potest, peccatum illud non est intentum in alio; voluntas non afficitur erga illud etiam ut cum

(1) È. Ranwez, *Nouvelle Revue Théologique,* 1931, p. 135.

obiecto, periculo scilicet, est connexum; unice vult id quod constituit periculum; protestatur enim se firmam habere voluntatem non peccandi. Sed nonne debeat dici *voluntarium in causa* et ipsum peccatum *permissum contra* illud impediendi *obligationem?* Si nexus causalis inter periculum et peccatum inde resultans moraliter necessarius est, res nulli subiacet dubio. Nam *a*) Generalis *virtus prudentiae* nobis imponit sufficientem diligentiam positivam curandi, ut saltem gravibus cuiuslibet virtutis officiis non derogemus; et positivum praeceptum ab eo violatur qui tam magno periculo peccati se libere exponit, vel in eo manet, atque actu graviter peccat contra virtutem cuius sic neglegit officia; in quo peccato generalis malitia contra prudentiam quoque continetur. *b*) In casu applicari potest principium duplicis effectus, vi cuius peccatum illud in voluntatem agentis refunditur, quae iam ipso momento quo periculum a se adiri advertit et tamen non desinit, vitiata erat.

Idem, ni fallimur, valet etiam de periculo solide probabili, cui quis sine proportionata causa se exponit. Periculum hoc est « causa », quae, iuxta praevisionem operantis, vere probabiliter producet malum effectum, lapsum nempe in peccatum; neque ulla est, ut supponitur, iusta et proportionata ratio ponendi hanc causam, i. e. adeundi hoc periculum, unde *in causa vult effectum seu peccatum probabiliter secuturum.* Et hoc iuxta rigorem logicae; quaestio ulterior tantum est, utrum velle in causa peccatum probabiliter secuturum sufficiat, ut quis gravis culpae reus sit. Ad quod affirmative respondetur; talis enim est communis hominum sensus ; et plura Theologiae moralis exempla idem ostendunt. Sic « qui captus dulcedine veneni quod scit probabiliter mortem allaturum, illud nihilominus sine ratione sumit, ab omnibus reus suicidii habetur, etiamsi mors aeque probabiliter non sequatur;

quia licet directe tantum intendat dulce venenum, tamen indirecte in causa vult mortem. Qui duellum letale committit, directe quidem vult honoris laesi reparationem quam hoc medio obtinere existimat, sed indirecte vult mortem, ac proinde reus est duplicis homicidii, tum sui ipsius tum proximi, etiamsi mortem suam non intendat, neque haec certo, sed probabiliter tantum ex duello sequatur. Qui telo glandem eicit in obiectum, quod praevidet aeque probabiliter posse esse hominem ac bestiam, revera peccati homicidii reus est, etiam si hominem occidere non intendat, neque hic et nunc mors reipsa sequatur. Eodem plane modo ille qui, allectus periculi illecebris, ut puta colloquio cum persona amata, ex quo scit probabiliter lapsum secuturum, se huic periculo sine ratione obicit, directe quidem vult et intendit rem periculosam, sed *indirecte et in causa* reapse vult ipsum peccatum seu mortem animae, atque iam graviter reus est huius speciei peccati, etiamsi ipse actus peccati non directe intendatur, neque certo, sed probabiliter dumtaxat sequatur » (1).

Quare minus complete dictum videtur a moderno optimae notae auctore, qui, rationem volens dare obligationis proximae occasionis peccati vitandae, haec scribit: « In occasione proxima *praevidetur* quidem *peccatum,* sed ex *libere tunc mutata* voluntate eius, qui *nunc* firmum propositum elicit, ita ut fuga occasionis dici nequeat medium sine quo finis obtineri nullatenus queat » (2). Haec quidem absolute vera sunt, sed in ordine morali omnia sumenda sunt concrete secundum ea quae ordinarie contingere solent; spectata igitur fragilitate humana et oeconomia Dei in dispensanda gratia, plenam habet applicationem principium, quod Suarez enuntiavit: « In moralibus perinde est aliquid facere et exponere se periculo faciendi » (3).

(1) Ter Haar, op. c. n. 45.
(2) Vermeersch, I, n. 469.
(3) *De Sacr. in genere,* disp. 16, sect. 2.

Concedendum tamen est adire peccati mortalis periculum non esse adeo mortaliter grave quam ponere ipsum actum peccati; in hoc ultimo enim casu est peccatum ex genere suo in se et directe volitum; in priore vero casu est peccatum per accidens ratione periculi cui temere se exponit adeoque indirecte tantum et in causa volitum, ac proinde eo maius vel minus erit, quo temeritas se exponendi maior aut minor est.

In expositione, ni fallimur, iam continetur responsum ad alia quoque R. P. Vermeersch verba: « Genuina *ratio,* cur occasio proxima moraliter declinanda sit, *non* est quod voluntas eam adeundi repugnet seriae voluntati non peccandi: sin minus ne in necessaria quidem peccandi occasione manere possemus ». Disparitas in ipso illo puncto habetur, ubi probationis nostrae fundamentum dogmaticum iacet. Verum est, in omni occasione proxima, etiam necessaria, haberi quidem periculum proximum, sed necessario *materiale* tantum scilicet quod *per se duceret quidem ad peccatum, sed ratione necessitatis et mediorum quae ad peccatum* vitandum adhibentur et ratione gratiae, quae in talibus adiunctis prudenter sperari potest, periculum fit per accidens *formaliter remotum.* Gratia, ut supra dictum est, sine temeritate tunc tantum exspectari potest, quando ex una parte adest quaedam moralis necessitas periculum adeundi et ex altera parte homo de se facit quae potest; quando haec verificantur, periculum proximum « formale » esse desinit et cum hoc ipsa obligatio ulterior; sub his enim condicionibus manere in peccati periculo quodam necessario non repugnat seriae voluntati non peccandi, bene autem, si media necessitati et gravitati periculi proportionata non adhibeantur (1).

(1) Possit quis obicere: necessaria occasio talis esse potest, ut etiam cautelis debitis adhibitis, peccatum maneat moraliter certum, utputa in casu filiae, quae a patre corrumpitur cuius domum relinquere non potest. Respondemus hoc omnino fieri posse, sed tunc peccatum non ideo committi ac si

Ex eodem fonte apparet etiam *interna ratio exceptionis,* cur non peccet mortaliter, qui ex iusta et proportionata causa periculo vere probabili se exponat. Si enim hoc modo periculum adire quodammodo necessarium est, *tunc homo, apta ex sua parte adhibens media, vigilando facit quae possit et orando petit quod non possit;* sic autem « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam », sed adiuvabit eum ut lapsum evitare possit. E contra prorsus negandum est, quod Deus gratia supernaturali contra tentationes et pericula spiritualia hominem munire soleat, quando non facit quae potest, immo ipsamet temere et sine iusta causa se illis committit.

III. — *Conclusio de genuina occasionis proximae notione.*

Determinata obligatione vitandi pericula peccati, facili iam negotio absolvitur quaestio notionis quae stabilienda in hoc studio assumpta est. Occasio peccati est una ex speciebus periculi in genere sumpti. Hinc in notione eius distinguendum est elementum *specificum*, quo ab aliis periculi speciebus differt, et elementum *genericum* in quo cum illis convenit.

1. *Occasio*, prout hic sumitur, est circumstantia homini exterior quae periculum peccandi inducit. Duo ad eam constituendam concurrunt: a) *Obiectum ex-*

---

prior voluntas seria non fuisset, sed quia mutata est. Quomodo autem hoc evenerit, res potius psychologica est et magis ipse, qui sic lapsus est, quam quilibet alius investigare potest. Id unum certum est, defectum non in aliqua principii dogmatici exceptione, sed alibi quaerendum esse. Iuvat etiam iterum sedulo notare ad gratiae efficientiam exigi hominis concursum, et ipsa media, quae adhibenda postulantur, ut voluntas seria dici queat, proportionata debere esse, ergo fortiora quando de tam magno periculo agitur. Videndum igitur erit, utrum *apta fuerint adhibita media et in casu concreto necessaria*, et *utrum in illis usque ad finem perseveratum sit.* Quod si factum est et peccatum nihilominus locum habuit, affirmare non dubitamus in casu iam non agi de formali peccato, sed de mere materiali, quod per modum stupri alteri tantum parti imputatur.

ternum, quod potest esse persona — sive singularis sive tota communitas, — res, ut liber aliquis, imago, pecunia, spectaculum, munus quod quis gerit, aut circumstantia quaedam, utputa familiaritas cum aliqua persona, locus solitarius, domus quam quis adit vel in qua habitat, etc.; in genere quidlibet, quod praesentia sua ad peccatum provocat, allicit, per modum causae — intellectu et voluntate mediante — ad concupiscentiam internam moventis. Deficiente positiva hac inductione, potest quidem sermo esse de medio explendae passionis aliunde iam excitatae, sed non de occasione sensu theologico. b) *Elementum internum et formale* est in ipso subiecto: voluntatis nempe *inclinatio seu positiva ad peccandum propensio,* orta, — saltem ex parte, — ex obiecti externi influxu in voluntatem. Non sufficit igitur opportunitas et impulsus ad peccandum ex parte obiecti (elem. materiale occasionis); nam si ex eius praesentia in subiecto ipso non oritur propensio ad peccatum, periculum peccandi non aderit, vel certe non erit periculum quod externum vocavimus. Hinc duabus ex partibus essentia occasionis componitur. Potest in maiore gradu adesse unum vel alterum, sed utrumque necessario adesse debet.

Ex quibus apparet, quod notio occasionis minus late patet quam periculum peccati: omnis occasio est periculum, sed non omne periculum est occasio. *Differt a tentationibus et malis dispositionibus* quae subiecto internae sunt et nullum elementum externum formaliter important. *Cum scandalo* convenit in quantum utrumque est quid externum et ad peccatum allicit, sed in eo discrepat quod, dum scandalum est semper actus humanus, occasio potest esse quaelibet externa res physica; dein in occasione magis consideratur res, persona vel locus prout opportunitatem

peccati *praebet,* in scandalo autem magis prout ad peccandum *movet.*

Divisiones occasionis facile intelleguntur. Si eam pro sua voluntate potest quis non adire vel relinquere, erit *voluntaria* et *libera;* sin e contra, erit *necessaria,* sive *physice,* si nempe omnino relinqui nequeat, sive *moraliter,* si cum magno tantum et proportionato gravi incommodo hoc fieri potest. Incommodum tamen intellegendum est extrinsecum, nam sola intrinseca difficultas orta ex adhaesione animae ad aliquod obiectum, minime impedit quominus occasio voluntaria dici debeat ac proin relinquenda sit. Si id, quod pro aliquo occasionem peccati constituit, semper praesto est, dicitur *continua;* si separatis et interiectis tantum intervallis, *disiuncta.* Medium locum inter utrumque obtinet *occasio quasi continua,* quae adeunda est quidem, sed quia saepissime hoc fit, moraliter semper praesens evadit.

2. *Occasio* est *periculum* peccati; quaecumque proinde in superiore parte dicta sunt, suam habent hic applicationem. Sicut quodlibet periculum peccati, etiam occasio maiorem vel minorem potest habere connexionem causalem cum peccato futuro. Huc spectat famosa *distinctio occasionis proximae et remotae.* Et quia in ipsam definitionem elementum ingreditur subiectivum et, licet cognita lapsa hominis natura et influxu quem res externae in hominem exercent, praevideatur quomodo in genere homines in iisdem adiunctis agant, quia tamen in concreto maior vel minor potest esse propensio singulorum ad peccandum, magnum habet momentum ulterior distinctio in *occasionem absolute vel relative proximam;* quae item de remota consideranda veniunt. Iam determinavimus, quousque se extendat obligatio vitandi peccatorum pericula. Iidem, et propter easdem omnino rationes, assignantur pro fugienda occasione limites.

Cum autem quaestio quae in primis practicum habet momentum haec sit: ubinam incipiat gravis obligatio fugiendi occasionem peccati? *conclusio,* iuxta supra dicta, *hac regula exprimi potest:*

Sub gravi vitare debemus occasionem peccati mortalis, quando relative grave i. e. saltem solide probabile peccandi periculum continet, nisi causa rationabilis et proportionata gravis excuset et tunc media praeventiva adhibeantur. Causa excusat, quia tunc rationabiliter sperare possumus gratiam vires nostras peccato originali debilitatas corroborantem et — ut Card. De Lugo ait — voluntas manendi in tali occasione non est voluntas peccandi. *Media autem adhibenda* sunt tamquam condicio ad gratiam recipiendam et concursus ab homine ad periculum divina ope superandum praestitus. Pro variis periculis varia erunt: duriora et difficiliora, si maius est periculum ita ut proportionem cum illo servent, semper tamen *humano modo* adhibenda, per se *non nimis heroica.*

Haec facile retinentur et ad iudicandum de theologica specie peccati plane sufficiunt, nec confessarius minutissima mensuratione connexionis inter occasionem et peccatum exinde secuturum opus habet; quare in se et pro praxi, multifariae distinctiones, quae ex proximitate periculi rationem sumunt atque in eadem specie theologica diversos peccati gradus signant, minus iam momentum habent. Si quaestio unice esset: qualis occasio peccati sub gravi fugienda sit? nostro labori hic finis imponi posset. Quia tamen intentum aliud est et opus nostrum simul historicum habet characterem, ultra procedendum et etiam traditionalis terminologia respicienda manet.

Vulgo dicitur fugiendam esse occasionem proximam, et ad bonam dispositionem paenitentis non sufficere ut tantum proponat peccatorum actus iam non committere, sed necessarium esse etiam bonum propo-

situm non adeundi, vel in casu, relinquendi occasionem proximam. Inde aliqui prius determinant, qualia pericula sub gravi vitanda sint et dein omnibus illis nomen occasionis proximae imponunt.

« Occasio proxima est, quae inducit (saltem) probabile periculum peccati; remota vero, quae leve tantum periculum inducit » (Aertnys). Expressio tamen minus fausta est. Etenim vi verbi *probabile,* maiorem connexionem designare videtur, ut recte recens scriptor notavit (1). « Proximus », « proxime » sunt gradus superlativi, et tali sensu de facto in Theologia morali adhibentur. Auctores saeculi XVI et XVII, hac ipsa consideratione ducti, latiorem occasionis proximae definitionem dederunt; recentiores vero severioris opinionis fautores vim significationi verbi inferre debent, quando, « proximam », i. e. valde propinquam, dicunt iam occasionem, ubi, licet vere probabile sit peccatum futurum, nihilominus aeque probabile remanet, vel etiam probabilius, peccatum vitatum iri. Verum est, praxim contrariam in usu loquendi invaluisse et haud facile mutari posse. Attamen, ut confusio in ipsa terminologia vitetur simulque iusti simus, quod historiam attinet, et ne in ipsis verbis erroneum iam praeiudicium appareat de opinionibus et misceatur quod ab omnibus admittitur et quod minus quibusdam placeat, distinctiones et definitiones, accommodate ad superius dicta, sequenti modo exhibere praeferendum videtur:

Occasio remota est quaelibet circumstantia exterior, quae inducit quidem periculum peccandi, sed adeo exiguum, ut levis tantum probabilitas lapsus inde sequatur. Excluso affectu peccati, tali occasioni se exponere non est grave peccatum; sine ulla tamen ratione ei se committere, a veniali excusari nequit.

---

(1) Salsmans S. I., *Donner ou différer l'absolution?*; *Nouvelle Revue Theol. 1930,* p. 26 ss.

Occasio propinquior est ea in qua sat saepe iam peccatur, ita ut qui tali se exponat, periculum vere probabiliter peccandi incurrat adeoque prudenter lapsum timere debeat.

Occasio tandem *proxima* est, in qua ut plurimum, semper, fere semper vel saltem frequentius peccatur, periculumque constituitur adeo grave, ut peccatum inde moraliter certum sit aut saltem probabilissimum.

Ultimae duae species occasionum sub gravi fugiendae sunt: etiam occasio, quam propinquiorem nominamus, nisi ex gravi et proportionata causa adeatur. In eadem theologica specie gradu tamen differunt ab invicem, ut clarum est. Etiam facilius adesse potest gravis et proportionata causa ad occasionem propinquiorem adeundam vel in ea remanendum, quam ad occasionem proximam. Peccatum, quod temeraria sui expositione committitur, est eiusdem speciei ac peccatum, cuius periculum incurritur. Duo tamen peccata non necessario iunguntur; fieri potest, ut peccatum, quod timebatur, de facto non eveniat, peccatum tamen contra prudentiam et eandem virtutem, quae in periculo erat, commissum est et in confessione iudicandum est, cuiusnam occasionis speciei quis se exposuerit.

Omnes species occasionis possunt esse absolute tales vel relativae: *ad quod confessarius attendat oportet. Paenitentem ignotum secundum generaliter contingentia diiudicare debet:* ex illis enim praesumptio habetur eodem modo rem se habere etiam in hoc individuo particulari; e contra si iam experientiam habet, vel poenitens sufficienter eum de praeteritis informat, in concreto, relative omnia considerare debet iuxta tentationes, inclinationesve subiectivas vel habitus vitiosos paenitentis. In definienda occasione propinquiori vel proxima *ne nimis attendat ad computationem mathematicam,* quae a quibusdam dari solet; adhuc minus

paenitentem eam doceat, utpote incompletam, immo periculosam. Applicationem enim habet tantum a posteriori et supponit eosdem actus saepe repetitos, immo in iisdem omnino adiunctis cum eodem gradu passionis et malae inclinationis ex parte subiecti; haec enim omnia ingrediuntur definitionem occasionis peccati et mutant eius cum lapsu proximitatem. Sed quis poterit ea observare et mensurare, praesertim cum hominis inclinationes in iisdem externis adiunctis gradu adeo differre possint ?

Manifestum est huiusmodi computationem nihil iuvare posse in rarioribus occasionibus vel relate ad homines conscientiae magis timoratae. An quia quis prima vice aliquam occasionem adit, quam numquam expertus est, sed spectata natura rei et fragilitate humana in genere, praevidet fore ipsi graviter periculosam, an ideo, inquam, poterit ad seriem experimentorum provocare et ad tempus excusari a gravi? Minime gentium ! Prudentissima est igitur regula, quam Roncaglia tradit: « Solum ergo ad iudicandum ex frequentia actuum de occasione proxima — idem dic de propinquiore — recurrere debet confessarius, quando non satis apparet an res extrinseca, vel ex natura sua, vel attenta fragilitate illius qui in ea se ponit, importet grave periculum peccandi (1) ». Ceterum etiam haec « humano modo » sumenda sunt. Occasionem proximam vel propinquiorem esse saepe constabit iam a priori; haud raro autem partim a priori ex vehementia passionis et fragilitate intrinseca, partim a posteriori ex experientia idem colligetur.

Occasio, quae proximum vel solide probabile continet periculum peccati, sub gravi vitanda est. Ad quod *theoretice plane sufficit formalis occasionis fuga,* qua, adhibendo apta media et orando, grave periculum for-

(1) *Theol. mor.* Tr. 19, qu 5, cap. 4, qu. 1, resp. I.

maliter remotum redditur; *confessarius tamen magis fugam materialem urgeat:* formalis enim facile deceptioni subest. Si tamen materialis physice vel moraliter saltem impossibilis sit, adeoque occasio necessaria habeatur, altera tantum remanet: quo in casu apta adhibere media poenitentem docere convenit.

Demum, licet maiorem quam a quibusdam fit, adstruamus obligationem, *oblivioni* dari nequit conscientiam esse proximam normam moralitatis et a nemine committi peccatum nisi scienter et volenter. Iamvero, si homines tenerae conscientiae excipias, plurimi haud raro occasionibus peccati se exponunt, quin rem advertant; alii obligationem occasiones fugiendi non percipiunt nisi res valde periculosa iam evadat. Quomodo in his adiunctis ad maiorem Dei gloriam et verum animarum emolumentum clariores conceptus paenitentes doceantur, ad altiora dirigantur simulque caveatur ne peccata materialia in formalia mutentur, prudentis erit confessarii in adiunctis concretis discernere.

Utrum autem theoretice thesis nostra « moraliter certa » sit et rationes allatae adeo stringentes, ut practica media via a pluribus magni nominis auctoribus inita deseri debeat, annon, aliis diiudicandum relinquimus.

PAULUS NAPHOLC S. I.

De Ordinatione sacra

I. *De copia aquae in calice qui ordinandis porrigitur.*

Post sacram sui presbyteratus ordinationem, Athanasius edoctus est tam temerarie esse vino permixtam aquam in calice qui ipsi in ordinatione porrectus est tangendus, ut dubium esset utrum aquae an vini maior pars infusa fuerit. Satius tunc visum est ut summo

mane, postera die, ordinatio tota denuo sub condicione iteraretur.

Iam *quaerit* Athanasius utrum recte an potius nimis severe de se actum fuerit.

Resp. Quaenam ritus sacri partes tuto vel minus tuto omitti possint, ex declaratione Ecclesiae, e cuius mente et voluntate ipse valor partim saltem pendet, colligendum est. Interpres autem Ecclesiae hic est potissimum Suprema Congregatio S. Officii ac dein S. Congregatio de disciplina Sacramentorum. Cfr can. 247 et 249.

Iamvero cum anno 1910 in dioecesi N. in calice ordinandis porrecto copia aquae copiam vini *saltem aequasset*, S. C. S. Officii iussit ut sub condicione ordinatio tota iteraretur. (Reperitur in arch. S. C. de disciplina Sacramentorum sub n. 818).

Anno 1925, 21 iun., idem casus anni 1910 eodem modo solutus est.

Atque in litt. Exc. Assessoris S. Officii ad Exc. Secretarium S. C. de Sacramentis haec responsio S. Off. 7 sept. 1892 de casu simili relata est. « Posita facti certitudine, tota s. ordinatio ad cautelam iteretur secreto et sub condicione. Et supplicandum SS. ut suppleat de thesauro Ecclesiae quoad Missas a sacerdotibus sic ordinatis celebratas ».

Quare Athanasio respondendum est, ipsius ordinationem opportune sub condicione iteratam esse, atque huiusmodi normam esse etiam in posterum servandam, nisi, quod longe praeferendum est, maior cura, in re tanti momenti, nullum iam his dubietatibus locum esse sinat.

Severae autem solutionis Supremae Congregationis haec ratio dari posse videtur, quod symbolica traditio materiae in Sacrificio Missae convertendae adulteratur si materia inepta fuerit consecrationi (1).

---

(1) Corrigendus igitur est locus Theol. mor. P. Lehmkuhl, ed. 11, n. 742, ubi haec refert: « ceterum recentiore tempore datum est responsum *quod tuto*

II. *De protensione manus versus ordinandos.*

Dum Episcopus N. *diaconos* ordinabat, per praefationem quae sequitur manus impositionem in caput singulorum ordinandorum, ne per momentum quidem manus versus ordinandos protendit sed toto tempore manus iuxta pectus extensas servavit.

Cum res deliberanda S. Congregationi de Sacramentis esset proposita, consultores interrogati aliquantisper dubii haeserunt, quia in simili casu ordinationis presbyteralis, S. C. S. Officii, 30 nov. 1898 decretum, a Leone XIII 2 dec. 1898 approbatum, edidit, quo ordinationem sub condicione iterandam declaravit si ne immediate quidem ante recitationem *Oremus,* etc. manus extensio non fuerit super ordinandos facta (LEHMKUHL. *Theol mor.,* II, 741 nota 1, ex *Anal. eccl., citat.* VII, 60).

Sed cum iam 7 sept. 1892 transmissum esset ad S. Officium responsum quo S. Congregatio acquiescere iusserat oratorem in cuius ordinatione *diaconali* episcopus manum nullatenus versus ordinandos extenderat, et S. Officium nihil de re observasset, hoc quoque anno 1932 S. C. de Sacramentis diacono de quo in casu respondit: « Acquiescat ». Atque a S. Officio accepit casum similem eadem ratione solutum esse.

Itaque protensio manus maiore rigore in ordinatione presbyterali quam in diaconali habita est necessaria.

A. VERMEERSCH S. I.

---

liceret aquiescere, cum pro vino in calice qui porrigebatur fuisset vinum cum certe maiore quantitate aquae mixtum ».

De verbis can. 1435 § 1 « tempore vacationis beneficii ».

Canon 1435 § 1 n. 1 sic legitur: « Sunt reservata Sedi Ap. Omnia Beneficia, etiam curata quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum R. P., Officialium majorum SS. CC., Tribunalium et Officiorum R. Curiae, et Familiarium etiam honoris tantum, Summi Pontificis *tempore vacationis Beneficii* ».

De canone isto bina haec *quaerunt:*

I. Postrema verba « tempore vacationis Beneficii » referunturne ad solos Familiares, etiam honoris causa, Summi Pontificis, an etiam ad alia beneficia ibi memorata?

II. Quaenam est propria significatio et vis clausulae: « tempore vacationis Beneficii ».

Resp. ad I. Postrema verba ad solos Familiares S. Pontificis referuntur. Id demonstratur ex ipsa litterali verborum structura, cum nulla interpunctio vocem Pontificis a sequente « tempore » separet, et dein quia, ut statim dicetur, soli familiares afficiuntur mutatione propter quam ultima verba in can. 1435 addita sunt.

Ad II. Haec porro est propria significatio istorum verborum, « Familiarium . . . . tempore vacationis Beneficii », ut perinde valeant ac si dixeris: Familiarium qui tales actu fuerint cum Beneficium vacaverit; seu (si morte vacaverit) qui ut Familiares decesserint.

Vis autem clausulae haec est: Ante Codicem vigebat hoc proloquium « quod Beneficium semel affectum semper erat affectum, etiam exstincta causa reservationis ». Quare si Titius beneficiatus qualitatem « Familiaris Pontificis » amiserat, v. g. quia mutato Pontifice non fuit confirmatus, et post duos annos

beneficium eius morte vacasset, beneficium reservatione affectum manebat propter olim habitam qualitatem « Familiaris ». Hodie, contra, beneficium iam non esset reservatum.

Cum canon iste controverteretur et existimaretur ambiguus, insignis Officialis Datariae, nobis petentibus benigne hanc planam et certam declarationem obtulit.

Observes istud: antea sub reservationem cadebant quoque beneficia familiarium Cardinalium.

Audita plana hac et certa declaratione, quis mirabitur quod verba ista « tempore vacationis » interpretes boni nominis locum difficilem et obscurum putaverint, ita ut plures, prudenter sed timide omni explicatione abstinuerint, alii peregrinas interpretationes proposuerint. Ita Eichmann, *Lehrb. des Kirchenrechts*, 1923, p. 459 qui intellegit beneficia ista esse reservata quamdiu non sin collata; et Prümmer O. P. b. m. *Manuale Iuris Can.* ed. 4 et 5, 1927, q. 430, qui, cum aliqua haesitatione supponit locum indicari alicui concursui inter S. Sedem et Ordinarium loci. (Ipse igitur etiam verbum « tempore » aequiperat voci: « quamdiu »). Multo melius in vera lucubratione in *Archiv für Kath. Kirchenrecht,* 1924, p. 282 ss., D. Hilling exponit: « qui tales erant quando vacavit beneficium »; ipse tamen postrema verba ad omnia ibi allegata beneficia refert. Dr. Sipos vero, in *Archiv* 1926, p. 575. 576, adaequatam nostrae consentientem dat interpretationem.

Quaeres quid si beneficia vacaverant per obitum personae quae fuerat ante Cardinalis, Legatus, etc.

Resp. Beneficia ista non erunt praesenti reservatione effecta, quia iam vocari non possint beneficia Cardinalis, Legati, Officialis, etc. Sic etiam Sipos, l. c.

A. Vermeersch S. I.

Applicatio Missae pro populo

I. *Quando in die propria applicari nequit.*

Species facti. — Cum hoc anno 1932 festum Annuntiationis B. M. V. inciderit in Feriam Sextam in Parasceve et ideo, ut in die proprio, translatum sit in feriam II post Dominicam in Albis, i. e. in diem 4 aprilis, quaesitum est utrum qui animarum curam habent, missam pro populo die 4 aprilis applicare debeant annon. Atque in duas oppositas sententias auctores abierunt, cum alii obligationem affirmarint, alii vero existimarint obligationem istam hoc anno cessare, praeter quosdam qui rem dubiam esse declararunt. Tertia autem sententia missam pro populo ad primam liberam diem a parochis vel ab Ordinario dicendam esse tenet.

Casus occurrentis festi Annuntiationis B. M. V. in Feria VI in Parasceve, iam non recurret nisi anno 2006; sed cum similis quaestio movenda sit de incidente eodem festo in Sabbatum Sanctum vel in aliam feriam Hebdomadae maioris, operae pretium est ut eam breviter disputemus.

A. — Videamus argumenta quae pro sententia benigna afferuntur.

1. Principium certum est, tunc tantum obligationem missae pro populo transferri *in diem ad quem,* quando, simul cum officio, transfertur quoque obligatio feriandi. Iam vero die 4 aprilis non est feriandum; ergo obligatio applicandi pro populo die 4 aprilis non habetur.

2. Responsum quidem fuit decreto generali 12 feb. 1690 *(Decr. auth.* n. 1822) festum Annunciationis cum feriatione transferri in Feriam II post Dominicam in Albis quando incidit in Feriam VI in Parasceve vel in Sabbatum Sanctum, ita ut etiam obligatio missae

pro populo habeatur in *die ad quem;* sed decr. istud non iam viget, quia hodie non est feriandum in *die ad quem* festum Annunciationis transfertur; et praeterea decr. 1690 revocatur resp. *S. C. Concilii,* 15 dec. 1913 (A. A. S., 1914, p. 9) quae, in resp. ad I, negavit missam applicandam esse pro populo die in quam festum aliquod suppressum incidat in diem Dominicam aut impeditam festo maioris ritus.

Quaenam vis inest in istis argumentis?

Ad 1. Principium istud tenet cum agitur de festo quod in die *proprio* celebratur cum feriatione; sed quo iure appellari potest si in ipsa die propria non sit obligatio vacandi ab operibus servilibus? Versamur prorsus extra hypothesim principio subintellectam.

Praeterea dubium mere versabatur circa diem qua missa dicenda foret, minime autem circa manentem vel suppressam obligationem.

Ad 2. Responso S. C. C. nullatenus revocatur decr. universale 12 febr. 1690. Cum enim Feria VI nec dominica sit nec festum maioris ritus sed dies aliturgica, Festum Annuntiationis nequit, in casu, impeditum dici *festo* maioris ritus.

Et praeterea decretum istud nullatenus permittit ut missa pro populo omittatur, sed mere statuit qua die celebranda sit.

Quocirca nulla in utroque benignioris sententiae argumento vis inesse cernitur.

B. — Sententiae autem quae affirmat obligationem missae pro populo esse hoc anno in die 4 aprilis urgendam, haec sunt argumenta.

1. Quaestio de die qua celebrandum est pro populo tunc tantum ponitur cum pro die a quo vel pro die ad quem responderi potest. Sed in casu praesenti numquam pro die a quo responderi potest, cum sit dies aliturgicus. Restat igitur ut, in hoc anno 1932, unica dies propria festi Annuntiationis sit dies 4 aprilis. In

die autem propria Annuntiationis est obligatio celebrandi pro populo. Itaque die 4 aprilis fuit obligatio applicandi missam pro populo.

2. Antea, expresse, et quidem decreto generali sancitum est, missam pro populo esse applicandam in diem in quam Annuntiatio B. M. V. transfertur. Tunc quidem ipsa feriatio transferebatur. Cum autem hodie etiam in die 25 martii, vel in Parasceve nulla sit feriatio, consideratio feriationis omittenda iam est, sed remanet altera pars decreti 1690, missam pro populo simul cum festo esse transferendam, tamquam in diem in qua esset feriandum nisi feriatio istius festi esset penitus suppressa. Atque etiam si dixeris id non prorsus constare, can. 6, 4⁰ nos monet in dubio non esse a veteri iure recedendum. Ac resp. Pont. Commissionis Interpr. Codici, 17 feb. 1918, expresse declaravit, nihil in hac re (festorum in quibus missa pro populo applicanda est) per Codicem iuris canonici immutatum esse a disciplina hucusque vigente (*Per.*, IX, p. 82).

Accedit haec confirmatio, secundum sententiam benigniorem obligationem hoc anno cessare. Sed, quamvis casus sint in quibus per unam Missam pro populo (ut si festum incidat in Dominicam) duplici titulo obligationis satisfieri queat (resp. S. C. Conc. 9 aug. 1913) nulla *cessatio* obligationis in iure praevidetur.

N. B. Sententiam nostram tamquam certam proponit Haegy, C. S. Spir. *Manuel de Liturgie*, ed. 12, vol. I p. 169. Ut magis consulta proponitur in *Eph. Liturgicis* 1931, p. 419, ita ut in Ordine servando iuxta calendarium universalis Ecclesiae pro anno Domini 1932, signum missae pro populo applicandae ad diem 4 aprilis apposuerint. Idem factum est etiam in calendario universali Neapoli edito. In calendario S. Ioannis in Laterano, nulla indicatio data est, sed parochus existimavit missam pro populo qualibet alia die libera esse celebrandam.

Perspectis rationibus, sententiam benigniorem ut improbabilem habemus.

C. — Quid autem de tertia sententia, quae obligationem missae pro populo negat implendam esse in Feria II post Dominicam in Albis, cum feriatio desierit, sed permittit ut aliqua die libera celebratur?

Cum feriatio re vera desierit, et die 18 aug. 1879 (*Decr. auth.* n. 3503) responsum sit: « Si Feria V in Coena Domini parochus non celebrat missam conventualem, debet ad primam Sacri celebrationem applicara pro populo » (ad III) Sententia ista nobis non videtur probabilitate carere.

Si autem alia die Hebdomadae sanctae Festum Annuntiationis occurrerit, obligatio celebrandi pro populo diei 25 mart. affixa manet. Sic enim in modo citato decreto 1879 ad IV, responsum est de casu quo festum Annuntiationis in Feria V in Coena Domini occurreret.

Denique si occurrerit in Sabbato Sancto, satius erit ut missa pro populo celebretur Feria II post Dominicam in Albis, quo die totum festum Annuntiationis erit celebrandum. Improbabile tamen non est licere parocho ut, si tunc celebraverit, in ipso Sabbato Sancto Missam pro populo applicet; si non celebraverit, ut eam in proximam diem liberam transferat.

II. *Quando festum patroni transfertur.*

In dioecesi T. festum Patroni loci affixum erat dominicae I. Novembris. Post reformationem Breviarii affixum est diei 4. Novembris quoad officium et missam sub ritu I. classis cum octava, sollemnitate externa remanente in dominica I. Novemb.

Quaeritur num obligatio missae applicandae pro populo subsistat die 4. Novembris, an dominica prima Novembris?

Resp. Ut supra diximus, cum agitur de festo cum annexa feriatione, norma haec perspicua datur, obligationem dicendi missam pro populo tunc solum transferri si ipsa obligatio vacandi ab operibus servilibus transferatur.

In praesenti festum patroni loci non habet feriationem annexam. Sed inde colligere possemus eam esse Ecclesiae mentem ut missa pro populo celebranda sit quando populus festum celebrat.

Iam vero cur sollemnitas festi reponitur in Dominica? Ratio est quia extra Dominicam celebratio popularis vix sperari potest.

Observandum tamen est duplicem distingui externam sollemnitatem: alteram, proprie dictam, quae Missam sollemnem de festo complectitur, alteram, lato sensu talem, quae ritum Missarum nullatenus afficit.

Itaque, dummodo agatur de sollemnitate proprie dicta cum sacro sollemni, quam Ordinarius ex indulto S. Sedis indixerit, ex ratione data colligeremus in dioecesi T. missam pro populo dominicae primae Novembris manere affixam, ita ut in ea die Episcopus et parochi una celebratione pro populo duplici titulo obligationis: patrono loci et Dominica satisfacerent.

Verum, maxime in his rebus, positiva S. Sedis responsa attendenda sunt. Iam vero, die 6 mart. 1896, in *Quebecensi,* S. Rituum Congregatio Ad I, quaest. 2 « An subsistat die qua *celebratum officium* translatae sollemnitatis, obligatio parochorum Missam celebrandi pro populo? ». Respondit: *Affirmative* (*Decret. auth.* n. 3890). Et iam antea, 28 mart. 1801, in *Cameracensi,* eadem S. Congr. responderat (Decretum non est inter decr. auth. insertum) obligationem *in festis suppressis* subsistere. Festorum tamen quae decreto C. Caprara in Gallia suppressa sunt, sollemnitas in Dominicam translata est.

Itaque, omnibus perpensis, responderi debet in

dioecesi T., post praefatam reformationem, missam pro populo esse die 4 novembris celebrandam.

N. B. In istis Dominicis in quibus sollemnitas Epiphaniae, etc. celebratur, parochus missam pro populo dicere debet conformem officio diei, exclusa missa sollemnitatis, nisi indultum Apostolicum accesserit (S. R. C. 27 maii 1911. *Decr. auth.* n. 4269 ad VIII).

De festis in Calendarium universale inductis post annum 1914.

Anno transacto tria nova festa praescripta sunt in Calendario universali. Imposterum enim, die 13 maii recolere oportet S. Robertum Bellarmino, die 11 octobris Maternitatem beatae Mariae Virginis, ac die 15 novembris S. Albertum Magnum. Ideo festum S. Gertrudis a die 15 novembris in die 16 eiusdem mensis reponitur; eius vero dies natalicia est dies 17 novembris.

Capta hac occasione, iuvat conspectum exhibere omnium festorum, quae post editum novum Breviarium seu post annum 1914 in Calendarium universale inducta sunt. Breviarium reformatum editum est anno 1914, Missale vero anno 1920; quae editiones anno 1923 in nonnullis rubricis mutatae sunt. Adhibito conspectu sequenti festorum novorum, unusquisque facile examinare potest, utrum sive Breviarum sive Missale editum post annum 1914 contineat omnia festa hucusque in universali Ecclesia celebranda.

Inprimis dicendum est ab anno 1914 ad 1919 nullum novum festum additum esse Calendario universali. Sed ab anno 1920 quatuordecim nova festa inducta sunt et duo mutata, scilicet festum S. Cordis Iesu praeter octavam instructum est novo officio et nova Missa; praeterea S. Ioannes a S. Cruce elevatus est ad dignitatem Doctoris Ecclesiae et idcirco partes non proprias accepit e Communi Doctorum.

Praefata sedecim festa ab anno 1914 (seu 1920) inducta dupliciter hic recensentur: I. secundum quattuor partes Breviarii, quibus inserenda sunt; II. secundum annos, quibus a S. Sede praescripta sunt.

I. *Sedecim festa ita quattuor partibus Breviarii accensenda* sunt, cauto quod dies in initio lineae positus indicet diem celebrationis festi; in fine lineae vero data uncis inclusa significet tempus inductionis festi, seu decretorum S. Sedis.

Pars Hiemalis. — Dominica infra oct. Epiphaniae: S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, *duplex maius;* cum variationibus in officio Octavae Epiphaniae (26 octobris 1921).

Pars Verna. — 24 martii: S. Gabrielis Archangeli, *duplex maius* (26 octobris 1921).

27 aprilis: S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doctoris, *duplex* (24 nov. 1926).

13 maii: S. Roberti Bellarmino, Episcopi, Conf. et Eccl. Doctoris, *duplex* (17 sept. 1931).

Pars Aestiva. — Feria VI infra hebd. II post Oct. Pentecostes: S. Cordis Iesu, *duplex I classis* cum Octava privilegiata 3 ordinis (8 maii 1928; 29 ianuarii 1929).

18 iunii: S. Ephraem Conf. et Eccl. Doctoris, *duplex* (5-14 octobris 1920).

28 iunii: S. Irenaei Episcopi et Martyris, *duplex* (26 oct. 1921).

9 augusti: S. Ioannis Mariae Vianney Conf., *duplex* (14 martii 1928).

19 augusti: S. Ioannis Eudes Conf., *duplex* (9 maii 1928).

Pars Autumnalis. — 3 octobris: S. Teresiae a Iesu Infante Virg., *duplex* (13 iulii 1927; Missa propria: 14 martii 1928).

11 octobris: Maternitatis B. Mariae Virginis, *duplex II classis* (25 decembris 1931).

17 octobris: S. Margaritae Mariae Alacoque Virg., *duplex* (26 iunii 1929).

24 octobris: S. Raphaelis Archangeli, *duplex maius* (26 oct. 1921).

Ultima Dominica octobris: D. N. Iesu Christi Regis, *duplex I classis* (11-12 decembris 1925).

15 novembris: S. Alberti Magni Episcopi, Conf. et Ecclesiae Doctoris, *duplex* (16 decembris 1931).

24 novembris: S. Ioannis a S. Cruce Conf. et *Ecclesiae Doctoris*, *duplex* (24 aug. et 24 nov.1926).

Hoc modo sedecim festa dividuntur in quatuor partes Breviarii. Sequens conspectus exhibet eadem sexdecim festa disposita ordine annorum quibus praescripta sunt; ritus vero, dies celebrationis etc. in praecedenti conspectu indicantur. Qui igitur examinare vult Breviarium vel Missale, inspiciat quo anno editum est, scilicet 1914 vel serius. Deinde examinet, utrum festa annis posterioribus iuxta insequentem elenchum praescripta iam addita sint necne.

II. Sedecim festa his annis in calendarium universale inducta sunt.

1920: S. Ephraem.

1921: S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph (cum variationibus in officio octavae Epiphaniae), S. Gabrielis, S. Irenaei, S. Raphaelis.

1925: D. N. Iesu Christi Regis.

1926: S. Petri Canisii, S. Ioannis a Cruce Conf. et *Eccl. Doctoris.*

1927: S. Teresiae a Iesu Infante (Missa propria: 1928).

1928: S. Cordis Iesu, S. Ioannis Vianney, S. Ioannis Eudes.

1929: S. Margaritae Mariae Alacoque.

1931 : S. Roberti Bellarmino, Maternitatis B. Mariae Virginis, S. Alberti Magni.

Iuxta hos duos conspectus facile Breviarium et Missale suppleri possunt, si post annum 1914 edita sint.

Franciscus Xav. Hecht P. S. M.
Limburgi ad Lahnam.

De privilegio Fidei. Solutio ex S. C. S. Officii, 2 apr. 1924.

Elisabeth Bukowicz, nata anno 1896, baptizata, educata in religione acatholica, anno 1919 matrimonium iniit coram magistratu civili cum Carolo Bukowicz, iudaeo.

Quod matrimonium infaustum exitum habuit et a iudice civili dissolutum est.

Nunc mulier ad catholicam religionem conversa (d. 26 Iunii h. a.) viro catholico nubere intendit. Quapropter a tribunali ecclesiastico petit:

1) ut vel matrimonium suum cum viro iudaeo invalidum declaretur propter obstans impedimentum disparitatis cultus;

2) vel concedatur privilegium Paulinum, ut valide novum matrimonium inire possit.

Quod ad impedimentum disparitatis cultus, videtur hoc impedimentum in casu non obstare. Nam quamvis antea impedimentum disparitatis cultus irritasset matrimonia inter personam baptizatam (sive catholicam sive acatholicam) et non baptizatam, tamen post Codicem in vim legis deductum (i. e. die 19 maii 1918) canone 1070 § 1 impedimentum disparitatis cultus restrictum est ad personam non baptizatam quae con-

trahit cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.

Quare in casu, cum agatur una ex parte de persona non baptizata, altera ex parte de persona baptizata in religione non catholica et illo tempore nondum ad religionem catholicam conversa, impedimentum disparitatis iuxta tenorem can. 1070 non verificatum esse videtur.

Quod vero ad privilegium Paulinum, can. 1120 § 2 expresse statuit hoc privilegium non obtinere in matrimonio inter personam baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

Quare dubium restat, utrum in tali casu nihilo minus, forsan propter baptismum ab una parte ante matrimonium iam receptum, privilegium Paulinum locum habeat an non, resp. revera obtinere possit.

Cuius dubii solutionem a S. V. humillime postulare audeo. Et Deus, etc.

A. Card. BERTRAM
Princeps Episc. Wratislaviensis

S. Off. respondit 2-IV-1924:

« Perpensis omnibus casus adiunctis, mulierem admitti posse ad novum matrimonium cum viro catholico contrahendum ».

SS. D. N. Pius XI approbavit.

ANNOTATIO

Estne mera solutio an intervenerit quoque usus potestatis quae Pontifici absque dubio competit dissolvendi hoc matrimonium quod non fuit ratum quamvis fortasse fuerit consummatum; id non liquet.

Quare responsio ista usum privatum similium casuum prudenter fundare nequit.

A. VERMEERSCH S. I.

De applicatione privilegii Paulini in casu matrimonii inter partem dubie baptizatam et infidelem initi.

Agitur de matrimonio valide inito necnon consummato inter Elisabeth in haeresi nata, baptizata atque instructa, et Iohn infidelem. Ambo in America Septemtrionali degunt. Agitur ergo de matrimonio cuius vinculum est ab intriseco omnino indissolubile et per se sola morte alterutrius abrumpi potest, nisi interveniat externa Dei auctoritas.

Iamvero, cum Iohn infidelis ab auctoritate civili, quae nostris temporibus, maximo cum Societatis detrimento, ius divinum in vinculum matrimoniale sibi usurpare praesumit, divortium perfectum obtinuerit, *quaeritur* utrum auctoritas divina in favorem Elisabeth, nunc catholicae, invocari liceat *vi privilegii* a Christo Domino concessi et *per S. Paulum promulgati,* ita ut Elisabeth, relicto definitive Iohn, novum validum et licitum contrahere valeat matrimonium cum Amedeo catholico.

Statim ab initio responsum damus *affirmativum*, duabus tamen sub condicionibus:

a) Quod baptismus Elisabeth in haeresi susceptus sit positive dubius; quod quidem dubium deducere non licet ex solo facto reiterati sub condicione baptismi, sed simul ex eo quod casus propositus est S. Congregationi de Propaganda fide in ordine ad applicationem privilegii Paulini; etenim si baptismus Elisabeth iteratus fuisset tantum ad cautelam, absque positivis rationibus dubium fundantibus, ne sermo quidem esse potuisset de applicatione privilegii Paulini; nec huiusmodi ignorantiam canonicam in casum proponente praesumere licet.

b) Quod positiva Ecclesiae disciplina de inter-

pellationibus praemittendis, ad normam can. 1121 § 2, sedulo serventur.

Ut responsum nostrum omni ex parte eluceat, ipsum privilegium Paulinum paucis expendere iuvabit.

Privilegium hoc desumitur ex I Cor. c. 7 v. 15 in coniunctione cum immediate praecedentibus: « Quod si infidelis discedit, discedat (pars fidelis): non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus ».

Hunc locum S. Scripturae constans Ecclesiae traditio ita est interpretata ut dicat: *Privilegium Paulinum* consistere in generali Dei permissione solvendi vinculum matrimoniale *non baptizatorum* et quidem in casu dumtaxat in quo *una pars* ad fidem convertitur et simul alia pars infidelis renuat ulterius cum baptizata cohabitare vel nonnisi cum contumelia Creatoris.

Relinquo theologis legitimam huius privilegii deductionem ex textu allato demonstrare. Sufficiat in memoriam revocare constantem et uniformem interpretationem ex parte Ecclesiae, praesertim inde a Decreto Gratiani (1145) ad nostra usque tempora; quae mens Ecclesiae maxime elucet ex 55 responsis a S. C. S. Officii semper in favorem privilegii datis.

Condiciones autem praerequisitae et essentiales *ad validam* applicationem privilegii Paulini in casu concreto sunt:

1) Quod matrimonium initum sit inter infideles i. e. *inter non baptizatos,* ad normam can. 1120 § 1 « Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino ».

2) Quod *una dumtaxat* pars convertatur et valide baptizetur, sive in Ecclesia catholica *sive* in acatholica secta, uti hodie communiter defenditur, ex eo quod fundamentum huius privilegii non est de se vera fides

sed potius Sacramentum fidei i. e. baptismus. — Cfr ARENDT « Gregorianum » 1923, pg. 241 ss.; 319 ss.

3) Quod pars infidelis *discedat* a parte fideli sive *physice* sive *moraliter*, i. e. quod de facto partem baptizatam derelinquat qualicumque motivo perverso, cui tamen pars fidelis iustam causam non dederit, vel saltem quod pacificam cohabitationem, nempe absque Creatoris contumelia, detrectet (can. 1121). Haec condicio effectum suum producit *quocumque tempore* verificetur post baptismum ab una parte susceptum, licet inter se denuo matrimonium consummarint (can. 1124 cum citatis ibidem responsis S. C. S. Off.).

4) Quod novum matrimonium partis fidelis contrahatur cum fideli, i. e. cum baptizato: hoc enim elucet ex ipsius privilegii natura et scopo necnon ex positiva Ecclesiae dispositione (can. 1123. 1124). Quodsi pars cui fidelis nubere voluerit non est catholica sed haeretica, matrimonium quidem validum erit sed illicitum, nisi fiat cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis (quae dispensatio raro omnino conceditur).

5) Quod praemittantur sic dictae interpellationes ad normam can. 1121 § 1 et 2, sine quibus vix constare potest de verificata condicione 3ª scil. de perversa voluntate partis infidelis discedentis.

Positis omnibus his condicionibus, *ex novo* matrimonio abrumpitur vinculum prioris, et quidem ita ut et ipsa pars infidelis novum inire possit matrimonium si velit.

Nunc autem in luce harum condicionum essentialium *ad valorem* pro applicatione privilegii Paulini, mira fortasse videtur nostra solutio casus: Nonne deest prima et fundamentalis condicio de matrimonio scil. in infidelitate *utriusque* contracto? nam dicitur Elisabeth baptizata et instructa in secta acatholica, qui casus implicite exclusus videri possit can. 1120 § 2. « Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter

partem baptizatam et partem non baptizatam, inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ».

Nihilo minus privilegium Paulinum in casu omnino applicandum videtur. En rationes:

a) Imprimis can. 1120 § 2 casum nostrum non comprehendit; ibi enim supponitur matrimonium initum cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, dum hic nec impedimentum obstabat, nec, ut maxime veri simile est, de dispensatione petenda cogitatum est.

b) Praeterea dum baptismus Elisabeth positive dubius manet — uti rationabiliter praesumimus — nequit dici cum certitudine deficere condicionem illam fundamentalem matrimonii in infidelitate utriusque.

c) Tandem, stante dubio positivo circa baptismum Elisabeth aliisque condicionibus omnibus verificatis, recurrimus pro comprobanda nostra assertione ad can. 1127 in quo enuntiatur hoc principium: « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris », i. e. uti explicat WERNZ-VIDAL « in re dubia iudicandum est in favorem libertatis partis fidelis ita ut novum matrimonium ipsi permittatur aut in novo iam contracto permanere liceat » *(Ius Decret.*, V, p. 756 Cfr quoque notam 61, p. 757).

Ut autem vis nostrae argumentationis intimius perspiciatur, animadvertendum est, cum VERMEERSCH-CREUSEN *Epitome iuris can.* II n. 427 aliisque commentatoribus, illud principium iuridicum complecti cum privilegium fidei simpliciter tale, tum privilegium Paulinum, quod ad ipsum refertur (est enim can. 1127 ultimus ex canonibus de privilegio paulino).

Privilegium fidei latius patet quam privilegium Paulinum, atque ita definitur: « est ius eligendi *in quovis casu dubio* solutionem vere probabilem quae fidei acquirendae aut servandae favet » (cf. CREUSEN, l. c.). Unde ex privilegio fidei potest Rom. Pontifex,

etiam ubi condiciones privilegii Paulini certo desunt, matrimonium in infidelitate utriusque vel etiam alterutrius initum dissolvere in favorem fidei, vi plenitudinis potestatis vicariae quam habet.

Dum e contra *privilegium Paulinum* restringitur ad solos casus in quibus condiciones taxative designatae et supra allatae *aut* certo verificantur *aut* probabiliter adsunt. Quare verba « *in re dubia* » can. 1127 certo referenda sunt ad quodlibet dubium in ordine ad matrimonium cum infideli aut etiam haereticorum inter se, et pro diversitate dubii applicandum est aut privilegium fidei aut privilegium Paulinum.

Iamvero in nostro casu habetur — ex supposito — dubium positivum circa validitatem baptismi Elisabeth ante primum matrimonium, et consequenter condicio *fundamentalis privilegii Paulini,* scil. matrimonii contracti in infidelitate *utriusque* probabiliter impletur. Quoad validitatem ipsius matrimonii nullum est dubium positivum, quia agitur de matrimonio post novum Codicem inito, in quo sublatum est impedimentum disparitatis cultus pro baptizatis in haeresi.

Praeterea omnes aliae condiciones privilegii Paulini in casu verificatae videntur. Adest nempe conversio Elisabeth ad fidem catholicam ; baptismus iteratus sub condicione est certo validus ; Amedeus, cum quo contrahere vult est et ipse catholicus ; Iohn discessit saltem physice et quidem, uti praesumere licet, absque iusta causa, quae condicio, si casus ferat, adhuc verificari potest mediante interpellatione non omittenda.

Unde, stante et perseverante dubio positivo de validitate primi baptismi Elisabeth, verificatis aliis condicionibus omnibus privilegio Paulino inhaerentibus, servatisque interpellationibus, vi canonis 1127, concludendum videtur Elisabeth posse valide et licite novum inire matrimonium *ex sola privilegii Paulini applicatione,* quin recurratur ad privilegium fidei.

Confirmatur solutio nostra maxime responso quod S. C. de Prop. Fide, 16 iulii 1926 misit ad Excell. Episcopum Trincomaliensem (Prot. n. 2457/26) partem catholicam, postquam iterum sub condicione baptizata fuerit, uti posse privilegio Paulino, post factas interpellationes.

Confirmatur quoque implicite auctoritate canonistarum. Etenim, quamvis quaestionem explicite non pertractent, tamen *in designandis rebus dubiis* de quibus in can. 1127 nobis consentire videntur, ex eo quod inter alia enumerant etiam dubium « circa validitatem baptismi *ab una parte* recepti » ante matrimonium. Ita v. g. VERMEERSCH-CREUSEN II, n. 437 - CAPPELLO « *De matrimonio* » n. 788, et alii. Mens autem P. CREUSEN S. I. adhuc clarius elucet ex eo quod post enumerationem omnium dubiorum, quae citatus canon in ordine ad privilegii Paulini applicationem comprehendit, sibi hanc proponit quaestionem : « Quid si dubium sit de Baptismo *utriusque* partis ? scil. si pars dubie baptizata in secta acatholica velit ad Ecclesiam catholicam redire et altera pars dubie quoque baptizata in eadem vel alia secta pacifice cohabitare nolit, *licebitne uti privilegio Paulino ?* »

Attamen nostrae solutioni obstare videtur can. 1070 § 2 : « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata habebatur, *aut eius baptismus erat dubius,* standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse alteram vero non baptizatam ». Sed canon iste matrimonium supponit inter duas partes certo vel dubie baptizatas celebratum, dum hic altera pars est certo non baptizata.

CAND. SANTINI S. I.

De Cautionibus in Matrimoniis Mixtis.

Quaeritur utrum matrimonium inter partem catholicam et partem acatholicam baptizatam sit invalidum quando sacerdos assistens, sine iusta causa, aut ex dolo aute ex ignorantia crassa, neglexerit obtinere cautiones a can. 1061 requisitas.

Dispensatio super impedimento *mixtae religionis* in casu certe est invalida (1). Matrimonium tamen non potest irritum fieri ex defectu dispensationis, cum mixta religio sit mere impediens seu prohibens impedimentum.

Alia ratio invaliditatis proponi potest ex capite defectus formae. Matrimonia catholicorum siquidem nunc sunt invalida generatim nisi assistat parochus vel alius legitime ab Ecclesia delegatus. Profecto Ecclesia nolit assistere ad matrimonia ubi periculum perversionis manet. Ergo dicitur Ecclesia in casu non adstare matrimonio quod proinde est invalidum.

Ad hoc invaliditatis argumentum pensandum, considerandum est quonam in sensu presentia Ecclesiae sit necessaria ad matrimonii validitatem, et quo fine sic statuatur.

Iure naturali huiusmodi assistentia Ecclesiae non est necessaria. Essentia matrimonii requirit mutuum partium consensum qui convenit ut sit publice expressus. Antiquitus, assistentia Ecclesiae non requirebatur - saltem ad validitatem. - A Concilio Tridentino introducta et pressius definita decreto *Ne Temere*, nunc exprimitur in Codice, can. 1094-1103. Invaliditas, igitur, ex defectu formae non habetur nisi in quantum statuta fuerit ab Ecclesia. Si exsistit dubium iuris

(1) Ac proin dispensatio ista nullam firmitatem daret matrimonio quod, sine cautiionibus, etiam ex errore vel oblivione parochi, celebraretur inter catholicum et partem non baptizatam.

utrum obligatio formae extendatur ad talem vel talem casum, tunc matrimonium validum est non solum e presumptione can. 1014 sed etiam ex can. 15.

Propositum argumentum de invaliditate matrimonii in casu clare non est certum, quia prima facie minime patet. Quoniam in casu saltem externa assistentia Ecclesiae obtinet, onus probationis videtur manere apud eum qui dicit matrimonium esse invalidum. Ex dicendis patebit propter dictum argumentum vix ullum pro nullitate positivum dubium urgeri posse.

Si dicitur quod Ecclesia nolit assistere, respondere possumus quod non constat Ecclesiam velle imponere obligationem formae adeo ut in eius ministro requiratur bona fides.

Praesumptio pro validitate confirmatur ex analogia cum aliis casibus in quibus mala fides ministri non tollit validitatem, ut v. g., in confectione ceterorum sacramentorum. Baptismus ab haeretico vel apostata potest esse validus ; similiter etiam confirmatio vel ordinatio, etc. Confirmatur pariter ex provisionibus legis ne actus sit invalidus propter occultum defectum. Ad exemplum, Ecclesia (can. 209) supplet iurisdictionem in errore communi.

Ne dicatur Ecclesia in nostro casu cooperari in actum nefarium. Uti supra dictum fuit, Ecclesia non tenetur extendere obligationem suae presentiae ad talem casum. Non assistit quidem formaliter ad hoc matrimonium (si vis) ; sed ab aliunde non probatur extendisse ad talem casum obligationem huiusmodi formalis presentiae.

Notum est quod Ecclesia in sua iurisprudentia semper voluit ut lex de obligatione suae presentiae strictae interpretationi subesset, ita ut locus semper esset pro mera externa vel passiva presentia. Ita ex iure Tridentino mera physica presentia parochi sufficiebat. Clarum exemplum huius videre est apud pulcherrimam

fabulam: *I Promessi Sposi*, a Manzoni conscriptam. Verum est quod huiusmodi passiva assistentia, sicut etiam illa quae olim permittebatur a Gregorio XVI in litteris ad Episcopos Hungariae, d. 30 aprilis 1841, non amplius valet; sed nunc agitur de alio genere passivae assistentiae quae non videtur adhuc sublata fuisse.

Quaedam in iure sunt apertae exceptiones de presentia sacerdotis pro validitate. Ita can. 1098 dat casum in quo ne physica quidem presentia sacerdotis requiritur. Positiva exceptio ibi requiritur, quia secus talis casus includeretur in generali tenore legis communis. Acatholici excipiuntur de obligatione formae can. 1099 - non tamen positive sed negative seu per implicationem. Lex enim dicit omnes in catholica Ecclesia baptizatos vel ad eam ex haeresi aut schismate conversos teneri et tacet de ceteris. Ita non est exceptio expressa pro casu nostro, quia (in nostro sensu) nullo modo includitur in generali tenore legis.

Nec miretur quod Ecclesia taceat de mala fide ministri in hoc casu. Quaedam in iure sunt prohibita quin violatio sit crimen canonicum in sensu technico. Quaedam sunt peccata quorum nulla mentio in iure, quia distinctio est inter theologiam et ius canonicum, nec potest Ecclesia statuere de omnibus violationibus legis Dei (1). Immo statutum nullitatis non est per se poena, aliquando est levamen. Ecclesia potest statuere poenam pro crimine in casu, sed ex hoc non sequitur quod debeat statuere invaliditatem actus.

Pro passiva cooperatione in re nefaria certe debet adesse ratio proportionate gravis. Ita in casu supradicto Gregorius XVI protestatus fuit se ad hanc tolerantiam unica de causa adduci seu pertrahi, ne gra-

(1) Utrum casus noster cadat sub can. 2364 nescio, quia sacerdos non est p oprie dictus minister, certe tamen quoad nupturientes cadit sub can. 2375.

viora Ecclesiae catholicae incommoda obvenirent. Non constat tamen quod exsistentia huiusmodi causarum proportionate gravium necessaria sit usque ad validitatem. Iterum adnotare debemus quod obligatio assistentiae Ecclesiae oritur non ex ipsa natura matrimonii sed nonnisi ex positiva lege ecclesiastica. Insuper ista passiva assistentia quam modo ita vocavimus, si umquam assistentia appellari potest, justificatur pariter ex gravioribus malis quae secus obvenirent.

Etenim, si hoc matrimonium invalidum sit propter defectum formae, potest matrimonium esse invalidum quando partes sunt in bona fide. Concipi potest casus in quo utraque pars cautiones emitteret et impleret si sciret, sed nescit obligationem quia parochus, sive ex dolo sive ex crassa ignorantia, eos non monuit. In tali re pariter concipi potest casus in quo etiam sine cautionibus non sit grave periculum perversionis, quia pars acatholica, aut indifferens aut benigna erga Ecclesiam, minime intendit obstare quominus altera pars et proles sint boni catholici.

Immo, notum est quod etiam nunc Ecclesia quandoque permittit celebrationem matrimonii sine formali cautione saltem ab una parte (ut in Sinis vi decreti S. O. 5 apr. 1918). Quando agitur de revalidatione, etiam ultro processit et concessit interdum Episcopis facultatem qua possint sanare in radice matrimonia quando pars acatholica renuit renovare consensum ad debitam formam vel dare cautiones. Igitur non possumus dicere mentem Ecclesiae esse omnino et absolute fixam contra quamlibet omissionem formalium cautionum.

Insuper, si matrimonium de quo agitur est invalidum propter defectum formae, tunc invalida ex eodem capite esse debent cetera matrimonia quibus assistunt sacerdotes quin impleant ea quae ad liceitatem exiguntur. Ubi lex non distinguit nos distinguere non debemus. Si dicitur agi heic de obligatione iuris divini,

iam satis de hoc locuti sumus ubi de speciali passiva seu negativa assistentia et ubi de distinctione inter prohibitionem et invaliditatem diximus.

Non tenetur quidem (uti diximus); sed si Ecclesia vellet statuere invaliditatem omnium matrimoniorum in quibus cautiones non haberentur, consonantius directe et explicite hoc statueret. Tunc non esset dubium vel error, nec traheretur invaliditas ad casus ad quos non debet extendi.

Tandem philosophice loquendo, possumus dicere quod, in hoc, Ecclesia nonnisi externam apparentiam praescribit. Insinuatur ex ipsis verbis. Praescribitur forma — non substantia. (Vocatur quidem quandoque forma substantialis — non autem substantia.) Utique Ecclesia, hoc praescribendo, vult aliquid efficere. Siquidem intendit cavere ut omnia rite ordinentur ad substantiam vel rectam celebrationem matrimonii. Attamen lex praescribit tantum medium quod (ordinarie loquendo) aptum sit ad desideratum effectum. Si medium lege praescriptum adest, etiam si, in casu, effectus bonus impeditur, legis praescriptum impletur — saltem ad validitatem. Verum est quod quaedam nunc praescribuntur praeter externam et mere physicam sacerdotis praesentiam. Haec tamen taxative praescribuntur. Quod sacerdos immunis sit ab omni mala fide non praescribitur.

GUALTERIUS IOSEPHUS COLEMAN
sacerdos Societatis Maryknoll
Peng Yang, Korea.

De exclaustratione et saecularizatione

I. Cum in plenario coetu Em. Patrum S. Congr. de Religiosis dubium moveretur de aequivalente executione indulti saecularizationis per admissionem

religiosi in dioecesim, satius visum est Em. Patribus, 27 nov. 1931 formulam rescripti hoc modo reformare:

« Vigore facultatum a SS.mo D.no N. concessarum, Sacra Congregatio negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto N. N. et attentis litteris testimonialibus Ordinarii N. N., benigne indulget..... ut dummodo Orator de novo titulo sit provisus, vel ipsius Ordinarii iudicio, eius congruae sustentationi aliter cautum sit, ipsi, deposita exteriore forma habitus religiosi, Indultum saecularizationis, per Decretum huius Rescripti executoriale in scriptis exaratum, concedere valeat; ita ut Religiosus liberatus a votis in Religione emissis, firmis oneribus Ordini maiori adnexis, eo ipso maneat incardinatus Dioecesi N. N. ad normam Can. 640, I n. 1 et 2, et 642,2 Codicis Iuris Canonici. Exemplar autem Decreti exsecutorialis supradicti Rescripti communicetur tum cum Sacra Congregatione, tum cum Superiore Generali.....; et interim, donec omnia quae hic praescripta sunt adimpleta fuerint, Religioso ne liceat a Religione egredi, neque Ordinario eumdem Religiosum in suam dioecesim recipere.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

SS.mus in Audientia diei 30 Novembris 1931 approbavit.

VINC. LA PUMA, *Secretarius.*

II. Titius religiosus, reperto Episcopo benevolo receptore, obtinuit ut ab eo in dioecesim cooptari posset. Quaesitum est utrum annon indulto exclaustrationis opus haberet.

Opus habere manifestum est. Cooptatio in dioecesim formalem exclaustrationem praevie requirit. S. C. mere concessit ut, praevia debita exclaustratione, Ep.us religiosum cooptaret. Responsum ipsa formula hic praefata confirmatur.

De instrumentis musicis in templo.

In MOTU PROPRIO PII X (*Decr. auth.* S. C. R., n. 4121 § 15) edicitur numquam adhibenda esse alia instrumenta musica (praeter organum) « sine speciali venia ORDINARII iuxta Caeremonialis Episcoporum praescripta ». Ni fallor, alius locus non habetur in Caeremoniali nisi lib. 1 c. 28 n. 11: « nec alia instrumenta musicalia addantur nisi de consensu Episcopi ».

Quaeritur igitur, quomodo intellegenda sit vox ORDINARII in cit. MOTU PROPRIO, nempe in sensu can. 198 includendo etiam Superiores maiores religionum clericalium exemptarum, aut iuxta verba Caeremonialis Episcoporum, de Episcopis tantum? Videtur saltem de Ordinariis locorum intelligenda, nisi omnes Ordinarii comprehendantur.

Resp. Cum decreto « Motu Proprio » PII X dato explicite nos remittat ad praescriptum Caeremonialis Episcopi, Caeremoniale autem consensum *Episcopi* exigat, Ordinarius intellegendus est vel Episcopus seu Quasi-Episcopus (Abbas *nullius*, Vicarius apostolicus, Praefectus apostolicus, etc.) et Ordinarius qui una est cum Episcopo persona. i. e. Vicarius generalis, seu Ordinarius loci.

Accedit haec ratio, usum instrumentorum pertinere ad sacras fidelium administrationes in quibus etiam regulares Episcopis subsunt.

A. VERMEERSCH S. I.

Varii Casus Conscientiae

I. *Titulus missionis.*

In missione nostra omnes seminaristae ad titulum missionis ordinantur. An tenentur iureiurando promit-

tere fore ut missionis servitio se perpetuo devoveant? An tale iusiurandum impediet ingressum in statum religiosum?

R. Praestandi huius iusiurandi obligatio expresse imponitur canone 981 § 1. Hoc iam resultabat ex Instructione S. C. de Prop. F., 27 apr. 1871, n. 8: « Non secus ac Alumni Collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros Ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant Missioni cui destinati sunt, vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos... ».

His S. Cong. interdicit ingressum in religionem sine S. Sedis licentia. Sic enim se habet n. 10: « Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii cui intererit, relatione, iudicare utrum Missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, quae aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit ».

In fine Instructionis habetur formula iuramenti quae sic incipit: « Ego N... spondeo, et iuro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam ».

Haec prohibitio ingressus in religionem, propria territoriis missionum quae sacerdotum copia magis indigent, nequit extendi (nisi dioeceses quaedam privilegium huiuscemodi impetraverint) ad eos qui ordinantur titulo *servitii dioecesis:* iusiurandum ab eis emissum se devovendi perpetuo dioecesis servitio non eis aufert ius viam perfectiorem, Deo inspirante, ingrediendi,

quod semper admisit traditio ecclesiastica. Illicite tamen agunt si noviciatum ingrediuntur dum contradicit Ordinarius loci, eo quod eorum dioeceses in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit (can. 542,2°).

II. *De cultu publico vel privato.*

Virgo quaedam, quam Titiam nominabimus, fuisse dicitur martyr castitatis in saeculo XIII°. Quasi voce populari beatificata, magno honore afficitur in aliqua paroecia. Cultus eius ab Ecclesia nondum approbatus est, etsi saec. XIV° ab episcopo indulgentiae concessae sunt iis qui Titiam invocarent, quae indulgentiae ab alio episcopo saec. XVII° renovatae sunt. Quaerit parochus utrum sibi liceat virginis huius statuam in media ecclesia ponere et numismata cudere quae ex una parte effigiem Dominae Nostrae Septem Dolorum, ex alia effigiem Titiae ferant.

R. Quamdiu Sancta Sedes Titiae cultum non approbavit, non licet ei deferre cultum publicum. Aliqui actus certo et necessario cultum publicum manifestant, v. gr. « imagines altari imponere, depingere cum aureolis, radiis, tabellas votivas vel donaria votiva ad eorum sepulcrum appendere, lumen coram reliquiis accendere aut eas publicae venerationi exponere (1) ».

Sed sunt multi alii actus quorum significatio dubia est, quos aliqui severiores reprobarent ut pertinentes ad cultum publicum, alii permitterent ut actus cultus mere privati. BENEDICTUS XIV in const. *Quamvis iusto,* 30 apr. 1749 (2), remittit ad Librum II operis sui *De Servorum Dei Beatif. et Beatorum Canoniz.* In hoc libro doctissimus canonista longissimas paginas habet quibus examinat multas cultus manifestationes (3). Ali-

(1) A. VERMEERSCH S. I., in *Epitome iuris canonici,* ed. 1930, t. II, n. 574.
(2) *Codicis iuris canonici fontes,* vol. II, p. 230.
(3) BENEDICT. XIV, *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canon.* lib. II, praes. cap. 9-15.

quando fatetur se fuisse severiorem quam S. Cong. Rituum, cum opinatus esset aliquem actum ad cultum publicum pertinere, quem S. Cong. cultui privato tribuebat. Ostendit non solum actum materialem considerandum esse sed etiam adiuncta quae eius significationem mutare possunt, v. gr. admitti in ecclesia imaginem imperatoris vel regis, cui honores tribuuntur potestati temporali debiti, vel benefactoris cui gratitudo manifestatur, non alicuius qui honoraretur unice qua sanctus (1).

Ex his intelligitur Titiae statuam in media ecclesia ponere fere non posse intelligi nisi ut cultus publici manifestationem: nempe ita omnes eam honorare invitantur eodem modo quo sanctos canonizatos quorum imagines vel signa sunt in eadem ecclesia. Quoad propositum numisma, esset sat incongruum in eodem numismate fingere effigies Beatissimae Virginis et huius Titiae quasi vigeret inter eas quaedam aequalitas aut saltem similitudo. Et suggerere talem similitudinem quomodo fieri possit quin videatur asseri Titiam vere sanctam fuisse et ut talem coli debere? Si hic non est indicium cultus publici, ubi erit?

Igitur valde suadendum est parocho ut a propositis abstineat, nam secus ageret contra regulas abhinc pluribus saeculis vigentes in ecclesia (2). Insuper, ita agendo, si causa postea introduceretur, faceret beatificationem si non impossibilem, saltem multo difficiliorem.

III. *Interpellationes ante baptismum*

In India mulier pagana, a viro suo derelicta, qui eam saevitiis affecerat et nunc cum alia muliere vivit, vult baptizari et cum viro catholico nubere. Cum eius

(1) Loc. cit., cap. 14, n. 5.

(2) Immo ne imago quidem Beati sollemniter beatificati sine indulto in ecclesia poni potest.

maritus paganus per urbem ad res emendas transiret, missionarius, arrepta occasione, interpellationes consuetas coram testibus ei fecit. Paganus omnia recusavit, nullo modo consensit cum uxore cohabitare, immo dedit libellum repudii subscriptum ab eius « castae » primoribus. Missionarius postea rem defert episcopo qui omnia approbat. Tunc ministratur baptismus et tandem novum initur matrimonium. Missionarius tamen nunc dubitat de talis matrimonii valore et quaerit quid faciendum sit.

R. 1^0. In casu, « discessus » coniugis infidelis erat certissimus. In tali certitudine valde dubium est interpellationes requiri ad valorem novi matrimonii, quod negant aliqui scriptores hodierni. Certo requiruntur semper ad liceitatem, exceptis casibus quibus Ecclesia dispensat seu « declarat » interpellationes omitti posse.

2^0. Normaliter interpellationes faciendae sunt post baptismum unius e coniugibus qui in infidelitate nupserant. Attamen aliquando Ecclesia permittit ut ante baptismum fiant. Inter facultates quas S. C. de Prop. Fide Ordinariis in terris missionum procurat, legimus sub n^0. 27: « Permittendi ut, accedente gravi causa, *interpellatio* coniugis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit; necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem ». (1)

Ergo poterat episcopus permittere interpellationes fieri ante baptismum. Sed missionarius has fecerat ante permissionem. Certo episcopus ratum habuit postea id quod factum erat. Dubitatur tamen utrum talis ratihabitio potuerit reddere efficaces, quadam quasi

(1) Hic textus reperitur in *Epitome iuris canonici* (ed. 4, 1929), t. I, in Appendice II, p. 531. Cfr etiam *Periodica*, XI, p. (140).

retroactione, interpellationes antea factas. Sed ex textu supra allato facultatis n^{0}. 27 consequitur Ordinarium posse simpliciter dispensare ab interpellatione, ante baptismum, dummodo constet interpellationes fore inutiles.

In casu hoc constabat. Nec defuerat « processus summarius et extraiudicialis », quia missionarius ad episcopum scripserat responsa pagani coram testibus interrogati. Dicendo autem se approbare quae facta erant, episcopus volebat uti potestate sua in quantum necesse erat ut novum matrimonium validum et licitum esset, ergo etiam dispensare ab interpellationibus in quantum haec dispensatio ad hoc requirebatur.

3^{0}. Tandem, si quod dubiolum in mente missionarii remaneat, acquiescere debet. Etenim in casu duae praesumptiones, quae generatim ut oppositae considerantur, nempe regula generalis « in dubio standum est pro valore matrimonii » (c. 1014) et regula magis particularis « in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris », concordant ut matrimonium initum ab hac muliere cum viro catholico ut validum haberi et tractari debeat.

IV. *De imprimenda licentia imprimendi.*

Titius librum scripsit ad refellendas calumnias contra Ecclesiam et ad exponendam eius veram in re sociali doctrinam. Liber operariis praesertim destinatur in urbe socialismo infesta. Titius iam obtinuit vel facile obtinebit ab Ordinario loci licentiam opus typis mandandi. Sed valde timet, si imprimit in ipso libro formulam consuetam, « Imprimatur » cum nomine Ordinarii, ne operarii, rati librum esse nimis « clericalem », ut aiunt, eum legere recusent.

R. Ex can. 1394 licentia edendi est imprimenda in principio aut in fine libri. Sed non urget lex positiva cuius finis « cessat contrarie », i. e. cuius observatio litteralis in casu quodam foret graviter nociva

bono animarum. Attamen, ad removendum scandalum bonorum fidelium et ad vitandum hallucinationis periculum, optime faciet Titius si rem exponat Ordinario et eius decisioni stet.

V. *De usu confessionis.*

An licet confessario uti rebus antea auditis in sacramentali confessione ad meliorem directionem spiritualem poenitentis?

R. Certo licet si directio spiritualis datur in ipsa confessione, eadem vel alia. Si datur extra sacramentum, distinguendum est. Licet uti scientia acquisita in confessione ad accommodanda consilia statui huius animae. Hoc non vetatur c. 890 cum non sit « cum gravamine poenitentis ». Ulterius quaeritur an posset confessarius loqui cum poenitente de rebus accusatis? Posset loqui de virtutibus et bonis actibus poenitentis, quae per se non cadunt sub sigillum, ad ei animum dandum, non de peccatis, nisi obtenta expressa paenitentis licentia,quam postulare raro opportunum erit.

E. JOMBART S. I.

De communione privatim delata ad Orientalem aegrotum.

In civitate Italiae, in qua nulla speciali ordinatione Archiepiscopus facultatem factam can. 849 cuilibet sacerdoti deferendi ob iustam et rationabilem causam privatim ss. eucharistiam aegrotis temperavit, Orientalis quidam ecclesiam latini ritus adire solebat ibque sacris epulsi rerici. Accidit autem ut morbo quodam, non periculoso corriperetur. In suo morbo petiit a Rectore ecclesiae latinae ut vellet ipsi s. communionem privatim deferre. Licuitne Rectori pio isti voto annuere?

Ac procul dubio id licuisse opinamur. Etenim, hodierno iure, solum viaticum est proprio ritu (si tempus ferat) accipiendum. Nihil igitur obstat quin in praefata civitate more etiam latino Orientalis a Sanctissimo Salvatore visitetur et reficiatur.

Refert quidem *Monitore ecclesiastico* april. 1925 p. 103, fuisse ab Excell. Assessore S. C. Orientalis ad Exc. Delegatum Apostolicum Aegypti, rescriptum, S. C. Orientalem, in plenario coetu 14 april. 1924, declarasse « privilegia Codice latino concessa de communione privata extra ecclesiam in propria domo communicantis, non vigere pro Orientalibus, *in territorio Orientali* ». Sed ratio haec dabatur, quia in propriae iurisdictionis territorio, ius esset Praelatorum Orientalium ut regimen communionis privatae ordinarent. Atque ipsa limitatio, *in territorio orientali,* insinuat res aliter se habere in territorio latino.

Quocirca, in territorio latino, sive sanus fuerit sive aegrotus Orientalis, in privata communione se ut Latinum gerere potest. Sic etiam VAN HOVE, *De Legibus ecclesiasticis*, p. 9, nota 3.

Quare poterunt etiam Orientales, in regionibus latinis frui beneficio can. 858 § 2, quo infirmi a mense decumbentes possunt, de prudenti Confessarii consilio, semel vel bis in hebdomada communionem sacram recipere postquam aliquid per modum potus vel medicinae iam transacta media nocte sumpserint. Cfr. CAPPELLO, *De Sacramentis*, 2 I, n. 860.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus proprositi p. 128* de privilegi Paulini usu.

Solutio ista satis fuse data est supra, p. 172* - 177*.

Casus de intentione eius qui vota temporanea emissurus est.

I. Hi varii casus nobis propositi sunt:

1) Novicius, noviciatu canonice et laudabiliter peracto, iam vota prima annua emissurus est, sed firmiter apud se statuit, se ultra annum non remansurum esse. Fitne verus religiosus?

2) Si Superiores hoc sciunt, possuntne eum ad vota admittere?

3) Si eum Superiores, sive conscii sive inscii, admittunt, potestne ipse licite remanere et inter religiosos ut religiosus vivere?

4) Si quis religiosus, elapso votorum temporalium tempore, et alia vota temporalia emissurus, statuit apud se (ut ille novicius) se non esse remansurum ultra tempus quod novis votis exprimitur, remanebitne religiosus?

5) Si Superiores eius hoc sciunt, possuntne eum ad vota temporalia admittere?

6) Possuntne Superiores talem novicium vel religiosum ad vota prima vel nova admittere, sperantes eum fortasse animo mutato ad meliora consilia esse transiturum?

II. Accessit et hoc dubium de foro sacramentali: « Pridie diem primae professionis temporariae in Ordine religioso, cum Novicius accessisset ad tribunal sacramenti Paenitentiae, sic Confessarium allocutus est: « Pater crastina die vota nuncupabo; sed certiorem te facio me firmiter statuisse ut, vix elapso Professionis temporaneae spatio, Ordini valedicerem ». Quem cum Confessarius frustra conatus esset ad meiora consilia perducere, inabsolutum dimisit. Quaeritur utrum recte annon Confessarius egerit?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De concelebratione eucharistica *

II.

De sacramentali concelebratione extra ordinationes

II. *Historia.*

I. *In ritibus latinis* (sequitur). Quod ad usum sacramentalis concelebrationis in ecclesia romana, id est in ecclesia ipsius Urbis, olim receptum pertinet, quarta quaedam nobis quaestio solvenda erat, num videlicet iste mos etiam in aliis ecclesiis ritus latini aliquando admissus esset, seu utrum concelebratio sacramentalis propria fuisset missae sollemnis quam paucis statisque in anno diebus papa cum presbyteris cardinalibus celebrabat, an etiam aliis episcopis latinis cum suis presbyteris, vel presbyteris inter se, fas olim fuisset, saltem quibusdam diebus, sacramentaliter concelebrare (159).

Prius autem quam novam hanc quaestionem aggrediamur, liceat nobis duo quaedam documenta breviter examinare, quae ad quaestionem de historia concelebrationis in ipsa ecclesia romana spectant, a nobis vero olim omissa sunt.

(*) Cfr *Periodica*, t. XVI, pp. 143*-154*; 181*-210*; t. XVII, pp. 93*-127*.
(159) *Periodica*, t. XVII, p. 113*.

Narrat nimirum S. GREGORIUS MAGNUS in duabus epistulis a se scriptis, altera (VII, 30) mense iunio ad Mauritium imperatorem (160), altera (VII, 31) eodem mense ad Eulogium Alexandrinum et Anastasium Anthiochenum episcopum (161), se Cyriaci Constantinopolitani episcopi superbiam castigandi causa, diaconum suum seu apocrisiarium vetuisse « ad exhibenda sancta mysteria illi ministrare », seu cum illo « missarum sollemnia celebrare », se ipsum vero Cyriaci responsalibus concessisse ut in celebratione missarum sibi adessent ac secum communicarent. Haec porro verba plures historici de sacramentali concelebratione intellegere voluerunt, at perperam.

Ratio enim qua concelebratio responsalium cum episcopo Romano a Gregorio significatur, nequaquam plus valet, quam illa qua concelebratio diaconi latini cum Constantinopolitano episcopo ab eo memoratur; iam vero liquet hanc sacramentalem esse non potuisse. Voces a Gregorio adhibitas sacramentalem concelebrationem non significare inde quoque patet quod e responsalibus Constantinopolitanis unus tantum erat sacerdos, alter diaconus. Alii namque non erant isti viri, quam duo responsales qui Cyriaci synodales litteras proxime elapso anno Romam attulerant (162).

Secundum documentum praebent actus sessionis quartae *Concilii Constantinopolitani IV* (anno 869) (163), quibus in scenam inducitur episcopus quidam Theophilus nomine, qui, partibus Nestorii adhaerens, coram concilio asseverare non dubitabat se et alium quemdam episcopum, Zachariam appellatum, cum ambo a Nestorio Romam ad Nicolaum Papam legati missi essent, ab hoc tamquam episcopos receptos esse, una cum eo

(160) Edit. P. EWALD et L. M HARTMANN, MGH, Epistolarum, Tomus I, *Gregorii I Registri L. I-VII,* Berolini 1891, p. 477.

(161) Ibid., pp. 478-479.

(162) Ibid., pp. 445; 458-459.

(163) MANSI, XVI, 57 A; B; 58 B; C; D; 68 D; 78 A; 329-332 BC

ut tales comministravisse, eique communicavisse. Ostenditne haec narratio duos istos episcopos cum Nicolao sacramentaliter concelebrasse, ut volunt plerique historici qui de hac re scripserunt? Nullo pacto. Nihil enim tale demonstrant narrationis verba. Quod si concelebrationem sacramentalem significare voluisset Theophilus, absurdum quid et audientibus omnibus manifesto falsum dixisset, cum omnibus notum esset presbyterorum tantum esse, non episcoporum cum papa statutis diebus concelebrare. Et quomodo potuissent duo episcopi Graeci, linguae latinae, ut plerumque, plane ignari, cum episcopo latino canonem elata voce recitare? Num illum graece proferrent? Num sine epiclesi consecrarent?

His obiter explicatis, ad quartam tandem nostram quaestionem accedamus et praefixum nobis ordinem sequentes, omissa in praesentia trium priorum saeculorum indagatione, a quarto saeculo investigationis nostrae initium faciamus.

Quod quidem ad ritum gallicanum verum seu antiquum et ad mozarabicum attinet, etiam cum hi maxime floruerunt, nullum novimus nos documentum quod vel unam ac singularem sacramentalem concelebrationem in illis actam aliquo modo memoret, nedum ullum talis concelebrationis consuetudinem demonstret; parique modo de ista concelebratione silent pauca documenta quae ad ritum ambrosianum referuntur.

De ritu romano autem extra Urbem usurpato maior est et multiplex documentorum copia.

Et primum agnoscendum nobis est plura ex istis documentis, quamvis ab historicis ad demonstrandum usum concelebrationis etiam sacramentalem adduci soleant, re tamen vera hanc nullo modo vel saltem non necessario significare.

Ita ad sacramentalem concelebrationem referenda esse volunt ea quae de S. Paulino Nolano (431) nar-

rat URANIUS PRESBYTER in sua *Epistula ad Pacatum* (164):

Cum ante triduum quam de hoc mundo ad caeleste habitaculum vocaretur, cum iam de salute eius omnes desperassent et duo ad eum episcopi visitandi studio convenissent, id est, sanctus Symmachus et benedictus Acindynus, ita in eorum adventu recreatus est atque refectus est, ut oblita omni carnali infirmitate, totum se eis spiritualem atque angelicum exhiberet. Et quasi profecturus ad dominum, iubet sibi ante lectulum suum sacra mysteria exhiberi, scilicet ut una cum sanctis episcopis oblato sacrificio animam suam Domino commendaret; simul etiam et eos, quos pro disciplina ecclesiastica a communione mysteriis extorres esse praeceperat, ad pacem pristinam revocaret.

At si penitius huius narrationis verba perspiciuntur, non solum omnino negandum esse apparet iis sacramentalem trium episcoporum concelebrationem ex necessitate demonstrari, quoniam voces: « una cum », aeque bene ad caeremonialem concelebrationem referri possunt, verum narratio hoc modo potius interpretanda videtur quod sacrificium missae non ab ipso Paulino et episcopis celebratum esse refertur, sed a sacerdote quolibet, Paulinum vero una cum episcopis communionem dumtaxat recepisse, « ut cum iis animam suam Deo commendaret ». Etenim voces: « oblatum sacrificium », sine ulla difficultate sensu concreto, id est de pane et vino consecrato, intellegi possunt. Et quid, quaeso, sibi vellet quot Paulinus « sibi ante lectulum suum sacra mysteria exhiberi » iussit, si ipse deinde mysteria celebraturus esset? Ceterum antiquorum moribus alienissimum erat episcopum aliquem vel presbyterum in lectulo iacentem missae sacrificium celebrare posse.

Ad concelebrationem eucharisticam spectare etiam locum quendam ex altera epistola decretali quae apud Pseudo-ISIDORUM (s. VII) ANACLETO papae (76-88)

(164) PL, 53, 860-861.

adscripta est (165), ipsi olim suasimus (166). Nunc autem, postquam meliorem huius documenti editionem adire potuimus, illam interpretationem nullo fundamento niti censemus. Nullam enim iustam causam praebet istius loci contextus voces: « et sancta Romana tenet Ecclesia », etiam ad praescriptum « testium » usum referendi, sed hae, sicut verba: « Sic enim et apostoli statuerunt », quae eas antecedunt, legem dumtaxat communionis post consecrationem accipiendae respicere videntur.

Sententia porro: « et consensum eius praebeant sacrificio », communem consecrationem seu sacramentalem concelebrationem significari non posse, inde constat quod illum consensum praebere iubentur etiam diaconi, subdiaconi ac reliqui ministri, immo fortasse omnes isti tantum, quoniam valde veri simile est incisum: « et presbiteri e regione dextra levaque », quippe quod nullam grammaticalem functionem in contextu habeat, ibi interpolatam esse.

Neque sacramentalem concelebrationem significat haec *Ordinis romani III* praescriptio (167):

> Sicut enim in Romana ecclesia summo Pontifici ministrant episcopi, sic in caeteris ecclesiis debent episcopis facere presbyteri.

Etenim: 1) Haec sententia, ut animadvertit ipse editor, est mera interpolatio, neque necessario ullum definitum ac liturgicum sensum praebet; 2) eo quo sita est *Ordinis* loco, ad ritum quendam communionis dumtaxat referenda est; 3) sin autem ad totum missae ordinem aliquomodo spectare dicenda esset, falsum affirmaret, quoniam etiam *Ordo romanus I* monere non

---

(165) P. Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Angilramni*, p. 70.

(166) *Periodica*, t. XVII, p. 111*.

(167) N. 17, PL, 78, 982 C.

omittit plura esse in ritibus missae mutanda, si loco pontificis romani alius episcopus eam celebret; seu non omnia quae ab episcopis pontifici romano praestanda sint, a presbyteris erga episcopum esse agenda; 4) nullo documento significatur etiam episcopos cum pontifice romano umquam sacramentaliter concelebrasse; hoc quorundam modo presbyterorum privilegium erat.

Nomen vero « presbyterorum offerentium » quod in *Ordine romano V* (168) occurrit: « Accedantque presbyteri offerentes », non designat nescio quos presbyteros sacramentaliter concelebrantes, sed, quod demonstrat comparatio huius ordinis cum ceteris *Ordinibus romanis,* presbyteros qui, postquam fidelium oblationes collectae erant atque in altari dispositae, ipsi denique suas panis et vini oblationes ad altare afferebant (169).

Porro missam ab archiepiscopo cum suo clero concelebratam exhiberi existimat P. DE PUNIET duabus quibusdam perpulchris eburneis tabellis, quae saeculo IX-X in Germania exsculptae, ad unum diptychum olim pertinuerunt. Altera nimirum exprimi priorem missae partem, in qua septem sacerdotes vel canonici, casulis induti, archiepiscopo moderante canentes conspiciantur, altera rursus secundam missae partem depingi, cum archiepiscopus altari, facie ad populum versa, adstans, canonem recitet, quinque sacerdotes vero, casulis, sicut in priore figura, ornati, illique ex adverso siti, simul cum eo orationem eucharisticam proferant.

A quinque porro viris qui in utraque tabella, dalmaticis induti et singuli unum volumen manibus retinentes, post archiepiscopum ordine dispositi sunt,

---

(168) N. 8, PL, 78, 988 B.
(169) PL, 78, 944 B; 973 B; 981 A; etc.

videntur P. de Puniet diaconi illi significari qui, tamquam testes, episcopo sacrificanti adesse debebant (170).

At, si ultimae huius sententiae partem excipias, totam istam interpretationem veritati parum congruere arbitramur.

Viros septem vel quinque qui in utraque imagine coram archiepiscopo adstare cernuntur, ea de causa presbyteros esse censet P. de Puniet, quod, ut putat, casulis ornati sunt; verum hac ratione nihil demonstrari liquet, cum omnino compertum sit saeculo IX et X non solum presbyteros sed omnes ministros sacros, acolythos quoque et lectores, casulas in officiis liturgicis gessisse. Ceterum septem cantores primae tabellae non casulis sed cucullis vestiti sunt (171), adeoque in hac figura, non sacerdotes vel canonicos, sed monachos coram archiepiscopo adesse duxerimus, horumque cantum non ab archiepiscopo moderari sed ab illo ex ipsis cantoribus qui in medio coetu, sursum levatis manibus, adstat. Adde quod numquam presbyterorum sed « scholae cantorum » munus fuit psalmos in missa canere. Et quis vel mente sibi fingere possit archiepiscopum suorum presbyterorum cantum in missa moderantem? Denique nullatenus ad ipsam missam pertinere videtur ista prior figura, sed multo veri similius est eam recepto quodam modo archiepiscopum aliquem vel S. Gregorium papam media in sua « schola cantorum » versantem monstrare; proinde nullam concelebrationem, ne caeremonialem quidem, illa significari.

Minus etiam quam prioris probanda nobis videtur alterius tabellae explicatio ab eodem scriptore proposita. Graves namque ei difficultates obstant. Prima est quod nullus omnino ordo papalis vel episcopalis

---

(170) *Concélébration liturgique*, DAL, III, 2476-2477.
(171) H. Leclercq, *Capuchon*, DAL, II, 2127-2134.

presbyteros demonstrat ex adverso altaris latere coram celebrante constitutos, adeoque fidelibus terga vertentes; deinde septem viri quos P. de Puniet presbyteros esse vult, altari nullo pacto adstant sed e loco multo inferiori ad illud visus suos attollunt, quasi nimirum extra presbyterii suggestum et ante hunc positi sint; praeterea communem canonis recitationem certissime non exprimit ista figura, quoniam ipse celebrans tacens, quinque vero illi viri, diductis late oribus, cantantes vel clamantes apparent; denique hi quinque prorsus eadem ratione atque septem cantores prioris tabellae manus suas gestant et sicut in hac figura, ille tantum qui medium inter omnes locum obtinet, manus attollit; id autem modo omnino alio atque celebrans. Non sunt igitur quinque viri nostri presbyteri concelebrantes, sed subdiaconi illi qui, ut statuunt omnes *Ordines romani,* « post finitum offertorium vadunt retro altare aspicientes ad pontificem, ut, quando dixerit: « Per omnia saecula saeculorum », aut: « Dominus vobiscum »..., ipsi sint ad respondendum, stantes erecti » (172).

Monachos vero e « schola cantorum » eos esse ideo existimare prohibemur, quod non cucullis sed casulis ornati exhibentur.

Denique caput illud *De diversis sacerdotibus super eadem oblata celebrantibus* quod Ioannes Morinus e Tolosano quodam *Rationali caeremoniarum missae* se descripsisse refert (173), aliud non est quam caput 25 libri IV Innocentii III (1216) *De sacro altaris mysterio* (174), quod theoreticum quendam « casum » e concelebratione pontificis romani cum suis cardinalibus ortum, solvere intendit. Alia namque concelebratio

(172) PL, 78, 944 C - 945 A; 981 B; 988 BC; edit. H. Grisar, *Analecta Romana,* t. 1, p. 226; etc.

(173) I. Morinus, *De Sacris ordinationibus,* p. III, exercit. 8, c. 1, n. 4, edit. 1695, p. 125.

(174) PL, 217, 873-874.

memorari non videtur, et, etiam si quae primis istius loci verbis significari existimanda sit, haec mentio fortasse concelebrationem neo-sacerdotum cum episcopo ordinante respicit et certe eo modo plene explicari potest.

Alia autem non nulla documenta quae ne speciem quidem argumenti praebent, omnino nos neglegere debere duximus.

At non solum plura documenta quibus demonstrari videtur etiam extra Urbem ritum romanum usum concelebrationis admisisse, reapse ad hoc intentum omni efficientia carent, sed non desunt documenta quae significare videntur morem sacramentaliter extra ordinationes concelebrandi isti ritui semper alienum fuisse. Etenim omnia illa testimonia quae saeculis VIII et IX et denuo saeculis XIII et XIV concelebrationem pontificis romani cum suis presbyteris memorare diximus (175), hanc tamquam consuetudinem singularem seu liturgiae papalis propriam exhibent. Testimoniis porro quae supra percensuimus, hic addi potest liber III *Historiae orientalis et occidentalis* IACOBI VITRIACENSIS (1241) (176):

> Consueverunt presbyteri cardinales summo pontifici in sacramento altaris assistere et cum eo pariter celebrare.

Vim suam atque auctoritatem habet etiam in nostra quaestione quod a saeculo VIII ad nostram aetatem usque, innumeri paene scriptores, cum liturgistae ac canonistae, tum dogmatici, iis suarum dissertationum locis quibus, ut videtur, sacramentalem concelebrationem extra ordinationes usurpatam memorare debebant, huius tamen nullam mentionem faciunt. Inter tot liturgistas videlicet qui ritus missae sollemnis singillatim

(175) *Periodica*, t. XVII, pp. 107*-110*.
(176) Cap. 38.

percensent (177), ne unus quidem sacramentalem eucharistiae concelebrationem vel novisse videtur. Sic, v. g., HONORIUS AUGUSTODUNENSIS (1145) missam modo sollemnissimo ab episcopo cum suo clero concelebratam describens (178), nihil tamen habet quod communem canonis recitationem seu communem consecrationem significet, et THEODULFUS AURELIANENSIS, licet in suo *Capitulari* (179) omnibus sacerdotibus et fidelibus praecipiat, ut in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant, eosdem tamen sacerdotes missas per oratoria ante horam secundam clam celebrare sinit.

Theologi autem omnes qui post S. THOMAM quaestionem: « Utrum plures simul sacerdotes unam hostiam consecrare possint », versaverunt (180), solum sacramentalem concelebrationem neo-sacerdotum cum episcopo ordinante vel neo-episcopi cum suo consecratore respiciunt, vel si etiam sacramentalem concelebrationem extra ordinationes agendam memorant, alium huius generis ritum novisse non videntur quam antiquam concelebrationem episcopi romani cum suis presbyteris cardinalibus ab Innocentio III memoratam, et mox post huius aetatem ex usibus ecclesiae romanae sublatam.

---

(177) V. g., AMALARIUS METENSIS (c. 820), *De officiis ecclesiasticis,* PL 105, 985 - 1242; FLORUS DIACONUS, *De expositione missae,* nn. 11-fin., PL 119, 25 C - 72 C; RHABANUS MAURUS (856), *De clericorum institutione,* I, 33, PL 107, 322-323; WALAFRIDUS STRABO (849), *De ecclesiasticarum rerum exordiis et incrementis* c. 22, PL, 114, 943-951; REMIGIUS ANTISIODORENSIS (908), *Expositio de celebratione missae,* PL 101, 1246-1271; plures *Expositiones missae* vel *catechismi liturgici,* etc. etc.

(178) *Gemma animae,* lib. I, cc. 1-67, PL 172, 543-565.

(179) PL 105, 206; 208.

(180) V. g., S. ALBERTUS MAGNUS (1280), *De eucharistia distinctiones VI,* tract. IV, c. 2, nn. 15-16, edit. Paris., 1899, t. 38, pp. 428-430; CAIETANUS et alii, *Tertia pars de Sacramentis ... D. Thomae de Aquino .... cum elucidationibus,* Venetiis, 1696, pp. 263-264; DOMENICUS DE SOTO, *Commentarii in IV Sententiarum,* Dist. 13, quaest. 1, artic. 2, edit. Venetiis 1584, pp. 615-618; G. VASQUEZ, *Commentaria et Disputationes in tertiam partem Sancti Thomae,* Disputatio 218, cc. 1-4, t. III, Lugduni, 1631, pp. 375-380; SUAREZ, *De Sacramentis,* Pars prima, Disputatio 61, sect. 4, Operum t. XVIII, Venetiis, 1747, pp. 631-633; NATALIS ALEXANDER, *Theologia Dogmatico-moralis,* Liber II, De Sancta Eucharistia, c. 4, regula 1, Venetiis, 1772, p. 258; etc.

At si usus sacramentaliter etiam extra ordinationes concelebrandi in quibusdam saltem ecclesiis admissus fuisset, nonne hic omnino ab illis theologis commemorandus erat, quoniam omnes communi consensu agnoscunt multum ad propositam quaestionem solvendam valere ecclesiarum consuetudines?

Testimonium S. THOMAE e *Summa theologica* supra iam exhibuimus (181). Huic autem etiam verbis plene congruit eucharisticae concelebrationis mentio in *Scripto super IV libris Sententiarum* (182):

Sed contra est consuetudo quarundam ecclesiarum in quibus novi sacerdotes simul episcopo concelebrant.

S. ALBERTUS MAGNUS quidem praeter concelebrationem novorum sacerdotum atque episcoporum etiam concelebrationem romani pontificis cum presbyteris cardinalibus, saltem ex antiquioribus documentis noverat, at neutram sacramentalem esse posse censebat (183):

Videtur autem quod sic (id est plures sacerdotes posse unam eandemque hostiam consecrare): quia secundum antiquam ecclesiae romanae consuetudinem, quando papa celebrat, cardinales sacerdotes assistunt ei ad altare stantes et signa quae ipse facit facientes: et sicut quidam dicunt, etiam verba canonis submisse pronuntiantes...

Adhuc autem, cum episcopus celebrat ordines, omnes sacerdotes de novo ordinati circa altare in quo celebrat episcopus, disponuntur, et omnes simul cum eo signa faciunt ad corporis Dominici confectionem: et sic videtur quod eadem hostia a pluribus simul in una et eadem missa consecretur...

Adhuc in ordinatione et consecratione episcopi plures sunt cum uno episcopo consecrantes...

Ad haec et similia, sine praeiudicio sententiae melioris, dicendum quod plures sacerdotes nec debent nec possunt simul unam consecrare hostiam...

---

(181) *Periodica*, t. XVI, p. 185*.

(182) Distinct. XIII, quaestio 1, art. 1, quaestiuncula II, Parmae, 1858, p. 672.

(183) V. notam 180.

Ad id autem quod obicitur de cardinalibus presbyteris, qui domino papae assistunt, dicendum quod propter obsequium assistunt, et non propter consecrationem quae a pluribus fieri debeat.

Ad id autem quod obicitur quod faciunt signa et pronuntiant verba, dicendum quod hoc meo iudicio fieri non debet, nec etiam fit...

Ad id quod obicitur de episcopo ordines celebrante, cui assistunt sacerdotes de novo ordinandi. Dicendum quod illa verba non pronuntiant, sed assistunt propter reverentiam sacramenti et propter doctrinam...

Profecto ista argumentatione contentus esse non poterat S. Doctor, si novisset sua aetate plures ecclesias in moribus habere pluries in anno sacramentalem concelebrationem sollemnissimo ritu et coram plenissimo fidelium coetu extra ordinationes agere.

Duos quoque sacramentalis concelebrationis modos noverat DURANDUS A S. PORCIANO (184), alterum in ordinationibus, alterum in missa papali adhibendum; hunc tamen sua aetate prorsus abolitum esse affirmabat, de illo autem haec scribebat quae maximum habent in nostra materia momentum, quoniam demonstrant non necessario idem esse una canonem recitare et una eucharistiam consecrare, adeoque in interpretandis antiquis rubricis non semper licere a praescriptione illius recitationis legem sacramentalis concelebrationis deducere. Refert nimirum Durandus:

Bene est consuetudo in aliquibus ecclesiis, quod illi qui ordinantur in sacerdotes, episcopo incipiente canonem missae, ipsi incipiunt et perficiunt totum exceptis verbis consecrationis quae non dicunt, et super hoc specialiter instruuntur, et cum in verbis illis consistat consecratio, constat quod non consecrant cum episcopo. Et si in aliquibus locis sit consuetudo quod dicant verba consecrationis, non est dubium quod est periculosa et magis abolenda quam servanda, quia vix vel numquam potest fieri quod omnes simul proferant verba con-

(184) *Commentarius in Lib. IV Sententiar.*, Lib. IV, Distinct. XIII, quaest. 3, n. 14, Venetiis 1571, fol. 326 *r*.

secrationis, cum multi qui ordinantur sint parum scientes et parum discreti, nec unus expectat alium in dicendo verba canonis et consecrationis, nec illa verba dicuntur in alto, ut unus possit alium audire et se ei conformare.

Recentiorum vero theologorum dissertationes (185) ad pleniorem ipsius « facti » historicam cognitionem nihil vel parum conferunt, nisi quod, ut dictum est supra, omnes suo silentio significare videntur nullam fuisse sua aetate in ecclesiis ritus romani admissam sacramentalem concelebrationem, praeter illam quae in ordinationibus sacerdotalibus et episcopalibus usurpabatur.

Re tamen vera alia quaedam testimonia et documenta opinionem ingerunt in non nullis ecclesiis Gallicis aliquandiu moris fuisse, ut etiam extra ordinationes episcopus vel eius legatus una cum quibusdam viris eminentioribus de clero aliquoties vel saltem semel in anno concelebraret.

Ineunte nimirum saeculo XVIII, e qua aetate plura nobis testimonia transmissa sunt (186), hae consuetudines in pluribus ecclesiis Gallicis obtinebant.

In ecclesia Vindobonensi S. Mauricii, in Lugdunensi S. Ioannis, in Lugdunensi quoque S. Pauli tribus diebus festis sollemnioribus, nimirum Paschatis, Pentecostes et Natalis Dominicae, archiepiscopo concelebrabant praeter ministros inferiores, sex presbyteri, septem diaconi, septem subdiaconi. Aliis diebus festis minus sollemnibus minor tantum erat concelebrantium numerus.

In ecclesia Carnotensi Dominae nostrae feria V in Cena Domini episcopo missam sollemniter cele-

---

(185) V. notam 180.

(186) L. A. Bocquillot, *Traité historique de la liturgie Sacrée ou de la messe,* Paris, MDCCI, Livre II, ch. I. pp. 306-308; Brun de Moleon, *Voyages liturgiques de France ou Recherches faites en diverses villes du Royaume, Contenant plusieurs particularitez touchant les Rits et les Usages des Eglises: Avec les découvertes sur l'Antiquité Ecclesiastique et Payenne,* Paris, MDCCXVIII; Cl. de Vert, *Explication Simple, litterale et historique des cérémonies de l'Eglise,* t. I, Paris, MDCCXX, pp. 360-364.

branti et in ea chrisma consecranti sex; in ecclesia cathedrali Blesensi, in Parisiensi, in Remensi, in Tullensi, in Bituricensi, episcopo vel archiepiscopo duo concelebrabant presbyteri, archidiaconi videlicet, canonici, vel alii dignioris loci sacerdotes.

In ecclesia Andegavensi S. Mauricii, Senonensi S. Stephani, duobus vel tribus diebus sollemnioribus episcopo ad altare assistebant tredecim presbyteri e parochis civitatis principalioribus quibus nomen erat parochorum cardinalium.

Dubium porro non est quin tales consuetudines, non solum in ecclesiis quas hic recensuimus sed etiam in aliis, plerumque (certe non in omnibus!) saeculo XVIII multo antiquiores fuerint. Id testantur vetera pontificalia vel « ordinaria » de ecclesia Aurelianensi (s. XV) (187), de Senonensi (s. XIV-XV) (188), de Turonensi (s. XIV) (189), de Laudunensi (s. XIV) (190) et de aliis pluribus. Ceterum ipsa illorum rituum descriptio clare ostendit eos ex fideli imitatione consuetudinum ecclesiae romanae ortos esse seu ex hac ecclesia simul cum eius universo cultu liturgico in ecclesias Gallicas maxime inde a saeculo IX penetravisse.

Multo difficilior est quaestio de natura illius concelebrationis, utrum videlicet presbyterorum illorum cum suo episcopo concelebratio mere caerimonialis fuerit an etiam sacramentalis.

Non nulla tantum de ea re clariora et apertiora testimonia ex antiquitate servata habemus, e quibus haec pauca constant.

Saeculo XVIII in ecclesiis Vindobonensi et Lugdunensi mere caerimonialis erat concelebratio sex illorum presbyterorum qui ter in anno cum archiepis-

---

(187) DE MOLEON, o. c. (n. 186), pp. 196-197.
(188) MARTÈNE, *De antiquis ecclesiae ritibus*, Antverpiae, 1763, t. III, p. 92.
(189) MARTÈNE, o. c., t. I., pp. 218-219.
(190) MARTÈNE, o. c., t. I, p. 219.

copo missam celebrabant (191). Idem porro dicendum est de concelebratione sex presbyterorum qui saeculo XIV episcopo Aurelianensi in missa feriae V in Cena Domini assistebant (192). Neque ad usum concelebrationis sacramentalis demonstrandum satis est quod in « ordinario » ecclesiae Viennensis anno 1524 redacto praescribebatur ut « suburbani » (ita enim vocabantur sex presbyteri archiepiscopo concelebrantes) signa facerent durante missa ad modum episcopi (193), in alio vero « ordinario » saeculo XIII concinnato (194), ut cum episcopo canonem recitarent. Talis enim concelebratio non necessario communem eucharistiae consecrationem complectebatur. Adeoque quod saeculo XVIII consuetudo ecclesiae Turonensis erat ut in missis sollemniter concelebratis tres tabellae, quae etiam canonem continebant, in altari collocarentur (195), non certum indicium praebet hanc concelebrationem olim fuisse sacramentalem.

Rursus sex archidiaconi qui saeculo XVIII in ecclesia Carnotensi cum episcopo missam illius feriae celebrabant (196), non solum cum eo praefationem, orationem dominicam, aliasque partes canebant ac simul cum eo ad populum conversi hunc verbis: « Dominus vobiscum », salutabant, sed singuli missale coram se in altari positum habentes, cum episcopo omnes benedictiones perficiebant, unam eandemque hostiam cum eo consecrabant, et ab eo communionem sub utraque specie recipiebant. Similis ratio, ut videtur, eodem saeculo XVIII ineunte servabatur in ecclesia Blesensi, Parisiensi, Remensi, Tullensi, Bituricensi;

---

(191) Bocquillot, o. c. (n. 186), p. 307; de Vert, o. c. (n. 186), p. 352, n. *a*.
(192) de Moleon, o. c. (n. 186), pp. 196-197.
(193) Martène, *De antiquis ecclesiae ritibus*, Antverpiae, 1763, t. I, p. 233
(194) de Moleon, o. c. (n. 186), p. 15.
(195) de Vert, o. c. (n. 186), p. 364.
(196) Ibid., pp. 362-363, nota *b*.

saeculo vero XIV-XV certe in ecclesia Senonensi, ut ex huius ecclesiae antiquo « ordinario » liquet (197):

Et stantes cum praelato ad altare dicant omnia et singula quaecumque praelatus dicit in missa, sive vertendo se ad populum aut alias, submissa tamen voce, etiam verba consecrationis, sicut et praelatus, habent proferre in altari, signa crucis et prosternationes sicut praelatus facientes, non tamen corpus Christi levabunt, sed solus praelatus. Et est advertendum quod in altari coram praelato debent esse quatuor hostiae consecrandae; quarum una praelatus se communicabit, et duas alias recipient a praelato dicti duo presbyteri canonici, sibi in altari assistentes, postquam pontifex se communicaverit; reliqua vero hostia pro crastino servitio in sacrario a pontifice deportetur.

Qualis denique fuerit saeculo XVIII concelebratio tredecim illorum parochorum cardinalium, qui pro more quarundam ecclesiarum paucis anni diebus episcopo ad altare adstabant, testimonia non definiunt. At saeculo XV quattuordecim parochi qui in ecclesia Aurelianensi episcopum missarum sollemnia celebrantem comitabantur, certe iam non sacramentaliter concelebrabant, immo potius assistentes quam concelebrantes fuisse videntur (198). Fortasse ex ipso documentorum silentio concludere licebit saltem a saeculo XVIII istos cardinales munere sacramentaliter concelebrandi omnino caruisse.

Praesens igitur quaestio hactenus obscuritatis plena est, quam quis plene non removebit, nisi prius ecclesiarum Gallicarum « ordinaria » aliosque liturgicos libros sedulo investigaverit. E secundariis enim concelebrationis ritibus, ut puta e concelebrantium situ ad altare, ex eorum veste liturgica ac gestibus, e parte quam in precibus canendis vel in populo salutando habebant, indicia de intima istius concelebrationis natura deducere velle fere inane conamen existimamus. E nostra autem brevissima indagatione hoc tantum

(197) Martène, o. c. (n. 188), t. III, p. 92.
(198) de Moleon, o. c. (n. 186), pp. 196-197.

cum aliqua probabilitate statuere licet, quod consuetudo sacramentaliter concelebrandi manifestius quam in ceteris missis apparet in missa feriae V in Cena Domini, in qua archiepiscopus vel episcopus etiam chrisma una cum presbyteris duobus vel sex consecrabat. Facile porro intellegitur plures ecclesias Gallicas, auctoritate Amalarii Metensis (199) ad hoc motas, consuetudinem communem eucharistiae consecrationem communi consecrationi chrismatis praemittendi ab ecclesia Romana accipere potuisse.

At etiam si peracta indagatione constaret plurium ecclesiarum Gallicarum veterem fuisse morem ut omnis missa sollemniter concelebrata etiam communem eucharistiae consecrationem complecteretur seu ut omnis sollemnior concelebratio sacramentalis esset, simul certe constaret istam consuetudinem in ecclesias illas una cum universo ritu romano sensim sine sensu inde a saeculo IX penetravisse. Iste usus igitur non esset « factum » novum novis rationibus explicandum, sed mera consequentia vel propagatio alterius cuiusdam « facti », cuius originem ac significationem iam plene perspeximus, id est concelebrationis sacramentalis a papa cum suis presbyteris cardinalibus per plura saecula adhiberi solitae.

II. *In ritibus orientalibus.* Omissa in praesentia trium primorum saeculorum consideratione, usum sacramentalis concelebrationis in ecclesiis orientalibus sine ullo negotio investigare possumus. Clara namque est documentorum significatio.

Et primo omnium, plura optimae notae documenta ad diversas aetates atque ecclesias spectantia, ex eucharistica concelebratione, etiam sollemnissima, communem panis et vini consecrationem omnino excludere videntur.

---

(199) V. *Periodica,* t. XVII, p. 109*.

Ita in celebri missae descriptione apud Pseudo-Dionysium Areopagitam (200), quamquam plures presbyteri una cum diaconis panem sacrum et calicem benedictionis divino altari imponunt et episcopum ad altare circundant, unus tamen pontifex sacram peragit precationem, sacrosancta munera collaudat, et divinissima mysteria consecrat.

Neque minus clare negatur communis eucharistiae consecratio in descriptione missae ritus chaldaici quam exhibet celebris quoque homilia seu *Expositio mysteriorum,* quae saepius Nerseti Nisibeno (502 vel 507) adscribi solet (201). Plures quidem presbyteri magno cum splendore et nobilissimo ornatu in sanctuarium procedunt ibique consistunt, at inter eos unus tantum ad sacrificium celebrandum electus est atque figuram Domini nostri in illa hora exprimit. Hic porro solus anaphoram recitat, ceteris omnibus silentibus: « Omnis ecclesiasticus coetus silentium tenet et omnes graviter se orationi dedunt. Presbyteri tacent et diaconi silentio stant, omnis populus quietus est et silens, submissus et pacatus ». Ad finem descriptionis iterum a ceteris presbyteris distinguitur ille « qui consecravit ».

Caeremonialis dumtaxat est etiam concelebratio quam exhibet ritus missae patriarchalis ab ecclesia byzantina adhibitus et a Demetrio Gemista concinnatus (202). Licet enim patriarchae assistant non solum diaconi et presbyteri sed episcopi quoque, qui cum illo plures orationes recitant et in non nullis ritibus agendis partem habent, unus tamen patriarcha anaphoram recitat.

Concelebrationi autem isti plene congruebat illa quae, ut testatur Symeon Thessalonicensis, in missa

(200) *De ecclesiastica hierarchia*, c. 3, PG 3, 423-446.

(201) Edit. A. Mingana, t. I, pp. 270-298; vers. angl. R. H. Connolly, Texts and Studies, VIII, i (1908), pp. 1-32.

(202) I. Habert, APXIEPATIKON, pp. 111-113.

a metropolitano celebrata eodem saeculo XIV adhibenda erat (203):

Et hoc (id est nos diversis rationibus in eucharistia partem habere) ibi significat primus pontifex, propinquans et attingens et sacrificans mystica, ipsumque qui pro nobis immolatus est exprimens; ceteri vero per illum tamquam mediatorem partem habent et fruuntur. Unde etiam in sanctuario episcopi et sacerdotes, etsi cum ipso ministrent, non tamen appropinquant sicut primus. Reliqui porro e sacris viris post hos locum obtinent neque eadem proferre possunt et postea accedunt ad tremendam communionem, utpote qui sint liturgici ordinis ministri (intellege diaconos).

Sacramentalem eucharistiae concelebrationem ritibus orientalibus omnibus, saltem a saeculo IV, alienam fuisse eo quoque suadetur quod e compluribus liturgicis commentariis (204), quamvis plerique singillatim missae ritus explicent, ne unus quidem talis concelebrationis vel obiter mentionem facit.

Denique ipsa documenta quae ab historicis ad demonstrandum usum concelebrationis sacramentalis congeri solent, re vera nihil efficere valent. Quod ut ostendamus, omissis iis testimoniis quae manifestius ad rem nostram non pertinent quam ut examinentur, e documentis quae aliquid probare posse videntur, primo praecipua percenseamus oportet.

Canones 13 et 14 *Synodi Neocaesariensis* (314-325) (205), qui coniuncte accipiendi sunt, constituerunt sacerdotes vicanos in ecclesia civitatis, praesentibus episcopo vel presbyteris urbanis, offerre non posse, neque panem in precatione dare, immo ne calicem quidem praebere. Chorepiscopos vero, licet septuaginta discipulorum tantum figuram exprimerent, cum tamen episcoporum « comministri » essent, propter

(203) *Dialogus*, c. 99. PG 155, 296 D-297 B.

(204) Brightman, *Liturgies eastern and western*, I, pp. liv., ss.; I. M. Hanssens, *Institutiones Liturgicae de ritibus orientalibus*, t. II et III, passim.

(205) Mansi, II, 542-543.

suam erga pauperes diligentiam, offerre cum (debito) honore debere.

Narrat THEODORETUS in sua *Historia ecclesiastica* (206) Silvanum Tarsensem episcopum esse in synodo Seleucensi (359) graviter ab Acacio metropolita Caesariensi reprehensum quod Cyrillum Hierosolymitanum ab ecclesiastico ministerio non prohibuisset.

In litteris quas ad Caelestinum papam miserunt (207), protestantur Patres orthodoxi *Ephesini concilii* sese omnes cum fratribus suis et comministris Cyrillo Alexandrino et Memnone Ephesino, quamvis a Ioanne Antiocheno et ceteris Orientalibus episcopis depositis, communionem servare, seque etiam post temerariam illam adversariorum iniuriam cum duobus episcopis ministravisse et cum iis ministrare, omnes synaxes una agentes.

De Nestorio autem refert S. CYRILLUS ALEXANDRINUS (208) ab eo haereticum quendam episcopum qui publice in Dei genetricem insultaverat, non solum correptum non esse sed mox ad mysticam communionem admissum et mysteriorum participem effectum.

Cum in sessione XI *Concilii Chalcedonensi* (451) (209) Bassianus quidam episcopus cum Stephano episcopo de sede Ephesina contenderet, conquestus est quod quodam die Stephanus eiusque presbyteri, cum simul omnes ministrassent, statim post liturgiam peractam, eum in vincula coniecerant. Stephanum porro presbyterum suum fuisse et per annos quattuor secum ministrasse, secum communicavisse et a se tamquam ab episcopo communionem accepisse.

Legitur apud EVAGRIUM historicum (210) Domnum II Antiochenum episcopum cum Symeonem Stylitam

(206) L. II, 22, PG 82, 1064 D-1065 A.
(207) MANSI, IV, 1336 DE; V, 646 DE.
(208) PG 77, 60 BC.
(209) MANSI, VII, 280; 285 D.
(210) L. I, 13, PG 86, 2453.

invisendi causa adivisset, eiusque statum ac vitam miratus esset, mox secretiora appetivisse. Ambos igitur convenisse et postquam immaculatum corpus immolavissent, alterum alteri vivificam communionem impertitos esse.

Duabus epistulis, altera ad clerum Constantinopolitanum, altera ad universos catholicos missa (211), declarat NICOLAUS papa I se suos constantinopolitanos legatos omnino vetuisse cum Photio in sacrosancta mysteria communicare, ita ostendere volens se Photium legitimum episcopum nequaquam agnovisse, neque ullam partem in depositione S. Ignatii habuisse. Ad ipsum Photium scribens explicat quoque IOANNES papa VIII qua de causa suis apocrisariis non mandavisset ut cum eo « consecrarent » (212).

Denique ne ultra saeculum X in hac documentorum percensione frustra progrediamur, in quodam documento quod *De (episcoporum) translationibus* inscriptum est et certe non ante finem saeculi X concinnatum est (213), auctore Theodoro Sebastae episcopo narratur Agapium Seleuciae in Pieria (Syria I) archiepiscopum patriarcham Hierosolymorum constitutum esse; eum porro hanc civitatem ingressum una cum beatissimo et sanctissimo patriarcha Constantinopolitano domino Nicolao (II, 984-996) et sacra synodo celebravisse.

Haec sunt igitur testimonia quae, si historicis credendum est, monstrant ac comprobant usum sacramentalis concelebrationis in ecclesiis orientalibus iam antiquitus receptum fuisse, illorumque verba nos hic fidelissime ex ipsis fontibus descripsimus.

At quis est quin facile intellegat omnia ista documenta, si unum vel duo excipias, plane nullam cer-

(211) PL. 119, 1092 BC; 1070 B.
(212) V. *Periodica*, t. XVII, pp. 111*-112*.
(213) LEUNCLAVIUS, *Ius graeco-romanum*, 1596, t. I, p. 294.

tam argumentationis materiam praebere; nihil videlicet valere quod ad nostram quaestionem pertineat, voces *comministrare, comminister* et alia similia, quippe quae sine discrimine de concelebratione episcoporum, presbyterorum, diaconorum et etiam fidelium usurpentur; nihil verba *communicare, ad communionem* vel *ad mysteria admittere, in mysteriis partem habere,* et alia plura, quae ne caeremonialem quidem concelebrationem necessario exprimant. Nihilo minus nonne tota argumentationis vis in talibus verbis sita esse deberet, quoniam ipsa facta, quae in istis documentis referuntur, nullo modo sacramentalem concelebrationem de necessitate complectantur, nisi quis id ipsum pro certo sumere velit quod probandum est.

Duo tamen documenta sunt, ut iam diximus, quae non solum caeremonialem concelebrationem sed etiam communem consecrationem memorare videntur, alterum narratio Evagrii de eucharistia a Domno Antiocheno una cum Symeone Stylita celebrata, alterum epistula Ioannis VIII ad Photium.

Verum etiam haec vix ullam auctoritatem in nostra quaestione habent.

Dictum enim Ioannis VIII ostendere quidem potest id quod multis aliis rationibus compertum est, ecclesiam Romanam saeculo IX sacramentalem concelebrationem in moribus habuisse, at non necessario significat illum usum etiam Constantinopoli obtinuisse, quoniam facile intellegitur Ioannem ad designandam sine discrimine quamlibet concelebrationem tali voce uti potuisse quae concelebrationi romanae tantum perfecte congrueret.

Quod autem ad communem Domni et Symeonis eucharistiam pertinet, dubium esse nobis videtur eam veram concelebrationem fuisse. Certe istius narrationis verba non aperte declarant ambos cum panem tum calicem prolatis mysticis verbis consecravisse. Nonne

unus panem, alter calicem consecravit, sicut in *Didascalia* (214) praescribitur? Vel nonne ita se gesserunt ut quamvis simul celebrarent, unusquisque tamen suam tantum missam celebraret, seu suum tantum panem suumque calicem consecraret? Saltem nequaquam effici potest illos ita non egisse, et etiam si probari posset duos sanctos viros re vera sacramentalem concelebrationem egisse, quid quis e singulari isto facto deducere vellet, non intellegimus.

Sit igitur conclusio nostra legem sacramentalis concelebrationis a saeculo IV usque ad recentem aetatem a ritibus orientalibus alienam fuisse. Proinde non nimis miramur quod orthodoxus quidam liturgista de sacramentali concelebratione hodie in ecclesiis orientalibus catholicis usurpata scribere potuit (215):

> Quoniam sermo huc mentionem divinae liturgiae induxit, denoto consuetudinem omnino condemnatione dignam et absurdam quam servant quidam sacerdotes, qui concelebrant et perficiunt id quod comministerium vocatur, ut unusquisque eorum habeat suum librum sacrae liturgiae et legat separatim preces. Opus inordinatum et absurdissimum: liquet namque sic non fieri unam liturgiam sed plures simul. Quare eos exhortamur ut respuant tantam insaniam. Oportet unus ex iis recitet preces, reliqui vero audiant.

At si res ita se habent sicut in nostra conclusione statuimus, restat ut explicemus quo modo in ecclesiis orientalibus catholicis mos sacramentalis concelebrationis contra antiquam traditionem ortus sit. Id autem ineunte saeculo XVIII auctoritate ecclesiae Romanae modo decretorio factum esse existimamus. Servaverant scilicet ecclesiae orientales e remotissima antiquitate consuetudinem sollemnis illius concelebrationis in qua uni episcopo vel sacerdoti panem et vinum conse-

---

(214) V. infra.

(215) Nicodemos monach. Hagiorites, *Ἐορτοδρόμιον*, Venetiis, 1836, p. 576, n. 1.

cranti plures assisterent presbyteri, partem in ritibus agendis et in recitandis precibus habentes, non tamen ipsi sacramentum conficientes. Hunc porro concelebrationis morem ecclesiam Romanam primo Maronitarum gratia sancivisse (216), simul tamen praescripsisse ut presbyteri concelebrantes una cum principali celebrante consecrarent, seu ab ea in locum caerimonialis concelebrationis substitutam esse sacramentalem. Hac namque conditione singulis presbyteris concelebrantibus licitum fiebat, tamquam pro missa ordinaria, consuetum missae stipendium accipere. Eandem legem brevi postea etiam Italo-Graecis Constitutione *Demandatam* imposita est (217), et ab his ecclesiis consuetudo sacramentalis concelebrationis ad reliquas ecclesias catholicas Orientis propagata est.

Quod sacramentalis concelebrationis praeceptum minus mirabitur lector, si meminerit Benedictum XIV, qui tantam partem in praeparatione et in approbatione synodi Libanensis habuit et ipse Constitutionem *Demandatam* edidit, cum plerisque viris doctis suae aetatis persuasum habuisse illam concelebrationis rationem fuisse in ecclesia catholica a primis saeculis receptam adeoque veram et legitimam consuetudinem reputandam esse.

Permanet tamen quaestio de tempore et modo quo sacramentalis concelebratio etiam in ritum russo-byzantinum penetravit (218). Ab eius vero solutione documentorum inopia, saltem in praesentia, prorsus prohibemur.

---

(216) V. *Periodica*, t. XVII, p. 98*.
(217) Ibid., pp. 95*-96*.
(218) Ibib., pp. 104*-105*.

III.

De origine et natura concelebrationis eucharisticae.

Sive ad argumenta generaliora recurrimus, sive pauca illius aetatis documenta adimus, ad eandem conclusionem deduci videmur, nimirum eucharistiae concelebrationem tribus primis ecclesiae saeculis sacramentalem non fuisse.

Huic namque primum obstabat antiquae communitatis christianae perfecta et hierarchica unitas quam praeter alia scripta nobis exhibent, v. g., S. Ignatii Antiocheni epistulae. Dubium enim non est quin ista unitas in caerimoniali quam in sacramentali concelebratione, manifestius appareat, cum illa ritus praecipui unitatem perfecte servet et etiam in eo singularem partem principali celebranti tribuat, haec vero in secundaria tantum et apparenti unitate veram multiplicitatem ponat, in ipso autem sacramento conficiendo omnibus celebrantibus plane easdem partes concedat.

Deinde nulla certa ratio in antiquissima illa ecclesiae aetate et conditione inveniri potest cur lex vel consuetudo instituta sit ut ad unum sacramentum conficiendum plures ministri concurrerent. Romae quidem talis institutionis causam recentioribus saeculis reperire potuimus, at haec non in ipso eucharistiae sacramento seu sacrificio sita erat, sed in speciali illius ecclesiae conditione, in qua nimirum presbyteris cardinalibus peculiaris facultas concessa erat in suis ecclesiis eucharistiam separatim celebrandi, ita ut facile intellegeretur istos presbyteros, ubi simul cum papa celebrare deberent, etiam consuetudinem precem eucharisticam seu canonem recitandi retinuisse. Nihil vero simile, ut diximus, in antiquissima ecclesia invenire est.

Praeterea si verum est quod plerique liturgistae asseverant, id est morem fuisse antiquitus ut celebrans orationem eucharisticam pro tempore diceret, sane absurdum est, simul affirmare velle plures celebrantes illam precem una potuisse recitare.

Sin autem documenta consulere velimus, quid, quaeso, habet missae descriptio a S. IUSTINO (219) redacta quod communem consecrationem significet? Nonne haec potius negatur? Nonne synaxeos praeposito diaconi tantum ministrantes exhibentur? Et si antiqua ecclesia sacramentalem concelebrationem in usu habuit, cur ab Aniceto papa relictus est Polycarpo honor eucharistiam in synaxi celebrandi (220)? Nonne concelebrare poterant duo episcopi? Cur in *Didascalia* syriaca (221) episcopo commendatur ut si in suam civitatem episcopus peregrinus advenerit et eucharistia celebranda sit, hospiti suo honor eucharisticam precem proferendi relinquatur, et, si hic sapiens sit et oblatum sibi honorem recusans, eum episcopo loci relinquat, saltem super calicem oret, id est, ni fallimur, calicem consecret? Profecto quia fas non erat ut ambo una panem vel calicem consecrarent.

Huc denique spectat etiam concelebratio quam nobis memorat *Traditio apostolica* HIPPOLYTI ROMANI (222). Licet enim episcopali consecrationi subiuncta appareat, in hoc tamen ab hodierna consuetudine discrepat, quod in ea novus episcopus non cum suo consecratore sed, sicut in concelebratione ordinaria, cum suis presbyteris missam celebrat. At, ut supra iam probavimus, nullum praebet illa descriptio communis consecrationis certum indicium, cum forma

---

(219) *Apologia I*, cc. 65 et 67.

(220) EUSEBIUS, *Historia ecclesiastica*, L. V, 24, 17, edit. E. SCHWARTZ-TH. MOMMSEN, GCS, p. 496.

(221) Cap. 12, vers. Angl. R. H. CONNOLLY, *Didascalia apostolorum*, Oxford, 1929, pp. 120-122.

(222) V. *Periodica*, t. XVI. pp. 191*-193*.

dialogi quae orationem eucharisticam pro more antecedit, potius suadeat hanc fuisse ab episcopo tantum recitandam.

Existimamus igitur etiam primis saeculis communem eucharistiae consecrationem ecclesiis orientis et occidentis ignotam fuisse vel certe plane nullum esse argumentum affirmandi contrarium, quamquam id historici fidenter facere consueverunt et agere non desinent. Attamen cum multo veri similius esse declaramus communem consecrationem antiquae ecclesiae alienam fuisse, hoc tantum, ut ad initium nostrae dissertationis monuimus, significare volumus, morem antiquorum presbyterorum non fuisse ut una cum suo episcopo orationem eucharisticam et formam sacramentalem proferrent. Utrum vero necne isti presbyteri, quotiescumque episcopo suo celebranti et consecranti adstabant, eiusque preci « assensum praebebant », putaverint se ita aliquo modo una cum illo consecrare, plane diversa est quaestio. Error certe esset existimare antiquorum mentibus claros illos et distinctos conceptus iam insitos esse quos diuturnum tantum theologiae studium post plura saecula generare poterat. Quare fieri potuit ut eucharistica consecratio, quamvis ab uno tantum episcopo pronuntiaretur, nihilo minus etiam presbyteris actu cum illo concelebrantibus, tamquam secundariis quibusdam ministris, attribueretur.

Ioannes Mich. Hanssens S. I.

Facultates quinquennales formulae III

quae Ordinariis locorum Europae anno 1932 conceduntur

Facultates quinquennales Ordinariorum locorum in Ep. I. can. p. 534 ed. 4 exscripsimus quales erant anno 1927.

Quomodo anno 1932 formula III (pro Europa) conscripta sit hic exhibemus, indicando quae aliter atque in Epitome [4], I p. 534 ss. concessa sunt.

Pag. 2ª Indicis facultatum, in nota hoc observatur: « Facultatibus, quae in hoc indice, suis locis Episcopo dioecesano personaliter reservantur ipse tantum uti poterit ».

E suprema Cong. S. Officii

De p. 535 III⁰, nihil in formula III.

E S. C. de disciplina Sacramentorum

Inter adnotanda 1⁰ expresse dicitur « Ordinarius recensitis facultatibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius Apostolicae delegationis ad normam can. 1057 ».

Relatio in fine anni facienda dicitur in 3⁰ ex annotandis, sed hoc tenore: « Ordinarius in fine cuiuslibet anni referat ad S. Congregationem Sacramentorum, per tramitem S. Congr. Consistorialis, de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis Indulti ipse fuerit elargitus ».

Hic nihil de oblationibus nec de recursu ad S. Off. pro mixta religione nec de tempore ad quod facultates concessae sunt: sufficit mentio hic in initio exscripta, p. 2 Indicis.

E S. C. Concilii.

Nihil de p. 537 in formula III.

E S. C. Religiosorum.

Facultas 4 paulo aliter sic: « 4 Dispensandi, etiam pro Religiosis exemptis, super defectu aetatis canonicae ad S. Ordinem presbyteratus, scilicet:

a) super eiusdem defectu usque ad 12 menses, dummodo ordinandi a suis Superioribus litteras dimissoriales acceperint et ceteras habeant qualitates a sacris canonibus requisitas ac praesertim curriculum theologicum expleverint ad normam can. 976 § 2 C. I. C.

b) super eodem defectu etiam ultra 12 menses at non ultra sexdecim, dummodo alumni ne gaudeant vel indigeant alia apostolica dispensatione, servatisque ceteris condicionibus ut sub litt. a) ».

E S. C. Rituum.

1. « Deputandi Vicarium generalem vel alium sacerdotem, in aliqua ecc. a dignitate constitutum ad altaria fixa et portatilia consecranda, servato ritu et forma Pontificalis Romani ».

2. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad altaria fixa et portatilia exsecrata consecranda, adhibita breviori formula B) pro casibus can. 1200 § 2 C. I. C.; dum in casu can. 1200 § 1, iam indulta fuit per ipsum canonem facultas, et adhibenda est formula A.

3. « Deputandi Vicarium Generalem vel alium sacerdotem, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum, ad consecrandos calices et patenas, servato ritu et forma Pontificalis Romani ».

4. Ut antea.

5. Benedicendi obiecta pietatis signo crucis, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis. Occasione tamen visitationis pastoralis, quando multi petunt et plura ac varia exhibent huiusmodi obiecta benedicenda, saepe etiam cum diversis formulis, hisce in casibus permittitur unica formula brevior, dum fit signum crucis su-

per obiecta, nempe: « Benedicat haec omnia Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen ».

N. 6 habetur in Ep. n. 12

E S. Paenitentiaria.

Omnino ut p. 540.

Normae de taxis

1. Nulla taxa exquiratur pro licentia legendi ac retinendi libros prohibitos.

2. Pariter nulla exigatur taxa pro facultatibus S. Paenitentiariae, quae omnino *gratis* sunt concedendae.

3. Quod spectat ad dispensationes et sanationes matrimoniales concedendas — ex facultatibus sive S. C. S. Officii sive S. C. de disciplina Sacramentorum —, curet Ordinarius, ut nupturientes, qui pares solvendo inveniantur, *aequam* et *congruam* oblationem, iuxta praxim apud Curias legitime inolitam, persolvant.

4. Taxa exquiri solita pro ceteris indultis, — vigore — facultatum quae in hoc indice recensentur —, sint *quindecim* libellae.

5. Pro casuum tamen diversitate, hsm. taxae moderandae aut dispensandae erunt, ob paupertatem oratorum, aliasve iustas causas, *pro prudenti iudicio ac conscientia Ordinarii.*

6. Summa omnium taxarum et obligationum, quas Ordinarius reapse exegerit, in fine cuiuslibet anni ad S. Sedem, *per tramitem S. Congr. Consistorialis,* transmittatur, in foliis separatis adnotando partes quae spectant ad singulas Congregationes.

7. Ipse Ordinarius, pro quolibet indulto, etiam matrimoniali ad sensum can. 1056, taxam libellarum quinque adicere poterit, sibique retinere, in sui vel dioecesis necessitatibus erogandam; salvo praescripto n. 5.

N. B. Anno 1932 haec fert pag. exterior:

Sacra Congr. Consistorialis

Index Facultatum Quinquennalium. Formula III.

Rev.mo Ordinario

Non nulla notanda.

1. Requirunturne ad valorem duo testes quando convertendus recipitur in Ecclesiam?

Ad validitatem non requiruntur duo testes, si receptio fiat ab Episcopo (can. 2314); neque etiam si fiat a delegato: is enim vi mandati recepti quasi naturam personae officialis induit, cuius acta fidem faciunt.

Requiritur facultas Ordinarii, ut quis convertendum recipiat in Ecclesiam, quia per se spectat ad Episcopum hominem in Ecclesiam introducere; et quia in foro externo convertendus censetur excommunicatus excommunicatione specialiter S. Sedi reservata, a qua tamen Episcopus, si causa in foro externo ad ipsum deferatur, absolvere in foro externo ac proin in foro interno potest.

Potest generaliter alium sacerdotem delegare, sine necessario recursu ad ipsum in singulis casibus.

2. Episcopus ad cautelam dispensavit nupturientem a disparitate cultus. Postea constat acatholicum non fuisse baptizatum.

Valetne dispensatio?

Resp. Valet. Factum enim ostendit fuisse opportunum ut dispensatio ad cautelam concederetur.

QUAESITA VARIA

De Baptismo et receptione in Ecclesiam

I. **De Baptismo.** 1. Lutherus, minister acatholicus, cum uno actu triginta pueros baptizare vellet, ipsos ante se posuit; ac deinde, recitatis precibus et formula voce plurali, omnes una aspersione baptizavit.

Quaeritur quid de isto Baptismo iudicandum sit?

Resp. Investigandum est, pro viribus, quid de singulis pueris dici possit. Si qui nullam aquam in fronte vel in capite vel in alia parte denudata corporis receperint, certo non sunt sacramentaliter abluti, et absolute ipsis iterandus est baptismus, si convertantur. Nisi enim convertantur, sacramentum ipsis extra mortis periculum ministrare vetamur can. 731, § 2. Certus contra est baptismus eorum qui in parte principali corporis, seu in fronte, capite vel pectore, tantam aquam receperint ut eius fluxu abluti fuerint. — Ceteri erunt sub condicione rebaptizandi, si convertantur.

2. Hippocrates, medicus catholicus, pluries in necessitatis casu hoc modo baptizavit infantes, ut voce non audibili formam pronuntiaverit. Valetne iste baptismus?

Resp. Si verba distincte pronuntiaverit, existimamus baptismum valere, quia verba pronuntiata sunt semper signum sensibile. Si tamen, ne ipse quidem audire verba potuerit, propter sententiam S. Alphonsi de verbis consecrationis, censemus baptismum sub condicione esse iterandum. Si vero mere mentaliter formulam expresserit, deficiente signo sensibili, baptismus dicendus est invalidus.

II. **De receptione in Ecclesiam.** Alexander, sectae acatholicae ascriptus, cognita veritate fidem catholicam amplecti proposuit. Sed ipse, facto etiam divortio civili, alteras nuptias attentaverat. Causam instituit nullitatis prioris matrimonii. Sed tribunal negavit constare de nullitate matrimonii. Ipse tamen instat ut possit in gremium Ecclesiae cooptari.

Resp. Plura hic attendenda sunt. In primis estne ista bigamia in regione ubi dies agit cognita vel facile cognoscibilis ? Si facile cognosci potest, ipsa ratio scandali prohibebit ne reciptatur in Ecclesiam, nisi se a pseudo - uxore sua separaverit. Si autem condicio ista ignoretur, de causa divortii inquirendum est. Si uxor fuerit infidelis, vel iustam causam dederit divortio, tunc Alexander errores abiurare et se cum Ecclesia reconciliare poterit, dummodo, si separatio nimis difficilis fuerit, omni commercio carnali, vivente legitima uxore, cum pseudo-coniuge abstinere voluerit et moraliter potuerit.

De « Processionibus »

I. In Urbe N. plura sunt Conservatoria Monialium diversarum religionum, quae puellas educandas mittunt ad participandam piam pompam, sub ductu paucarum religiosarum quae ad comitandas puellas debita licentia munitae sunt.

Quaeritur iam utrum ordo praecedentiae statuendus sit ex can. 106, 5^0, an ex can. 491 § 2.

Can. 106, 5^0 id statuit: « Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco ubi quaestio oritur, instituta est ».

Can. vero 491 § 2 observat variam naturam religionum his verbis: « religiones clericales (praecedunt) laicalibus; canonici regulares Congregationibus religiosis; Congregationes iuris Pontificii, Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106, n. 5 ».

Resp. Procul dubio, ordo ex can. 106, 5⁰ statuendus est. Moniales enim seu religiosae qua tales processionem non participant, alumnae autem nullum corpus constituunt. Sunt ergo mere consociatae puellae, omnes eiusdem qualitatis, quibus proin regula solo can. 106, 5⁰ statuitur; idque ex analogia, quia, ob paritatem causae, ad associationes non erectas in personas morales, traducimus quod de personis moralibus est definitum.

II. Fretus canone 1293 et 1294 quo, excepta processione infra octavam Corporis Christi, processiones ipsius licentiae subordinantur, Episcopus edicere proponit ut omnes processiones initium habeant a primaria loci ecclesia. Quid de valore huius edicti?

Resp. Nostra humili sententia, huiusmodi decretum sustineri non posset. Etenim contra omnem usum foret ut Processio ab alia ecclesia atque ecclesia quae processionem instituit egrederetur. Episcopi autem est licentiam concedere vel negare, nullatenus autem processionis formam mutare.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de religiosis propositi p. 192*

Ad I. 1) Ut aliquis fiat vere et proprie religiosus coram Deo, requiritur stabilitas, quae, ante Codicem, cum solis votis perpetuis conecti putabatur. Codex quidem contentus est intentione indefinite renovandi vota temporanea.

Quare praefatus Novicius, qui firmiter statuit se non remansurum ultra diem qua vota temporanea finem habebunt, plene religiosus *coram Deo* esse nequit. Vota tamen valide nuncupavit, quia nusquam haec intentio renovandi vota ut condicio valoris perhibetur.

2) Superiores eum admittere poterunt si id cum utilitate Instituti, cuius bonum curare debent, congruit. Ac sane non unam ob causam fit ut temporanea cooptatio subditi valde Instituto prodesse queat. Quid, quod Superiores sperare possunt fore ut post vota novicius perpetuae perseverantiae animum concipiat.

3) Licite remanere et inter religiosos vivere poterit vel non poterit, pro variis adiunctis, in quibus potissimum consideranda sunt: damna vel utilitates suae praesentiae, scandalum eius discessus quod maius per se est post vota quam ante vota.

Graviter carpendus fuerit qui eo consilio religioni nomen det ut expensis religionis liberalia studia peragere queat, maxime si nulla certa spes vel voluntas refundendi expensas fraudem temperet; dum non erit vituperandus qui per aliquot annos in disciplina virtutis et sanctitatis exerceri cupiat.

4) Respondendum est ut ad primum.

5) Respondendum est ut ad secundum.

6) Id sane possunt. Cfr dicta in fine responsi ad secundum.

Ad II. Confessarius recte non egit nisi, perspectis circumstantiis, novicius gravi obligatione teneretur mutandi consilium in propositum perseverantiae saltem condicionatae (si experientia me idoneum demonstraverit) vel repetendi saeculum.

Casus De Matrimonio

I. Alphonsus, vir uxoratus, suam uxorem deseruit ut adhaereret alii personae. Cum iam diu in isto statu prorsus illegitimo versaretur, voluit cum complice sua scripto de praesenti matrimonium, sine testibus contrahere. Mortua autem legitima uxore, se contulit ad parochum ut iam in facie. Ecclesiae nuptias canonice celebraret. Quaeritur annon obstet impedimentum criminis?

II. Georgius, alter vir infidelis, ut alii personae persuaderet communem cum ipso vitam, ei scriptam dedit fidem futuri matrimonii, statim ac suum matrimonium legitimum dissolveretur. Quaeritur utrum annon vinciatur impedimento criminis ex fide data? Cfr in *Ius Pontificium* 1931, disputationem R. D. Boudinhon.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De obligatione orta ex valida promissione matrimonii.

Contra ea quae late exposuimus de obligatione orta ex valida matrimonii promissione (*Periodica,* 1932, p. 88-100) egregia ephemeris *Ius Pontificium* sic arguit: « Ex adverso, quum agatur de lege stricte interpretanda (can. 19), videtur nobis Legislator noster non plus roboris tribuisse sponsalibus legitimis, quam tribuere soleat ceteris contractibus Legislator civilis, cui Codex i. c., praesertim in re matrimoniali, non semel accedit. Sic, igitur, quoties, re melius perpensa, civilem contractum exsequi quidem detrecto, sed simul paratus sum ad omnia damna, ex mea defectione emergentia, ex integro reparanda, ne in foro quidem interno ampliore obligatione teneor; ita, et *a fortiori,* in promissione matrimonii, ad quod et *summa libertas* et *summa ponderatio* requiritur. Rem, antequam me obligarem, non satis consideravi; sed huius inconsiderationis meae (*humanae* profecto !) damna, quaecumque ea sint, reparare intendo ad tramitem iuris: *quid amplius* a me exigitur ? »

Ita praelaudata ephemeris (1932, fasc. 2, p. 131). Complura hic asseruntur, quae, ut remur, nec

theologiae moralis nec iuris canonici civilisve scriptores facile admittent.

Imprimis minus recte, ni fallimur, allegatur praescriptum can. 19 et dicitur agi de lege strictae interpretationi obnoxia. Sane confundenda non est praescriptio contenta in can. 1017 seu lex ipsa cum promissione matrimonii et obligatione inde orta. Sunt res etenim plane distinctae.

Ulterius, quo iure dicatur: « videtur nobis Legislator noster non plus roboris tribuisse sponsalibus legitimis, quam tribuere soleat ceteris contractibus Legislator civilis », percipere nequaquam valemus.

Inter legem canonicam et modernos Codices civiles fere omnes, quin absolute omnes dicamus, maximum datur discrimen, quod attinet ad promissionem matrimonii et obligationem quae inde profluit. Nam Codices civiles nec absolutam nec disiunctivam memorant obligationem ineundi matrimonium; dum Codex iuris canonici (can. 1017) saltem alterutram, iuxta omnes interpretes, admittit. Hinc est, quod etiam auctores, qui censent obligationem esse disiunctivam *aut* nuptias contrahendi *aut* damna reparandi, eo ipso concedunt ex valida promissione oriri veram obligationem, ita ut pars, quae renuat damna forte illata reparare, teneatur matrimonium contrahere seu stare promissis. De qua obligatione saltem disiunctiva silent prorsus Codices civiles.

Codex civilis italicus v. g. statuit: « La promessa scambievole di futuro matrimonio non produce *obbligazione legale* di contrarlo, nè di eseguire ciò che si fosse convenuto pel caso di non adempimento della medesima » (art. 53). Eadem habentur ex. gr. in Codice germanico (§ 1297) et in Codice helvetico (art. 91).

Dum lex civilis loquitur expresse de obligatione *iuridica* contrahendi nuptias eamque diserte excludit, quin tamen excludat obligationem moralem, Legislator

ecclesiasticus non potest ab ea positive praescindere. Alius quippe est finis Ecclesiae, alius societatis civilis ideoque, ad obligationem quod attinet, immerito videtur paritas affirmari inter ecclesiasticam atque civilem legem.

Idque eo vel magis asserendum est, quia Codices civiles considerant dumtaxat, saltem generatim loquendo, promissionem vere sponsalitiam seu bilateralem, non autem promissionem unilateralem, atque ex illa tantum statuunt oriri actionem ad reparationem expensarum et damnorum (cfr v. g. art. 54 Cod. ital., art. 92 Cod. helv.; § 1298 Cod. germ.); dum e contra ex iure canonico actio ad reparationem damnorum datur ob quamlibet promissionem sive bilateralem sive unilateralem, de qua expresse loquitur can. 1017.

Hinc patet, sine fundamento solidaque ratione principium analogiae depromi ex lege civili illudque iuri canonico in casu applicari.

Eo minus intelligere possumus hanc doctrinam, *inauditam prorsus* cum apud theologos et canonistas tum apud civilistas, nempe: « *Quoties, re melius perpensa, civilem contractum exsequi quidem detrecto, sed simul paratus sum ad omnia damna, ex mea defectione emergentia, ex integro reparanda, ne in foro quidem interno ampliore obligatione teneor* ».

Haec, inquam, doctrina est inaudita prorsus, quia inter legitimas causas solutionis aut rescissionis contractus *reparatio damnorum* minime recensetur.

Si v. g. librum aliamve rem vendidi, quis dicet, me, *tuta conscientia,* posse recedere ab inito contractu, emptore contradicente, dummodo eum indemnem reddam de damnis ex mea defectione emergentibus? Quis dicet me, ratione initi contractus, teneri dumtaxat obligatione resarciendi damna?

Quod autem de uno contractu asseritur, ex. gr.

de emptione - venditione, de ceteris omnibus affirmandum esset. Urget sane eadem ratio iuridica.

Praeterea, si ex damnorum reparatione paciscens liberatur, etiam in foro interno, a quavis obligatione erga alterum paciscentem, quidnam foret dicendum, si huic paciscenti nulla damna obvenissent, ita ut reparationi locus non esset? Nonne logice concludendum foret, in isto quoque casu paciscentem, « re melius perpensa », recedere posse ab inita conventione atque ideo immunem esse a qualibet obligatione erga alterum paciscentem, etsi forte hic abnueret? Quae conclusio, sponte necessarioque profluens ex tradito principio, vix non absurda dicenda, utpote quae naturam contractuum mutat eorumque vim atque efficaciam penitus aufert.

Quae cum ita sint, exposita doctrina de cessatione obligationis contractuum in foro interno ex sola damnorum reparatione, prorsus inaudita et erronea est eamque tribuendam remur lapsui calami aut merae inadvertentiae.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

De Confessario occasionali, seu de fine diuturnae controversiae.

Exc. D. JORIO, vir non minus ingenio quam doctrina et rerum experientia praestans, his diebus publici iuris fecit volumen italice scriptum, cui titulus *Le vergini prudenti,* in quo, forma dialogi, ius religiosarum exponit. Argumentum plene mira perspicuitate ad usum religiosarum volvit, ita ut etiam pacta Lateranensia attingat et breviter declaret qua ratione religiosae domus ad proprietatem civilem accedere queant.

Opus istud, iam ipso nomine scriptoris commendatum, maiorem etiam auctoritatem acquisivit patrocinio Em. Card. Vicarii Urbis, qui permisit ut opus ipsi dicaretur, illudque approbante epistola honestavit.

Inter multa utilia quae isto opere continentur, spe moti dissipandi vestigia diuturnae controversiae, si quae forte supersint, maxime opportunum nobis visum est summatim referre quae doctus scriptor de can. 522 ut certa tradit (cap. 5, art. 2, n. 93-101).

Agitur de facultate quae religiosis feminis datur adeundi, ad tranquillitatem conscientiae, confessarium pro mulieribus approbatum, cuius occasio ipsis praebetur.

Postquam (n. 93) fere ad verbum can. 522 exscripsit, addendo tamen ad loca secundum Codicem expresse indicata in quibus confessio excipi possit, quemlibet locum ad audiendas mulieres legitime destinatum, ut a Commissione Codicis 24 nov. 1920 edocti sumus :

1. Primo (n. 94) observat nomine sacerdotis huc venire cum saecularem tum religiosum, atque ipsum cappellanum communitati addictum, dummodo ab Ordinario loci approbatus sit ad excipiendas confessiones mulierum. Religiosus tamen curabit ut debitam servet subordinationem ad Superiorem suum.

2. De locis in quibus religiosae beneficio canonis uti possunt, n. 95, haec tradit: procul dubio locus iste est etiam ecclesia vel oratorium semipublicum communitatis ad quam religiosa pertinet; ac praeterea confessionale proprii monasterii vel conventus, legitime destinatum audiendis confessionibus religiosarum.

3. Quaerenti (n. 96) qua ratione moniales strictae clausurae occasionem talis confessarii habere queant, cum ne ad suam quidem ecclesiam liberum accessum habeant, respondet: eam habebunt hoc facili modo quem ius canonicum non tantum ipsis sed etiam religiosis quae e domo exeunt concedit; id est, ut aliquo

pacto procurent ut talis vel talis sacerdos, approbatus pro confessionibus mulierum, invitetur ad se conferendum ad confessionale monialium.

4. De frequentia qua religiosae ista facultate uti permittantur ait (n. 97): quoties experientur oportere ut ad tranquillitatem conscientiae ea facultate utantur. « Tutte le volte che senta (la religiosa) il bisogno di tranquillare la sua coscienza ».

5. Monet (n. 98) confessionem extra loca legitime deputata ideo fore invalidam et illicitam « quia iurisdictio collata confessario in can. 522 non sit personalis sed localis ».

6. Verum statim (n. 99) subiungit hunc casum: Quid si religiosa lecto detenta, quamvis non graviter aegrota, confessarium ad tranquillitatem suae conscientiae advocarit, possitne ab illo in lecto audiri?

Ac respondet audiri in lecto posse, quia propter aegritudinem vel *aliam veram necessitatem,* observando cautelas « quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit, cubiculum infirmae fit locus legitime destinatus ad excipiendas mulierum confessiones ad normam c. 910 ».

7. Numero 100 quaerit num religiosa possit statuere certa intervalla post quae confessarius redeat: v. g. semel vel bis in mense.

Ac negat id regulariter fieri posse, quia qua die futurum sit ut necessitas recurrat, praevideri nequeat. Si tamen, id subiungit, agatur de personis valde piis, vel scrupulis exagitatis, vel indigentibus lumine speciali confessarii cui soli possint quasdam angustias conscientiae revelare, in his casibus ratio agendi valida et licita foret.

8. In fine obiectionem de abusibus attingens, abusus futuros esse non diffitetur; sed iis afferendum esse monet remedium quod, in re tam gravi et delicata, cum libertate conscientiae componatur. « Cogitent Superiorissae quam tremendum onus conscientiae sibi

assumere possint adversando vel aliquo modo obsistendo usui tam sacri iuris quod S. Ecclesia ipsarum subditis concessit; religiosae autem sine verecundia et humano respectu libertate sua utantur: sin aliter, sibi ipsis culpam et damnum imputare deberent».

Disputatio ista clarissimi scriptoris demonstrare nobis videtur, in interpretatione c. 522, post multas controversias ad concordiam fere perventum esse. Inter istas controversias, maxime nobis a mente legis aliena et odiosa videbatur non nullorum dubitatio qui can. 522 hac ratione interpretabantur, ut claustratas religiosas beneficio can. 522 excluderent. Potissimum propter eas, observabat mihi consultor Commissionis Codicis, suppressa est clausula quae, post decretum S. C. Episcoporum et Regularium 22 april. 1872, liberum aditum ad confessarium faciebat monialibus vel Sororibus *extra claustra versantibus*. Ac nonne specialis causa, maxime post late diffusum usum communionis cotidianae, postulat ut aliqua libera optio confessarii iis permittatur quae, ex vocatione sua, magis segregatae vivunt?

Iam vero, post claram et minime ancipitem vocem quae nunc in ipsa Urbe audita est, existimamus de ista re non iam esse interloquendum; sed prorsus constare Monialibus quoque canonem 522 esse scriptum.

Id nunc auctoritate etiam Cardinalis Vicarii S. Pontificis et ratione evicisse non modicum meritum est Excellentissimi scriptoris, et peculiarem causam suppeditat cur ipsi opus publici iuris factum ex animo gratulemur.

A. VERMEERSCH S. I.

De Ordinatione pro aliena dioecesi.

Canon 969 § 2 permittit ut Episcopus promoveat alumnum qui servitio alius dioecesis destinatur (Cfr quoque can. 956).

Quaeritur iam utrum, si ista ordinatio fiat communi consensu Episcopi proprii viri ordinati et Episcopi dioecesis cui destinatur, litterae formalis excardinationis et incardinationis praeterea sint necessariae, an ipsa ordinatione, communi utriusque Episcopi consensu facta, ordinatus pertineat ad dioecesim pro qua ordines suscepit.

Ac dixeris quidem, attendendo ad can. 969 § 2 formalem praeterea requiri excardinationem et incardinationem. Canon enim sic effertur: « Non prohibetur tamen Episcopus proprium promovere subditum qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur ».

Atque haec solutio insinuatur in *Collectanea Mechliniensia*, 1932, p. 183. Nihilominus, in *Periodica*, t. XII, p. 73 ss. dedimus responsum Pont. Comm. Cod. 17 aug. 1919, quo roganti Card. arch. Armacan. (LOGUE): « Utrum ille qui ordinetur a proprio episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta can. 111 § 2, an potius dioecesi proprii episcopi iuxta can. 969 § 2 », *Pont. Commissio* declaravit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Responsio quidem ista non est in *Acta Ap. Sedis* promulgata; est tamen magnae auctoritatis et securam tradit normam agendi. Ac pro ista declaratione haec afferri posse videntur. Canon 969 § 2 per verba « qui in futurum », casum ordinationis communi consensu factae non contemplatur. Supponit mere praevideri futurum esse ut Episcopi alieni sibi huiusmodi ordinatum quaerant. Canon autem 114 virtualem excardina-

tionem et incardinationem admittit clerici qui, assentiente (scripto) proprio Ordinario, vel obtenta scripta licentia discedendi in perpetuum, in aliena dioecesi beneficium residentiale obtinuerit. Nonne, utendo arg. analogiae, Pontificia Commissio etiam virtualem excardinationem et incardinationem ex ordinatione communi consensu facta pro aliena dioecesi admittere potuit? Id solum, ni fallimur, cavendum est, ut scriptum communis consensus documentum conficiatur.

A. Vermeersch S. I.

Solutio casuum qui propositi sunt p. 228*.

I. 1. Canon 1075 haec habet: « Valide contrahere nequeunt matrimonium:

« 1° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt ».

Sic canon condiciones exprimit primae, quae dicitur, formae impedimenti criminis; de qua casus propositi sunt.

Itaque, ut impedimentum contrahatur, requiritur:

a) verum et formale adulterium, cuius reus sit aut, ante dissolutionem matrimonii, reus fiat uterque coniux;

b) et, durante eodem matrimonio:

vel fides *mutuo* data de matrimonio ineundo (1);

vel attentatum matrimonium, etiam per civilem tantum actum.

---

(1) Sanchez, De matrimonio, disp. 79, n. 2, postulabat ut fides esset de matrimonio post obitum legitimi coniugis ineundo, quia si erat de matrimonio ante obitum contrahendo, aberat periculum perpetrandi delictum homicidii in verum coniugem. Sed can. 1075, 1° hanc clausulam minime apponit.

2. De impedimento criminis ex fide data et etiam de attentato matrimonio, R. D. BOUDINHON, qui iure ac merito sibi nomen peritissimi canonistae adeptus est, scripsit in *Ius Pontificium*, XI (1931), pp. 36-40, lucubrationem in qua quaestionem agitat quam novam perhibet, cui subtilem « non sine aliquo timore publici iuris » dedit solutionem. Pace dixerim illustris doctoris, ei astipulari omnino non possumus.

Cum enim, praesenti iure, matrimonium sine ulla sollemnitate seu sine testibus celebratum, sit prorsus nullum; cum ex can. 1017 omnis promissio matrimonii, sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, sit pro *utroque foro* irrita, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus, existimat nec fidem aliter atque in forma iuridice valida, datam, nec matrimonium forma mere privata contractum, posse locum dare impedimento criminis.

Rationem affert, quia ista fides aliter data, istud matrimonium forma privata celebratum, sint iuridice *inexsistentia* ac proin non sint attendenda, cum nihil sint.

Cui rationi addit quam putat confirmationem auctoritatis, quia nullus auctor, sic ipse, sub veteri iure docuit matrimonium mere privatum habendum esse ut attentatum in locis ubi vigebat decretum *Tametsi*.

3. Verum, ut iam docebat SANCHEZ, *De Matrimonio*, disp. 79 n. 8: « Non ponderatur valor matrimonii aut sponsalium quo impedimentum hoc consurgat » et, n. 13: « Impedimentum hoc non pendet ex promissionis valore ». Scilicet iuridica nullitas factum dati consensus de praesenti vel fidei datae non destruit. Nullum declaratur matrimonium vel promissum sine forma statuta celebratum, quatenus conscientiam non ligat; sed nulla causa indicari potest cur ad impedimentum contrahendum requireretur forma iuridice sufficiens actus qui nihilominus semper iam nullus foret.

Praeterea matrimonium privatum habendum esse ut attentatum explicite docent cum WERNZ (*Ius Decr.*, IV, 2 p. 406) « Attentatio matrimonii habetur, *sive* coram *parocho* et testibus, sive *clandestine* serioque coram solo magistratu *civili* vel coram *ministello* acatholico, vel actu plane privato, imo forte obstante *alio* quoque impedimento matrimonium per consensum de praesenti verbis vel factis expressum celebretur. » ; tum WERNZ-VIDAL, *Ius Matrimoniale*, n. 525, iisdem verbis utens : quem locum ipse cl. BOUDINHON, l. c. p. 40 exscribit ; praeter hoc clarum responsum S. C. *de Propaganda Fide*, 14 ian. 1844 : « Contrahere autem seu attentare matrimonium de praesenti est inire nuptias, utique invalide, per verba de praesenti, vel per aliquod aliud signum quod consensus promissionem includat » (apud GASPARRI, *De matrimonio,* n. 738). Nec WERNZ, nec WERNZ-VIDAL ignorabant privatum matrimonium forma essentiali destitui.

Quid, quod sententia ista ipsis canonis 1075 verbis refutatur ? Actus enim civilis etiam est, inter baptizatos, in iure ecclesiastico prorsus inexsistens, ita ut LEO XIII, 17 mart. 1879 (*Acta S. Sedis*, XII, 176) declaraverit matrimonio mere civili non contrahi impedimentum publicae honestatis, quod tamen matrimonio invalido, ante Codicem, contrahebatur si speciem matrimonii haberet.

Scilicet, fides censenda est data, quotiescumque coniuges vere et serio matrimonium promittere voluerint ; matrimonium attentatur per omnem verum consensum de praesenti.

II. Ut iam casus propositos solvamus :

1. Ill. D. BOUDINHON negabit quidem per privatum Alphonsi matrimonium, impedimentum esse contractum ; nos, contra, eum ut certo impedimento obnoxium declaramus, dummodo complex coniugatam mariti condicionem cognoverit.

Addi quoque possit, in isto matrimonio attentato plus quam fidem datam haberi. Quia, « plus est ducere quam fidem dare » ut habet WERNZ, l. c. p. 400, ex c. 5 Decretalium, L. IV, tit. 7.

2. Georgius vero immunis est ab impedimento, quia nulla fides mutua data fuit. Praeterea, si nomine viri infidelis intellegas virum non baptizatum, responsio hac altera ratione confirmatur, quod pars infidelis ab impedimentis iuris ecclesiastici est immunis, ita ut factum quod locum det impedimento debeat in parte baptizata sufficienter participari.

Casus de Matrimonio

I. (Casus perplexus). Parochus Norbertus, bonus quidem sed valde distractus et aliquantisper neglegens, probe noverat duos sponsos ligari impedimento dispensando facultate Ordinarii. Die autem matrimonio statuto, cum sponsi se conferrent ad nuptias in ecclesia celebrandas, parochus advertit se dispensationis impetrandae esse oblitum. Iam quaeritur utrum annon facultate can. 1045 § 3 uti possit.

II. (De Vicario substituto). Alexander, parochus, nuntio recepto imminentis mortis suae matris, extemplo a paroecia discedit, et Vicarium supplentem relinquit sacerdotem amicum, pro confessionibus ab Ordinario approbatum. Sed, nec supplens nec parochus, Ordinarium certiorem faciunt. Postquam ultra hebdomadam abfuisset parochus, duo sponsi se sistunt coram supplente ut eorum matrimonio, iam ante plures hebdomadas nuntiato, praeesset. Supplens ministerium suum minime recusavit. Nunc autem, auditis non nullis severis sententiis, dubitat utrum annon valide et licite mutuum sponsorum consensum exceperit.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litt. enc. " Nova impendet „ 2 oct. 1931

DE ASPERRIMO REI OECONOMICAE DISCRIMINE, DE LAMENTABILI APUD MULTOS OPERUM VACATIONE DEQUE INCRESCENTI APPARATUS MILITARIS STUDIO.

(A. A. S., 3 oct. 1931, XXIII, 393)

PIUS PP. XI,

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quanam calamitate Pontifex ad scribendum moveatur.

Nova impendet in concreditum Nobis gregem iamque premit calamitas, acrius quidem tenuiorem partem angens, quam Nos peculiari caritate complectimur, pueritiam nempe, proletariam plebem, opifices eosque omnes, qui rei familiaris copia non affluunt. De gravissimis loquimur angustiis reique oeconomicae discrimine, quae populos afficiunt quaeque in regionibus omnibus ad formidolosam compellunt multos atque increbrescentem ab operibus vacationem. Etenim videre est ad inertiam coactum atque adeo ad extremam usque indigentiam, una cum subole cuiusque sua, paene infinitum honestorum artificum numerum, qui nihil magis discupiunt quam ut honorate sibi panem comparare queant, quem cotidie a caelesti Patre, ex divino mandato, comprecantur. Tangunt equidem animum Nostrum eorum gemitus, Nosque eadem miseratione commotos illum iubent iterare questum, ex amantissimo Divini Magistri Corde coram hominum concursu fame languentium prolatum: « Misereor super turbam » (1).

Multorum ab operibus vacatio.

(1) Marc., VIII, 2.

Egestas puerorum.

At vehementior commiseratio Nostra illam spectat puerorum multitudinem, qui panem complorantes « dum non erat qui frangeret eis » (1) tristissimarum rerum condicionum onus innocenter ferunt, ac miseria squalentes, suae insitam aetati deflorescere iucunditatem conspiciunt ac nativum sentiunt in tenellis labiis risum languescere atque emori, quibus inscius ipsorum animus circumfundi exoptat.

Iam appetens hiems.

Cum vero hiems iam appetat, eius procul dubio consecuturae sunt comites, molestiae scilicet, aerumnae, inopia, quas tenuioribus ac miseris frigida ferunt tempora: ac timendum praeterea est ne, quod supra deprecati sumus ab operibus vacationis ulcus usque adhuc ingravescat, ut non provisa inopum familiarum penuria, eas — quod Deus avertat — ad irritationem adducat. Haec omnia trepidans perpendit communis Patris animus; ideoque, quemadmodum Decessores Nostri, ac praesertim proximus Decessor Noster p. r. Benedictus XV, vocem attollentes Nostram, eos omnes enixe adhortamur, quos penes fides viget ac christiana caritas; quae nimirum invitatio Nostra eo intendit ut omnes ad piam quamdam moveat amoris ferendaeque opis contentionem. Sacra eiusmodi contentio et corporis necessitatibus prospiciet et animos profecto eriget, fidem eorum excitans ac roborans eaque depellens e mentibus funestissima consilia, quae male suadens egestas ingerere solet. Invidiarum simultatumque igniculos, quae seiungunt inter se cives, valide compescet, easque vigere iubebit concordiae caritatisque flammas, quae nobile alunt ac promovent pacis prosperitatisque vinculum, quibus quidem singuli Civitatesque fruantur.

Exemplum Ben. XV secutus, Pater communis fideles ad piam ferendae opis contentionem invitat.

Fructus istius contentionis.

Invitatio urgetur

Ad hanc igitur pietatis caritatisque contentionem, quae pro certo se devovendi studium in pauperum commodum prae se fert, omnes advocamus caelestis unius Patris filios, innumeros eiusdem familiae socios ideoque omnes in Christo fratres, cum prosperitatis ac solacii, tum aerumnae ac doloris itidem participes. Ad hanc dicimus pientissimam contentionem adhortamur omnes tamquam ad sacrum officium quod peculiari illa innititur evangelicae doctrinae norma, praecepto scilicet caritatis, quod Christus Dominus suum praedicavit primum et maximum mandatum ac ceterorum praescriptorum omnium quasi summam atque compendiariam legem. Quod quidem mandatum proximus Decessor Noster desideratissimus, saeviente tunc temporis fere ubique bello grassantibusque simultatibus, iterum atque iterum

Supremo praecepto Christi de caritate,

(1) Ier., *Thren,* IV, 4.

tantopere commendavit, suumque veluti insigne fecit totius pontificatus.

Nos itaque ad suavissimum istiusmodi praeceptum, non modo tamquam ad supremum officium, in quo universa continetur christiana lex, sed ad nobilissimum etiam propositum atque institutum commonemus omnes, eosque potissimum, qui humanitatis ardore fervent et evangelicae perfectionis. At multis instare verbis idque impensius urgere supervacaneum putamus, cum omnibus exploratum sit hanc tantummodo animorum liberalitatem atque magnitudinem, hoc solummodo christianae virtutis studium aemulationemque — eorum videlicet qui, pro facultate cuiusque sua, fratrum saluti actuosissime se dedant, imprimisque tenuium infantium ac pauperiorum necessitatibus — gravissima aliquando posse nostrae huius aetatis incommoda instanter concorditerque evincere.

quod maxime Pontifex inculcat studiosis humanitatis et evangelicae perfectionis;

evincendis gravissimis nostrae aetatis incommodis.

Iamvero, cum asperrimum, quod lamentamur, malorum discrimen hinc acriorem consequatur populorum rivalitatem, illinc vero ingentia gignat publici aerarii dispendia; atque adeo cum non postrema sit duplicis huius perniciei caussa nimium illud in apparatu militari ac bellicis instrumentis praemoliendis acrius in dies certamen, Nos quidem temperare Nobis non possumus quin providam hac de re Nostram (1) eiusdemque Decessoris Nostri (2) admonitionem iteremus dolentes admodum quod usque adhuc non in usum eadem feliciter deducta sit; vosque item, venerabiles fratres, vehementer adhortemur ut aptiore, quo poteritis, modo, sacris nimirum concionibus habendis edendisque vulgo scriptis mentes collustretis omnium eorumque animos ad tutiores humanae rationis christianaeque legis normas conformetis.

Ordinarii rogantur suadere minora dispendia in apparatu militari.

Atque iam Nobis spes bona arridet fore ut apud unumquemque vestrum et corrogata confluat a fidelibus stips in indigentium auxilium, et a vobis itidem iisdem relevandis impendatur. Quodsi in nonnullis dioecesibus opportunius videatur id munus vel Metropolitae concredere vel quibusdam caritatis Institutis, vestrae profecto dignis fidei probataeque efficacitatis, liberum vobis esto, pro prudenti consilio, id exsequi.

Sperat fore ut collatio urgeatur et ab Ordinariis ordinetur modo quem putent aptiorem.

Cum vero usque adhuc vos adhortati simus ut mentem hanc Nostram idoneis scriptionibus concionibusque aperiendo, rem pro viribus provehatis, placet praeterea fideles vestros Nos primum in visceribus Christi commonefacere ut invitationi

Hortatur fideles ut suis Ordinariis obsecundent;

(1) Alloc. die 24 dec. 1930 habita; Litt. Aut. « Con vivo piacere », 7 apr. 1922.
(2) Adhortatio « Dès le début », 1 aug. 1917.

huic vestrae ac Nostrae largiter generoseque respondentes, id, quod vos, Encyclicas has Litteras interpretantes, ipsorum animis suasuri eritis, ad usum continenter deducant.

ut orent, ut memores sint promissae mercedis.

Attamen, quandoquidem omnes, vel nobilissimi, hominum nisus non opitulante Deo impares evadunt, ad bonorum omnium Largitorem instantes admoveamus preces ut, pro summa miseratione sua, quam primum feliciora iubeat emergere tempora; ab eoque, esurientium quoque nomine, divina illa a Iesu Christo data prece efflagitemus: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ». Reminiscantur omnes quod humani generis Redemptor ad incitamentum ac solacium nostrum pollicitus est, se scilicet quod fecerimus « uni ex his fratribus minimis » sibi factum autumaturum (1) neque divinam illam obliviscantur repromissionem, qua ipse asseveravit curam se eam, quam parvulis suo amore ducti impensuri fuerimus, sibimet ipsi praestitam existimaturum (2).

Dicta a D⁰ memorata de Angelis puerorum.

Festum denique, quod hodie Ecclesia concelebrat, dulcissima illa Iesu Christi verba in memoriam redigit Nostram, quibus Encyclicas has Litteras hortationesque Nostras concludimus; postquam videlicet Servator noster, secundum illud S. Ioannis Chrysostomi, in puerilium animorum tutelam veluti inexpugnabilia extulit propugnacula, hanc nobis edidit sententiam: « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est » (3). Hi profecto Angeli quae in puerorum et indigentium adiumentum volenti generosoque animo feceritis, haec terrarum caelorumque Domino offerent, ab eoque uberrima iis omnibus impetrabunt munera, quibus sanctissima huiusmodi caussa cordi erit. Adventantibus praeterea Iesu Christi Regis sollemnibus, cuius regnum et pacem iam ab inito Pontificatu ominati ac comprecati sumus, omnino Nobis opportunum videtur ut in sacris aedibus per id tempus publicae habeantur in triduum supplicationes, per quas quidem a misericordiarum Domino consilia implorentur ac munera pacis. Quorum in auspicium munerum vobis, venerabiles fratres, iisque singulis universis, qui paternae respondebunt admonitioni Nostrae, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Suadet triduanas supplicationes.

Benedictio Ap.ca.

Dies (2 oct. 1931).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die II mensis Octobris, in festo Sanctorum Angelorum Custodum, anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XI

(1) MATTH., XXV, 40.
(2) MATTH., XVIII, 5.
(3) MATTH., XVIII, 10.

ANNOTATIONES

I. Paternae istae litterae in duas partes manifesto dividuntur: alteram qua tum pia adiuratione, tum memorata caritatis praecepti vi, tum denuntiato communi periculo funestissimorum consiliorum « quae male suadens egestas ingerere solet », fideles omnes, praeeuntibus Antistibus, instanter ad levandam munifica liberalitate inopiam multorum praesertim puerorum hortatur; alteram ut omni modo animos a bellicis propositis avertant, eosque « ad tutiores humanae rationis christianaeque legis normas » conforment.

II. Ne verba bellico animo contraria perperam intellegantur et ad malum adulterinae rationis pacifismum detorqueantur, conferri debent cum litteris autographis quas SS. D. N. Pius Pp. XI 7 aprilis 1922 misit ad Ill.mum Archiep. Genuensem (Iosué Signori) quae italice et gallice exscripta sunt in *Per.*, XI, p. 11 ss.; et 29 april. 1922 ad Card. GASPARRI, quae italice et gallice legi possunt *Per.*, XI, 15 ss.; et cum sermone quem 24 dec. 1930 habuit ad Em. Patres Cardinales una cum Praelatis Romanis, qui reperitur *Per.*, XX, p. 68 ss., attendendo praecipue ad p. 74, cuius locus latine redditur *Per.*, XX, p. 77. 78.

III. Plurimum iuvat quoque acta Ben. XV recolere. Sunt autem Hortatio 8 sept. 1914 (*Per.*, VIII, 79); litt. enc. *Ad beatissimi*, 1 nov. 1914 (*Per.*, VIII, 82 ss.); allocutio 22 iun 1915 ad Patres Cardinales (*Per.*, VIII, 98 ss.); apostolica exhortatio ad populos belligerantes eorumque rectores (*Per.*, VIII, 101 ss); epist. ad Card. Gasparri, 5 maii 1919 (*Per.*, VIII, 123 ss.); nova ad populos belligerantes eorumque rectores adhortatio 1 aug. 1917 (*Per.* IX, 13); litt. enc. *Quod iam diu*, 1 dec. 1918 (*Per.*, IX, 107); epist. ad Card. Gasparri post pactas inter Italiam et Austriam inducias, 8 nov. 1918 (*Per.*, IX, p. 108).

[1]

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve 17 sept. 1931

SANCTUS ROBERTUS BELLARMINUS, ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS E SOCIETATE IESU, UNIVERSALIS ECCLESIAE DOCTOR RENUNTIATUR.

(A. A. S. 9 nov. 1931, XXIII, 433).

Quod iam ab anno 1626, 17 sept., introducta causa Beatificationis, praeparari coeptum est, quod per tria saecula continuatum, ab anno 1753, « ob varias extrinsecas causas, siluit » (1)*; quod, appetente Concilio Vaticano, novo studio resumptum est; quod collato 13 maii 1923 Beati titulo, ac subinde 29 iun. 1930 decretis Sanctorum honoribus maturatum erat; quod in praesenti 45 Purpurati Patres, 9 Patriarchae, 958 Archiepiscopi et Episcopi, 24 Vicarii Capitulares vel Praesules dioeceseon, 17 Abbates et Praelati, 63 Superiores Generales Ordinum et Congregationum religiosarum, 129 Universitates vel Institula superiorum studiorum, 29 Capitula ecclesiastica et Collegia parochorum, 16 alii viri illustres ex utroque clero, 90 coetus et Viri clarissimi e Laicatu* (2)*, enixis votis flagitabant et certa spe exspectabant, ut Vir qui, sanctitate et zelo insignis, tam bene de Ecclesia et de Pontifice Romano per universam actionem suam, de Doctis per opera scientifica, de Piis per ascetica scripta, et de Humilibus fidelibus per catechismum, meritus erat, ad supremum honorem Doctoris Ecclesiae Universalis eveheretur, id SS. D. N. Pius Pp. XI perfecit litteris in forma Brevis quas hic ilico subicimus.*

---

(1) Breve *Conspicuum,* A. A. S., XV (1923), 273.

(2) Haec mutuamur ex magno volumine Positionis pro Doctoratu S. Roberti Card. Bellarmini, in quo continetur: *Informatio* de meritis sancti; - 2. *Approbatio scriptorum* S. Roberti, ex actis causae; - 3. *Elenchus Operum* S. Roberti; - 4. *Elenchus testimoniorum* de praestantia doctrinae S. Roberti per saecula ad annum usque Canonizationis prolatorum: quae collectio, a R. P. Van Laak, S. I. diligentissime confecta, consilio S. Rituum Congregationis Positioni annexa est; - 5. *Summarium* complectens Litteras titulum Doctoris postulantes; - 6. *Iudicium* Em. Card. Lépicier et Em. Card. Ehrle a S. P. D. N. Pio Pp. XI deputatorum. Volumen istud in folio complectitur pag. (56); (L); 327; 193 et 18* paginas.

PIUS PP. XI

Providentia Dei in parandis Ecc.ae Doctoribus et Defensoribus.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Providentissimus Deus** ab initiis Ecclesiae Christi ad recentiora usque tempora doctrina et sanctitate perinlustres continenter viros suscitavit, qui catholicae Fidei veritates tuerentur atque inlustrarent illataque christianis eisdem veritatibus ab haereticis damna opportune reficerent.

Laudes quas S. Robertus a die obitus consecutus est.

Quos inter omni procul dubio Sanctus Robertus Bellarminus, Romanae Ecclesiae Cardinalis, e Societate Iesu, recensendus est, qui iam ab ipsis suae sanctissimae mortis diebus « vir eximius, theologus insignis, strenuus Fidei catholicae defensor, haereticorum malleus » nuncupabatur, idemque « tam pius, prudens et humilis quam erga pauperes liberalis » renuntiatus est. Nil mirum quidem si, processibus canonicis tandem expletis, hisce Nostris temporibus, nec sine peculiari divinae Providentiae consilio, vir ipse ad altarium honores evectus sit. Litteris enim Nostris apostolicis sub anulo Piscatoris die XIII mensis Maii anno MDCCCCXXIII datis, Robertum Bellarminum *Beati* nomine exornavimus. Postea vero, annum quinquagesimum ab inito Nostro sacerdotio celebrantes, una cum Beatis Martyribus e Societate Iesu in borealis Americae regionibus pro Fide interfectis, et Beato Theophilo a Curte ex Ordine Minorum, in sacrosancta patriarchali Basilica Vaticana anno superiore, die Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli sollemnitati sacro, Beatum eundem Robertum in Sanctorum albo adscripsimus; idque iure meritoque, cum fulgidissima sane sit gloria ipse Sanctus tum catholici episcopatus, tum purpuratorum Patrum Senatus, tum denique inclitae Societatis Iesu, quae tantum virum genuit Ecclesiae atque alumnum diligentissime excoluit. Nam frugiferam eandem Societatem Sanctus Robertus ingressus, ita virtutibus veri socii Iesu propriis exornatus est, ut sodalium suorum ornamentum et decus, incitamentum quoque atque exemplar plane videretur. Eodem in Ordine omnes quidem fere gradus ascendit tenuitque: in Politiano conlegio alumnus exstitit, dein in Societate novitius, scholasticus, religiosus, magister, sacer concionator, professor, moderator spiritualis, rector, praepositus provincialis: hisce omnibus muneribus functus iugiter in exemplum adducendus; eodemque pariter modo ecclesiastica sibi credita munera gessit, adeo ut in omnibus se praeberet praestantissimum: qua vir studiis deditus, qua scriptor, qua theo-

Anteriora acta SS. Dom. de tanto viro.

Quae munera gesserit.

logus et Consultor apud romanas Congregationes, qua pontificiis Legationibus addictus, qua Episcopus, qua denique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis animi ingeniique integritate ac vi, morum sanctitate, summa officii sui cognitione se se ostendit ornatum. Adhuc vivus a Decessore Clemente Pp. VIII, qui eum « invitum et frustra reluctantem » inter Romanae Ecclesiae Cardinales adscribere voluit, vehementer laudatur, quoniam tunc temporis « quoad doctrinam Ecclesia Dei parem non habebat ». Uberes vero huius singularis doctrinae fructus per totam vitam Sanctus Robertus usque ad senectutem rettulit. Licet iuvenis, *Institutiones linguae hebraicae* paravit atque etiam librum *De scriptoribus ecclesiasticis,* quamvis tardius editum, valde erudite conscripsit. Postea ac per totum vitae curriculum in Sacris Scripturis excolendis impensissime laboravit, ita ut tum editioni LXX interpretum tum editioni *Vulgatae latinae* parandis, a Pontificibus ad id vocatus, cultiorem sedulioremque operam navaverit. Omnes sacri magisterii partes constantissime usque ad mortem exsequutus est; quas etiam in familiarium, quae in totum fere orbem missae adhuc ingenti numero supersunt, epistularum commercio cumulatissime adimplevit. Impenso autem studio apostolicis Congregationibus auxilium suum praestitit, atque in gravissimis negotiis, etiam Ecclesiae Orientalis, pertractandis luculenta doctrinae prudentiaeque exhibuit testimonia. Quod uberius eadem documenta confirmant, quorum pleraque etsi inedita archivorum Congregationum pluteis delitescunt. Eadem *vota* — uti vocant — « ad quaestiones pertinent de Fide, de ritibus sacris, de intellegentia Scripturarum et de aliis id genus controversiis », in quibus continuo S. Robertus versatus est. « Nobilissimum autem plane opus » atque arduum constituunt *Disputationes de controversiis christianae Fidei* adversus haereticos, tribus primum, quattuor dein tomis comprehensae, quas iussu generalis Praepositi Societatis Iesu Sanctus Robertus ab anno MDLXXXVI ad annum MDXCIII primum edidit. Diuturno quidem studiorum ac magisterii curriculo easdem Sanctus Bellarminus quodammodo paraverat cum antea Lovaniensi in Conlegio Societatis Iesu, audientibus quoque multis Universitatis alumnis, ab anno MDLXX praelectiones in *Summam* S. Thomae per sexennium habuisset, easque post annum MDLXXVI proxime elaboraverat cum, « Cathedra controversiarum » in Conlegio Romano denuo constituta, magisterium theologicum sibi a moderatoribus suis impositum hac Alma in Urbe gessisset, ad catholica dogmata propugnanda adversus er-

Quae scripserit.

Eius actio de controversiis.

rores, qui in pluribus Europae nationibus grassabantur. Hoc autem maximum Bellarminianum opus novas quidem aggressiones egregie refutavit, quas paulo ante induxerant Magdeburgenses suis, uti aiunt, *Centuriis*, quibus, praesertim historicis argumentis, patrumque et veterum scriptorum testimoniis speciose usi, Ecclesiam Romanam evertere tentaverant. Itaque Sanctus Robertus de suorum necessitate temporum provide conscius, toto animo Ignatianam regulam sibi servare proposuit: « doctrinam sacram plurimi faciendi tum eam, quae positiva dici solet, tum quae scholastica ».

Hanc vero legiferi patris sui Ignatii normam reapse Bellarminus continenter secutus est, ac praesertim de controversiis Fidei adversus omnes haereticos disputans; adeo ut non immerito, in hac maxime controversiarum materia, ipsemet utriusque coniungendae felici connubio theologiae positivae, quam vocant, et scholasticae veluti dux habendus et in clarissimum exemplum adducendus sit. At in hoc sibi proposito attingendo aptae animi ingeniique dotes eidem non defuerunt. Iam inde enim a iuvenili aetate videbatur ingenio praeditus acerrimo, animi alacritate ad studia singulari tantaque celeritate mentis ac vi memoriae ad prodigium ornatus, ut quae semel vel perlegisset vel audisset ea omnia et promptissime arriperet et firmissime retineret. Huc accedit quod Sanctus ipse facili eloquio ac nitido natura loquebatur scribebatque libros suos, ab inutilibus vero rerum adiunctis alienus et a floribus litterarum sui temporis propriis — quamvis egregie litteris politioribus iam excultus et musice, poësi omnique humanitate in adulescentia sua imbutus — perlucido stylo ac simplici, utebatur; « ingenio denique versatilis ad sublimem erat scholasticam speculationem aeque aptus atque ad historicam et philologicam indagationem, quae tantopere erat necessaria ea ipsa aetate, qua se e positive theologiae dominio principalia sua argumenta desumere reformatores audacius affirmabant ». Nil mirum igitur si Bellarminianae « Disputationes de controversiis Christianae Fidei », statim ac Alma in Urbe, Gregoriana in studiorum Universitate, lectae fuere, maximam sui exspectationem, quam fecerant, abunde superarunt: prelo autem impressae etiam atque etiam editae in publicum fuerunt, ab omnibus continenter desideratae ac valde expetitae; si earundem auctor tanquam *Magister controversiarum* non modo temporibus suis sed ad nostra usque tempora a plurimis catholicis theologis habitus est. At praeter celeberrimas « Disputationes » easdem, quae tamen fere totam

Qua ingenii facilitate praeditus fuerit.

De eius Disputationibus de Controversiis

rem theologicam ingenti mole complectuntur, eandemque ad defensionem et demonstrationem noni et decimi articuli e Symbolo *unam sanctam Ecclesiam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum* eximie revocant; multa alia, mole tamen prout res postulabant dissimili, scripsit, laboresque sane multos pro Fide provehenda ac iuribus Ecclesiae tuendis sustinuit. Eximia autem laus est Sancti Roberti, quod iura privilegiaque Summo Pontifici divinitus conlata, atque ea etiam quae nondum ab omnibus Ecclesiae filiis tunc temporis erant agnita, uti infallibile Pontificis e cathedra loquentis magisterium, et invicte probavit et eruditissime contra adversarios tuitus est. Talis propterea ad nostra usque tempora apparuit Romani Pontificis auctoritatis defensor, ut scriptis eiusdem sententiisque Patres etiam Concilii Vaticani quam maxime uterentur. Nec silentio praetereunda sunt eius sacrae conciones atque opera catechetica vel praesertim *Catechismus* ille, « quem saeculorum usus et plurimorum Episcoporum doctorumque Ecclesiae iudicium comprobavit ». Eodem profecto Catechismo, Clementis Pp. VIII iussu composito, insignis sanctus theologus ad christianae plebis ac praesertim parvulorum usum catholicam veritatem plano stylo, ita nitide, exacte atque ex ordine exposuit, ut tria fere per saecula in multis Europae et orbis regionibus christianae doctrinae pabulum fideli populo fructuosissime ipse praebuerit. In *Psalmorum* vero libro explicando scientiam cum pietate coniunxit. Scriptis denique suis asceticis ubique celebratis Sanctum Robertum securissimum plurimorum ducem ad culmen perfectionis christianae factum esse satis constat. Sive enim *ad Episcopum Theanensem nepotem suum admonitione*, quae ad apostolicam atque ecclesiasticam vitam pertinent docuisse, sive *Exhortationibus domesticis* sodales suos ad virtutes omnes inflammasse, sive *boni regiminis* praecepta tradidisse principibus christianis et quae eorumdem officii propria sunt, sive denique christifidelium pietatem excitasse et devotionem brevibus illis at sucosis opusculis e Sacris Scripturis, e Sanctorum Patrum theologorum doctrinis et ex annalibus Ecclesiae gestisque Sanctorum depromptis, Sanctum Robertum conspicimus asceticum magisterium sollerti studio atque efficaciter factitasse. Praeclara igitur, quae reliquit, ingenii sui monumenta facile ostendunt nullum fere fuisse ecclesiasticarum disciplinarum genus, quod Sanctus ipse fructuose non excoluerit. Sicut *lucerna super candelabrum* posita *ut luceat omnibus qui in domo sunt*, catholicos atque ab unitate Ecclesiae aberrantes verbo et opere

Quomodo apparuerit R. P. auctoritatis defensor.

De eius catechismo,

explicatione Psalmorum, scriptis asceticis.

Vera fuit lucerna super candelabrum.

illuminavit; sicut stella in firmamento caeli « magnificis radiis scientiae suae tam latae quam excelsae, praestantisque ingenii sui ac perlucidi splendore » veritatem quam super omnia coluit, omnibus bonae voluntatis hominibus patefecit; primus non modo sui sed posteri etiam temporis apologeta strenua dogmatum catholicorum defensione, quam suscepit, ad memoriam atque admirationem se se commendavit eorum omnium, qui Ecclesiam Christi veraci amore prosequuntur. Tali propterea Bellarminus ad hanc usque aetatem apud clarissimos quotquot floruere viros et ecclesiasticos praesertim scriptores auctoritate valuit, ut iam ab eis tanquam Ecclesiae doctor habitus sit ac reverenter invocatus. Hac de re heic Nobis sufficiat Sanctos viros memorare qui ob eminentem doctrinam cum sanctitate heroica coniunctam Doctores Ecclesiae universalis iam declarati sunt; loquimur praesertim de Sancto Petro Canisio, de Sancto Francisco Salesio, de Sancto Alfonso Maria de Ligorio. Sed alii quoque Sancti, Beati, Venerabiles, Dei Servi exstiterunt, quorum peculiaris erga Bellarminianam doctrinam ac scientiam existimatio certis documentis constat.

Sancti apud quos auctoritate valuit.

Nil mirum itaque si flagrantissimo complures teneantur desiderio sanctum Robertum universalis Ecclesiae Doctorem revera salutandi; idque non ii solum, qui eandem cum ipso communem habent vivendi rationem illa in ipsa Iesu Societate, quae iugiter de re catholica provehenda tuendaque est ubique optime merita, sed ex omnibus ecclesiasticae hierarchiae gradibus clarissimi viri exoptant atque expetunt. Nam huiusmodi votis tum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales tum Archiepiscopi atque Episcopi ex universo orbe fere omnes, nec non sive e religiosorum coetibus Praelati, sive e catholicis studiorum Universitatibus moderatores, sive denique quam plurimi alii conspicui viri suffragantur. Quare Nobis peropportunum visum est tam magni momenti rem pro voto ac sedulo studio Sacrae pro Ritibus tuendis Romanae Congregationi committere; quae speciali mandato Nostro eminentissimos ac reverendissimos viros Alexium Henricum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Lépicier, titulo Sanctae Susannae, ac Franciscum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Ehrle, Diaconum Sancti Caesarei in Palatio, ad rem examinandam deputavit. Exquisitis itaque atque obtentis eorundem Cardinalium separatis suffragiis atque etiam praelo impressis, illud tantum supererat ut Sacrorum Rituum Congregationi praepositi rogarentur an, consideratis omnibus, quae in Ecclesiae universalis Doctore requiri

Inde complurium votum ut eum Doctorem salutare possint.

Acta pro Doctoratu.

solent, procedi posse censerent ad Sanctum Robertum Bellarminum Ecclesiae universalis Doctorem declarandum. In conventu vero ordinario die IV mensis Augusti proxime elapsi, in aedibus Vaticanis habito, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Sacrorum Rituum Congregationi praepositi, a dilecto filio Nostro, Causae relatore, Caietano S. R. E. Cardinali Bisleti, titulo Sanctae Agathae Gothorum, debita rerum relatione facta, sententiam affirmativam unanimi consensu dixerunt. Quae cum ita sint, audito quoque de hisce omnibus die VI mensis Augusti huius anni dilecto filio Sanctae Fidei Promotore generali, Nos, tot ac tantorum suffragatorum votis undique allatis ad Nos ultro libenterque concedentes, praesentium Litterarum tenore, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Robertum Bellarminum Episcopum Confessorem *Ecclesiae Universalis Doctorem* constituimus, declaramus; statuimusque propterea ut Missa atque Officium sub ritu duplici minori, quae eiusdem Sancti festivitati die XIII Maii quotannis assignata sunt, ex nunc ad universam Ecclesiam auctoritate Nostra extendantur. Non obstantibus constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces semper exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Doctor constituitur.

Missa et officium ad Universam Ecclesiam extenduntur.

Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Septembris, an. MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

Dies (17 sept. 1931).

E. CARD. PACELLI, *a Secretis Status.*

3. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Motu proprio 24 apr. 1931

DE CANONICIS SEMINARIORUM VISITATIONIBUS
(A. A. S., 4 maii 1931, XXIII, 151)

PIUS PP. XI

Perpenso momento Seminariorum,

Praecipua sane inter pastorales muneris Nostri partes ea adnumeranda est, qua efficere contendimus ut sacra clericorum Seminaria cum gravissimo ipsis praestituto fine magis aptiusque in dies conveniant; ut scilicet adolescentes, qui in eadem recepti sint, quam diligenter ad vitae sanctimoniam atque ad sacras disciplinas formentur, utpote qui Dei viventis altaribus inservire, ac christifidelium magistri pastoresque evadere aliquando debeant.

effusis precibus et collatis consiliis, in S.C. de Seminariis et sub eius regimine SS. D. munus condit Visitatoris ordinarii Seminariorum Italiae.

Quapropter instantibus ad Deum profusis precibus, maturaque deliberatione adhibita, necnon Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus explorata sententia, peculiare in eodem Sacro Consilio, et sub eiusdem regimine, munus condere decrevimus, et per has Litteras motu proprio datas condimus, viro ecclesiastico committendum, qui Visitator Ordinarius proprio nomine nuncupabitur, cuique curae sit Seminariorum Italiae (ab his enim, ut par est, incipiendum censemus) visitationem peragere.

Regionalia autem saltem singulis annis inspicienda sunt a Visitatore,

Cum autem inter Italiae Seminaria ea, quae Regionalia seu Interdioecesana dicuntur, singulari quodam titulo, ad Sanctam Sedem pertineant, ideo iubemus ut eadem, omnia et singula, saltem quotannis ab Ordinario Visitatore inspiciantur.

qui alterum post secretarium locum obtinebit in Cong. cuius erit ipso iure consultor.

Visitator hic Ordinarius alterum post Secretarium in eadem Congregatione dignitatis locum obtinebit, atque inter Consultores eiusdem Congregationis ipso iure numerabitur.

Derogatio contrariorum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (24 apr. 1931).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV Aprilis anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Per verba: « ab his (Seminariis Italiae) enim, ut par est, incipiendum censemus », S. Pontifex propositum manifestat instituendi ubique huiusmodi munus.

4. — Suprema C. S. Officii

Responsum 9 iunii 1931

DE CASU MATRIMONII FILIAE A PARENTE ACATHOLICO NATAE (1)

Eminentissime ac Reverendissime Domine:

1. *Casus exponitur.* Sophia Carolina Iones, die 24 maii 1892, in urbe Chicago nata est *ex matre catholica* et *patre acatholico* in matrimonio mixto apud iudicem civilem in urbe Chicago inito, et die 22 januarii, 1893, in ecclesia Sancti Henrici, in urbe Sancti Ludovici, matre annuente, patre inscio, baptizata est. Mater, anno 1895 a sponso acatholico orbata, tres filias in orphanotrophio catholico in urbe Chicago ponere conata est, sed cum pauper esset et nihil pro sustentatione earum solvere posset, qui orphanotrophio praeerant illas recipere recusaverunt. Mater deinde, ira incensa et paupertate laborans, paulo post in urbem Sancti Ludovici in qua nata erat rediit, et tres filias in domo quadam industriali protestantica posuit, et ab hoc tempore religionem suam catholicam neglexit, immo odio habuit. Anno 1898 vel 1899, mater alias nuptias contraxit cum viro acatholico qui ecclesiam catholicam in odio habuit, et filias e domo protestantica ad novum domicilium conduxit. Sed paupertatis ratione Sophia nostra debuit vivere cum vicinis et laborare in eorum domibus sine ulla educatione saeculari vel religiosa.

Cognovit matrem suam esse ex familia catholica ortam, sed nescivit seipsam esse baptizatam in ecclesia catholica. Post aliquot annos, vitrico mortuo, Sophia adolevit apud matrem quam, nullatenus quoad religionem instructa, postea reliquit.

Mater Sophiae circa annum 1915, postquam ad religionem suam catholicam rediit, viro catholico coram ecclesia nupsit. Duobus autem annis abhinc, suadente muliere protestantica quae cum ea habitabat, sectae cuidam protestanticae adscripta, huic sectae adhuc adhaeret.

Sophia Carolina, die 15 martii 1922, coram iudice civili nupsit Iacobo Iamison, viro lutherano, qui postquam Sophia

(1) Transumptum ex authentico documento.

divortium civile die 23 aprilis 1926, obtinuit, ad alias nuptias convolavit. Duobus annis abhinc, Sophia Carolina viro catholico nuptura existimansque se non esse baptizatam, sacerdotem catholicum rogavit ut in fide catholica instrueretur. Investigatione peracta, compertum, est Sophiam fuisse in ecclesia catholica baptizatam in infantili aetate, sed sine ulla religione adolevisse. Sophia tunc recursum habuit ad hanc curiam matrimonialem ut declarationem nullitatis matrimonii sui cum Iacobo Iamison obtineret. Quod matrimonium haec curia, freta sententiis DD. De Smet, Vlaming, Blat, Wernz-Vidal, Cappello, Vermeersch-Creusen, certe nullum esse declaravisset, nisi intervenisset authenticum responsum Pontificiae Commissionis ad interpretandum Codicem, diei 20 iulii 1929, declarans « ab acatholicis nati » includere natos ab alterutro parente acatholico. Tandem haec curia, cum anceps dubitans num hoc responsum esset retroactivum necne, die 22 februarii 1930 misisset hoc dubium, visum et approbatum, ad Commissionem Pontificiam, anno elapso et nullo responso accepto, nunc petit solutionem casus ab Eminentia Vestra, ut Sophia, adhuc sub instructione in fide catholica, tandem aliquando certior fiat an viro catholico nubere possit.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
JOANNES LYONS,
Officialis Curiae Matrimonialis
Archidioecesis Sancti Ludovici.

Visum et approbatum
JOANNES JOSEPHUS
Archiepiscopus Sti Ludovici
Die 22 Januarii 1931.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO
SANCTI OFFICII
Num. di Protoc. 481-31.

Ex Aedibus S. Officii, die 9 Iunii 1931.

II. *Responsum S. Officii Dies (9 Iun. 1931).*

Excellentia Rev.ma,

Quaestio posita.

Litteris ad S. Officium die 22 Ianuarii nuper elapsi datis, Excellentia Tua Rev.ma expostulabat utrum invalidum ex defectu formae declarandum esset matrimonium solo civili actu contractum anno 1922 a Sophia C. Jones (nata ex matrimonio mixto, catholice baptizata sed absque ulla religione inde ab infantia educata) cum acatholico Jacobo Jamison.

Haec Suprema Sacra Congregatio, re diligenter considerata, respondendum mandavit:

Responsio. Matrimonium in casu, juxta exposita, fuisse validum.

Maximam meam observantiam Tibi obtestor ac permaneo,

Addictissimus

F. Card. SBARRETTI Episcopus Sabinensis et Mandelensis Secretarius

Ex.mo et Rev.mo Domino
D.no JOANNI GLENNON
Archiepiscopo S. Ludovici

ANNOTATIO

Cum Sophia ab alterutro parente acatholico nata esset et mere in forma civili nupsisset tribus annis ante quam Supr. Congr. S. Officii declarasset, iam ab *acatholicis* natos censeri quorum unus tantum parens esset acatholicus, solutio casus inde pendebat utrum annon declaratio 20 iul. 1929 vim retroactivam obtineret. Eamque *in casu* obtinere Suprema Congregatio declaravit. Ni fallimur, mores et versatilis fides matris atque educatio sine ulla religione ut rationes responsi etiam consideratae sunt. Utcumque res se habeat, meminerimus singulos casus esse S. Officio proponendos.

---

5. — S. Congr. S. Officii

Responsum litteris S. C. de P. F. 20 maii 1931 transmissum

DE IMPLICITA DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONII (1)

Dies litterarum. S. CONGR. « DE PROPAGANDA FIDE »
Prot. num. 1769/31

Romae, 20 maii 1931.

Excellentissime Domine,

Dubium propositum. Excellentia Tua mense januario 1931 Pontificiae Commissioni pro interpretatione Codicis Iuris Canonici sequens trans-

(1) Ex monumento authentico.

misit dubium: « Utrum post Codicis promulgationem adhuc sustineatur principium a Congregatione Sancti Officii emissum in instructione Archiepiscopo Quebecen. die 16 septembris 1824 (1) tradita: Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio, propter contractus individuitatem, communicata remaneat et alteri ».

Responsum S. Officii.

Suprema S. Congregatio S. Officii, ad quam pro competentia praedictum dubium deductum fuit, sequens super eodem tulit responsum: « Negative, i. e. Sancta Sedes, dispensando super impedimento disparitatis cultus, *non* intelligitur dispensare ab impedimentis, a quibus exempta est pars acatholica ».

Quam sententiam SS.mus Pontifex adprobavit.

S. Pontifici probatum.

Interim occasionem libenter nanciscor me profitendi

Excellentiae Tuae addictissimum in Domino

(sign.) A. Gl. Cardinalis v. Rossum - *Praef.*

Carlo Salotti, Archiep. tit. - *Secretarius.*

Exc.mo
D. Francisco Hennemann
Praefecto Apostolico
Districtus Centralis Promontorii Bonae Spei.

Cui rescriptum est.

Annotatio

Dubium de perseverante vi instructionis 16 sept. 1824, non nulli auctores ita solvebant ut existimarent adhuc *probabilius* implicitam dispensationem, ea instructione admissam, vigere. Rationem dabant, quod dispensatio ista pertineret ad stylum Curiae, qui, salvo contrario Codicis textu, retineri deberet (cfr c. 20).

Nos tamen cum De Smet *De sponsalibus et matrimonio* n. 591 id prorsus negavimus: tam recens, post Codicem, stylum Curiae nunc vigentem non haberi; obstare c. 1036 § 3, quo illicitum vel invalidum declaratur matrimonium propter impedimentum quod ex una tantum parte se habeat; demum implicitam dis-

(1) Apud *Collectanea Prop. Fidei* ed. 2 n. 784 ad 2; vel Fontes C. I. C., n. 866, seu tom. IV pag. 146 ss, ad 2.

pensationem quam Codex concedere voluerit a Codice exprimi, in can. 1053, ubi dispensatio super matrimonio rato et non consummato, vel permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem secumfert semper dispensationem ab impedimento primae formae criminis. Cfr nostram *Theol. mor.,* III, n. 761, 4, vel *Epitome Iuris can.,* II, 346.

Responsione sua S. Cong. S. Officii certam effecit hanc negativam sententiam. Si qua igitur matrimonia celebrata fuere sine necessaria dispensatione ab impedimentis, consideranda erunt ut putativa, prudenter sananda.

Supr. S. Congr. S. Officii

Decreta 27 iun., 15 iul. et notificatio 16 iul. 1931

(A. A. S., 5 aug. 1931, XXIII, 330)

I

6. — DECRETUM 27 IUN. 1931

DAMNANTUR ALIQUOT OPERA EDUARDI LE ROY

Feria IV, die 24 Iunii 1931

S. Cong. Consessus. E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales fidei moribusque tutandis praepositi, in generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, praehabito DD. Consultorum voto, tamquam praedamnata, ad normam can. 1399, 2º, 6º C. I. C., habenda et in Indicem librorum prohibitorum inserenda esse decreverunt opera Eduardi Le Roy, quae infra recensentur:

Opera

L'Exigence idéaliste et le fait de l'évolution. Paris, Boivin et C.ie, 1927.

Le problème de Dieu. Paris, L'Artisan du Livre, 1929.

La pensée intuitive, Voll. 2. Paris, Boivin et C.ie, 1929-1930.

Les origines humaines et l'évolution de l'intelligence. Paris, Boivin et C.ie, 1930.

Approbatio Pont. Et feria V subsequenti, die 25 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita au-

dientia R. P. D. Assessori S. O. concessa, relatam E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 27 Iunii 1931. *Dies (27 iun. 1931).*

A. Subrizi,
Supr. Sacrae Congr. S. Officii Notarius.

Annotatio

Observes insertionem in Indicem praecipi postquam opera iudicata sunt praedamnata can. 1399, 2^0, 6^0.

II

7. — DECRETUM 15 IUL. 1931
DEGRADATIONIS EDICTALIS

Fata sacerdotis Borross recoluntur.

Geysa Victor Boross, natus Peér in Hungaria die 29 Aprilis 1880 a parentibus catholicis ritus latini in eoque ritu baptizatus atque educatus nec non legitimo matrimonio iunctus, die 24 Februarii 1925 una cum uxore et filiis ad schisma graecum orientale descivit et ab episcopo schismatico in presbyterum missionarium ordinatus est. Semestre dein vix elapso, falso praetendens se, inde ab infantili aetate in schismate conversatum, de formali apostasia insimulari minime posse, in clerum catholicum ritus orientalis Miskolcziensem cooptari et ad sacri ministerii exercitium admitti obtinuit.

Mox vero de inobedientia erga suum Ordinarium deque pluribus (ex communibus quoque) criminibus iam accusatum, in America, quo proprio arbitrio se contulerat, ad haereticos eum remeasse nunciatum est.

Inde intimatio edictalis.

Hisce cognitis ac summatim comprobatis, cum actualis eius commorationis locus resciri nequivisset, intimatione edictali in Commentario Officiali Sanctae Sedis (vol. XXIII, pag. 169) sub die 4 Maii a. c. de more evulgata, ad comparendum intra terminum peremptorium unius mensis coram Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii formiter citatus est, cum expressa declaratione Sacram Congregationem, ni paruisset, nulla alia interiecta mora, in contumacia processuram fore.

Hoc igitur termino inutiliter iamdiu praeterlapso, haec eadem Suprema Sacra Congregatio in plenario conventu habito feria IV, die 8 Iulii 1931, hanc tulit sententiam:

Gravissima sententia,

« Attentis extraordinariis casus adiunctis, potissimum vero comprobata imputati apostasia et criminibus ab ipso admissis: receptione sacrorum Ordinum ab episcopo schismatico; turpissima fraude qua in clerum catholicum ritus orientalis Miskolcziensem cooptari ipse obtinuit; miserrimoque in haeresim relapsu, sac. Geysa Victor Boross, ad comparendum coram hoc Supremo Sacro Tribunali frustra citatus, firmis omnibus et singulis censuris, poenis atque inhabilitatibus iam ipso facto quomodocumque incursis et contractis, damnatur in contumacia degradatione edictali cum omnibus iuris effectibus ».

Confirmata a Pontifice.

Hanc autem sententiam Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI in solita audientia die subsequenti R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, suprema Sua auctoritate confirmatam, publici iuris per insertionem in Commentarium Officiale Sanctae Sedis fieri iussit, mandans ad quos spectat ut plenam eius exsecutionem pro viribus urgeant.

Dies (15 iul. 1931).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 15 Iulii 1931.

A. SUBRIZI, *Supr. S. Congr. S. Officii, Notarius.*

L. ✠ S.

III.

8. — NOTIFICATIO 16 IUL. 1931.

Sacerdos Antoninus M. Caccavari anno 1916 ad statum laicalem redactus,

adhuc recens sacris operatus est.

Con sentenza emanata da questa Suprema Sacra Congregazione nella feria IV, 12 Luglio 1916, e pubblicata nel Bollettino Ufficiale *Acta Apost. Sedis*, vol. VIII, p. 316, di detto anno, il sacerdote Antonino (non Antonio) Maria Caccavari, originario della diocesi di Nicastro, fu ridotto *in poenam,* per gravi mancanze, allo stato laicale. Risultando ora che egli, servendosi di falsi documenti, è riuscito ciò non ostante ad esercitare anche recentemente i sacri ministeri, gli E.mi e Rev.mi Padri nell'adunanza plenaria di feria IV, 8 Luglio 1931, hanno ordinato che venga pubblicata di nuovo la condanna sopra accennata, colla ingiunzione espressa al sacerdote Caccavari di dimettere immediatamente l'abito clericale.

Quare sententia iterum publici iuris fit, et sacerdos ilico habitum clericalem dimittere iubetur.

Dies (16 iul. 1931).

Roma, dal Palazzo del S. Offizio, 16 Luglio 1931.

A. SUBRIZI, *Notaro della Supr. Sacra Congr. del S. Offizio.*

L. ✠ S.

ANNOTATIO

E notis marginalibus satis perspicitur quo notificatio ista (quae italice inscribitur *Comunicato*) spectet.

Verum, praeter rationem quae in ordinatione narratur, haec altera utilitas ex iterata sententia manat, quod post Concordatum 11 febr. - 7 iun. 1929 inter S. Sedem et Italiam, vi art. 29 i, illicitus usus habitus ecclesiastici vel religiosi, quem vel laicus vel ecclesiasticus aut religiosus fecerit postquam eo ferendo definitive a competente potestate ecclesiastica prohibitus fuerit, iisdem poenis sancitur quibus illicitus usus habitus militaris.

Prior sententia contra istum sacerdotem refertur *Per.*, VIII, 195; art. Concordati, *Per.*, XVIII, 144.

---

9. — Supr. S. C. S. Officii

Notificatio 8 apr. 1931

DE RETRACTATIONE POSTULATA

(A. A. S., 4 maii 1931, XXIII, 161)

NOTIFICATIO

Sua Eccellenza Rev.ma Mons. Mario Sturzo, Vescovo di Piazza Armerina, dietro richiamo della Sacra Congregazione del S. Offizio, ha inviato la seguente *Sollicitatus a S. C. retractans.*

RITRATTAZIONE *Retractatio*

« Io sottoscritto intendo di ritrattare, come di fatto ritratto colla presente, tutto ciò che ho scritto e pubblicato nei libri, nella *Rivista di Autoformazione* e nella rivista *La tradizione* di Palermo contro la dottrina cattolica e contro ciò che la Santa Sede e i Sommi Pontefici, specialmente negli ultimi tempi, hanno inculcato, raccomandato e comandato per lo studio della Filosofia scolastica nei Seminari, in conformità anche del canone 1366.

« Piazza Armerina, 8 Aprile 1931. *Dies (8 apr. 1931).*

(Firmato) † MARIO, Vescovo ».

10. — S. Cong. pro Ecclesia Orientali

Decretum 6 ian. 1931

DE PIA SOCIETATE « CATHOLICA UNIO »

(A. A. S., 4 maii 1931, XXIII, 162)

Laudandi qui vires impendant ut orientales sacerdotes rite instituantur.

Quanta laude digni sint qui ecclesiasticas vocationes adiuvant, pluribus insignibus documentis S. Sedis, praesertim nostris diebus datis, clarissime apparet. Qua in re, bene peculiariter de Ecclesia merentur qui vires suas impendunt ut rite instituantur sacerdotes orientales, qui ad dissidentes in Oriente fratres ad unitatem Ecclesiae reducendos destinati sunt. Iam, pro iuvenibus orientalibus nonnulla florent Seminaria, sive in Oriente, sive in Occidente, praesertim Romae; et iam satis patet quantum ipsa inserviant ad faciliorem reddendum dissidentium reditum in Christi ovile. Memoranda huc faciunt verba Summi Pontificis Leonis XIII, f. r., in Litteris Apostolicis *Orientalium dignitas:* « Maxime Nos tenet cura, ut condantur opportunioribus in Oriente locis seminaria, collegia, instituta omne genus, eaque prorsus ad iuvenes incolas ipso ritu patrio formandos in suorum auxilia. Hoc propositum, in quo dici vix potest quanta religioni inhaereat spes, studiose Nos aggredi, prolixisque subsidiis provehere, affluente, ut confidimus, catholicorum ope, deliberatum habemus. Sacerdotum indigenarum operam, quippe et convenientius impensam et cupidius acceptam, multo futuram quam advenarum fructuosiorem, paulo fusius a Nobis monstratum in encyclicis litteris quas dedimus superiore anno de collegiis clericorum in Indiis Orientalibus constituendis ».

Huc pertinet locus e Litt. Leonis XIII « Orientalium dignitas » excerptus.

Inde preces excell. Ep. Besson, ut confirmetur et novo documento probetur Societas cui nomen Catholica Unio.

Cum vero inter instituta et societates quae pro reditu dissidentium quomodocumque adlaborant, pia Societas quae *Catholica Unio* nuncupatur, hunc finem praesertim sibi proposuerit, vocationes nempe ecclesiasticas pro Oriente fovendi et excolendi, eius Praeses R. P. D. Marius Besson, Episcopus Lausannen., Geneven. et Friburgensis, preces Sacrae huic Congregationi obtulit, ut iste peculiaris finis Societatis *Catholica Unio* confirmaretur, et ipsa Societas novo publico documento a Sede Apostolica approbaretur.

Finem Societatis a S. Cong. definitur, dum precibus annuit Pontifex.

Hisce precibus Sacra Congregatio annuendum esse censens, rem totam maturo examini subiecit in plenariis Comitiis, die 4 Iulii 1930 in Civitate Vaticana habitis, et E.mi ac Rev.mi

Patres, approbante Summo Pontifice, Pio div. Prov. Pp. XI, statuerunt: « Proprium ac peculiarem finem piae Societatis *Catholica Unio* esse adlaborare pro fovendis, excolendis et utcumque adiuvandis ecclesiasticis vocationibus orientalium indigenarum, et providere necessitatibus Seminariorum ubi alumni orientales indigenae aluntur ac instituuntur, id imitando pro Orientalibus, quod Pontificium Opus a S. Petro Apostolo prosequitur pro Latinis, iuxta statuta ipsius Societatis *Catholica Unio*, quae approbationem nacta fuerunt mense Septembri anno 1924, nonnullis tantummodo immutatis ».

Similis est Operis a S. Petro Apostolo pro Latinis.

Eadem idcirco Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, praesenti decreto approbationem antea datam piae Societati *Catholica Unio* confirmat, eius statuta, prout sequuntur, noviter aptata, servanda iubet, et indulgentias, die 18 Septembris 1924 concessas, renovat ad decennium. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

S. C. confirmat approbationem, renovat ad decennium indulgentias et statuta denuo aptata servanda iubet.

STATUTA PIAE SOCIETATIS « CATHOLICA UNIO »

Statuta.

I. Pia Societas *Catholica Unio* eo praesertim ac peculiariter tendit ut cleri indigenae orientalis, cuiuscumque ritus, rectam institutionem adiuvet ad efficacius adlaborandum pro reditu dissidentium ad unitatem Ecclesiae.

Finis.

II. *Catholica Unio* hunc finem sequenti modo consequi studet:

Media.

a) Ardentes preces Deo fundendo ut iuvenes, praesertim indigenas orientales, ad sacerdotium vocare dignetur.

b) Preces et pia opera a fidelibus ad eumdem finem postulando.

c) Vocationes ecclesiasticas adiuvando et potissimum Seminariorum pro clero orientali indigena erectionem fovendo, eaque reditibus dotando et socios hortando ut largitiones et subsidia ad hoc comparent, sive stipem inter fideles colligendo, sive benefactoribus pie suadendo ut vel statutam pecuniae summam quotannis donent, vel quemdam e Seminariorum alumnis, ut aiunt, adoptent, vel denique annuum redditum vulgo *borsa di studio* constituant, quo unus saltem ex alumnis in Seminariis perpetuo sustentetur ac instituatur.

III. *Catholicae Unionis* Praeses generalis nominatur a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, a cuius auctoritate Societas omnino pendet; membra vero Consilii centralis eliguntur a Praeside generali, sed adprobatione ipsius Sacrae Congregationis indigent.

Praeses generalis.

Membra.

IV. Sunt membra *Catholicae Unionis* omnes et singuli fideles qui Societati se inscribunt, sese obligando ad aliquas preces quotidie Deo fundendas ut bonos operarios in messem suam mittere dignetur, et ad obolum, quolibet modo ut supra, elargiendum.

Ratio reddenda a Praeside.

V. Praeses generalis de stipe collecta quotannis rationem reddet Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali, quae Summo Pontifici omnia aperiet, et collatis consiliis cum Pontificia Commissione pro Russia, eundem Ss.mum Dominum rogabit de partitione iuxta necessitates facienda.

Partitio de stipe collecta.

Sectiones non constituendae inconsulto Ordinario.

VI. *Unionis Catholicae* sectiones, in regionibus, in quibus ipsa Unio usque adhuc non est iam fundata, ne constituantur inconsulto Ordinario, cuius arbitrio relinquitur hoc opus in suam dioecesim excipere, eique praesidem dioecesanum dare.

Ratio reddenda a dioecesanis praesidibus.

VII. Praesides dioecesani quotannis Consilio generali de stipe collecta rationem reddent.

Res Unionis si haec dissolvatur.

XIII. Si quando *Catholica Unio* dissolvatur, res propriae eius in possessionem transibunt Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, quae ea adhibebit secundum finem ipsius Societatis.

Dies (6 ian. 1931).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die Epiphaniae Domini a. 1931.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

---

11. — S. Congr. Concilii

Resolutio 10 maii 1931

DE IURIBUS ANNEXIS PRAECEDENTIAE VIC. GENERALIS ET CAPITULARIS.

(A. A. S. iun. 1931, XXIII, 235)

S. IACOBI DE VENEZUELA ET ALIARUM

DE VICARIO GENERALI AC CAPITULARI

Dies Conventus S. Cong.

In plenario conventu E.morum Patrum huius Sacrae Congregationis Concilii, die 9 Maii 1931 habito, proposita sunt, inter alia, dirimenda quae sequuntur dubia:

Dubia

I. « An vi praecedentiae Vicario generali competant iura et officia, de quibus in canone 397;

II. « An vi praecedentiae Vicarius generalis canonicus eximatur a munere adsistendi Episcopo in Missis aliisque functionibus pontificalibus;

III. « An Vicario capitulari, vi muneris, competat ius et officium peragendi functiones sacras in sollemnioribus anni festivitatibus, de quibus in canone 397, n. 1 ».

Resolutio

Porro iidem E.mi Patres ad tria relata dubia respondendum censuerunt: *Negative.*

Approbatio Pont.

Hanc autem resolutionem Ss.mus Dominus Pius Pp. XI in audientia diei 10 insequentis, infrascripto Secretario concessa, approbare et confirmare dignatus est.

Dies (10 maii 1931).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 10 Maii 1931.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Can. 370, quem can. 439 communem efficit cum Vicario capitulari, Vicario generali tribuit ius praecedentiae super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus. Quam praecedentiam non semel S. C. confirmavit. Inde quesitum est utrum annon, tamquam corollarium istius praecedentiae, Vicarius generalis habeat iura et officia descripta can. 397, i. e. Episcopi vicem supplendi (etc.). — Respondetur negative. Iura enim ipsa can. 397 addicuntur *dignitatibus* et *canonicis* secundum ordinem praecedentiae. Ea igitur Vic. gen. non habebit qua talis, sed tantum si, qua dignitas et canonicus, praecedentiam habuerit ad normam can. 397, cui c. 370 derogare noluit. Honor praecedentiae nullum de se ius confert.

II. Nec, si Vicarius generalis fuerit canonicus, ob praecedentiam eximitur ab officiis canonicorum. Ita sapienter responsum ad II.

III. Tertium dubium movebatur de Vic. cap. qui pro capitulo dioecesim regit. Atque iterum, negando Vic. cap. *vi muneris* ius esse Ep.um supplendi in peragendis funct. sacris in sollemnioribus anni festivitatibus, Pont. Comm. declaravit standum esse can. 397 qui « nisi aliud in statutis capit. caveatur », ius istud, nulla praevisa exceptione, dignitatibus et cononicis secundum ordinem praecedentiae tribuit.

Ex responsis, *Monitore Ecclesiastico* colligit Vic. gen. in sollemnitatibus induendum esse liturgicis ver stibus sui ordinis, qui esse possunt ordinis diaconi.

S. Congr. Concilii

Decreta 28 iul. et 4 aug. 1931.

(A. A. S., 5 aug. 1931, XXIII, 336)

I

12. — Decretum 28 iul. 1931

DE HABITU ECCLESIASTICO A CLERICIS DEFERENDO

Prudenter ab Ecc.a provisum ut clerici proprio habitu a laicis distinguantur.

Prudentissimo sane consilio ab Ecclesia provisum est, ut clerici, in sortem Domini vocati, per decentiam habitus extrinseci, intrinsecam morum honestatem ostendant et a laicis etiam habitu secernantur. Qui quidem habitus, quamquam, pro diversis temporibus et locis, non unam praetulerit formam et colorem, semper tamen proprium quid ac singulare clericali ordini congruum retinuit ac retinet, quo tamquam *habitus ecclesiasticus* seu *clericalis* et nominetur et habeatur.

Codicis canon 136 § 1.

Disciplina in hac re vigens continetur in canone 136 § 1 Codicis iuris canonici his verbis: « Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant; tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant ».

Violatae disciplinae abusus.

Porro huic Sacrae Congregationi Concilii exploratum est non omnes clericos, in nonnullis praesertim regionibus, memorati canonis disciplinam servare. Sunt enim qui, propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, contra le-

gitimam consuetudinem et Ordinarii loci praescripta, vestes etiam publice, tum forma tum colore, prorsus laicales deferant, nec ipsam tonsuram clericalem gestent. Ex quo facile sequitur, ut populus christianus erga coetum clericalem debitum obsequium minuat et clerici ipsi sese periculo exponant non solum agendi ea quae a statu clericali sunt aliena et indecora; sed etiam, quod Deus avertat, e suo statu omnino deficiendi. Nec desunt sacerdotes, qui habitu, quem supra diximus, utuntur etiam in ecclesia in sacris peragendis, in sede confessionali, in Missa celebranda, in SS.ma Eucharistia distribuenda.

Inde decretum S. Cong.

Iamvero ad omnes abusus in hac re removendos et ad disciplinam ecclesiasticam firmandam atque urgendam, haec Sacra Congregatio Concilii praesenti decreto mandat, ut omnes clerici, praeter clericalem tonsuram, decentem habitum ecclesiasticum publice semper, non excepto tempore aestivarum vacationum, deferant, habitum scilicet, quem legitima consuetudo et Ordinarii loci praescriptum in propria regione ordini clericali congruentem agnoverint.

Speciali monito sacerdotes servare iubentur in missa et sacramentis publice ministrandis can. 811, § 1.

Insuper eadem Sacra Congregatio sacerdotes graviter monet ut religiosissime servent etiam praescriptum canonis 811 § 1: «Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat»: qua quidem veste curandum est ut sacerdotes utantur etiam in Sacramentis publice ministrandis. Parochi et rectores ecclesiarum in sua quisque ecclesia ad celebrandum Missae sacrificium sacerdotes ne admittant nisi sint, iuxta praescriptum canonis 804 § 2, ecclesiastica veste induti, veste nempe de qua in canone 811 § 1.

Rectores ecclesiarum ne admittant ad celebrandum aliter indutos.

Zelus Ordinariorum excitatur.

Ut vero praesens decretum ab omnibus, ad quos spectat, adamussim servetur, eadem Sacra Congregatio peculiarem Ordinariorum locorum diligentiam atque vigilantiam excitat, qui, si casus ferat, in renitentes animadvertant ad normam canonum 136 § 3, 188 n. 7, 2379 Codicis iuris canonici.

Clausula derogans.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (28 iul. 1931).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 28 Iulii anno 1931.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Praesenti decreto plaudent qui dolebant quod, praesertim per ferias, obvios habere solebant alumnos

Seminariorum vel collegiorum ecclesiasticorum qui, deposito habitu clericali, libere more laicorum vagabantur, quin immo, adducto hoc praetextu, loca adibant, v. g. theatra publica, quae clericali veste induti sine aliquo scandalo ingredi non potuissent; et, quod pessimum est, variis peccandi occasionibus exponebantur.

Valde opportune igitur explicita mentio facta est feriarum aestivarum.

II. De peculiaribus tamen adiunctis quae iustae exceptioni locum dant Ordinarii iudicare et statuere non minus quam antea poterunt. Nihil enim est de eorum auctoritate demptum.

III. Valde etiam expedit ut ipsa exterioris habitus cura sacerdotes iuventur in alenda et testanda summa reverentia qua coli debet SS. Missae sacrificium, praeter sacramenta Novae Legis. Extraneo tamen sacerdoti qui in propria regione veste ad talos pertingente non utitur, observatio can. 811 § 1 difficilior evadere potest. Sed in ecclesiis Urbis servari consuevit vestis talaris ad usum extraneorum. Hac vel simili ratione non autem neglecta disciplina difficultas solvenda est.

II

13. — Decreto del 4 agosto 1931

CIRCA ALCUNE FORMULE DEL CATECHISMO DI PIO X

Propter articulum quo in Concordia cum Italia effectus civiles matrimonio ecclesiastico coniuncti sunt, S. C. Conc. quaedam responsa catechismi a Pio X ec.ae provinciae Romanae impositi, mutavit.

Con l'articolo 34, comma 1, del Concordato Lateranense sono stati riconosciuti in Italia gli effetti civili al Sacramento del matrimonio, disciplinato dal Diritto canonico.

In seguito a tale riconoscimento si rende necessaria la modificazione di alcune formule del *Catechismo della dottrina cristiana di Pio Pp. X*, il cui testo con Lettera apostolica dello stesso Pontefice del 18 Ottobre 1912 è stato prescritto nella diocesi e provincia ecclesiastica di Roma, e raccomandato nelle altre diocesi d'Italia. Perciò questa Sacra Congregazione del Concilio, con l'approvazione del Santo Padre, ha stabilito che

alle attuali formule che si trovano nel testo del predetto Catechismo, edizione vaticana, sotto i numeri 408-412, siano sostituite le seguenti:

Mutationes.

« 408. *Come si contrae il matrimonio?*

« R. Il matrimonio si contrae esprimendo il mutuo consenso davanti al parroco, o a un sacerdote suo delegato, ed almeno a due testimoni.

« 409. *Il matrimonio celebrato in questa forma consegue in Italia anche gli effetti civili?*

« R. Il matrimonio celebrato in questa forma consegue in Italia anche gli effetti civili, perchè lo Stato italiano riconosce tali effetti al Sacramento del matrimonio.

« 410. *Il matrimonio così celebrato come consegue in Italia anche gli effetti civili?*

« R. Il matrimonio così celebrato consegue in Italia anche gli effetti civili, mediante la sua regolare trascrizione nei registri dello Stato civile, fatta a richiesta del parroco.

« 411. *Gli sposi cattolici possono compiere anche il matrimonio civile?*

« R. Gli sposi cattolici non possono compiere il matrimonio civile nè prima nè dopo il matrimonio religioso: che se lo osassero, anche con l'intenzione di celebrare in appresso il matrimonio religioso, sono dalla Chiesa considerati come pubblici peccatori.

« 412. *Gli sposi nel contrarre il matrimonio debbono essere in grazia di Dio?*

« R. Gli sposi nel contrarre il matrimonio debbono essere in grazia di Dio, altrimenti commettono un sacrilegio ».

Dies (4 aug. 1931).

Roma, dalla Segreteria della stessa Sacra Congregazione del Concilio, 4 Agosto 1931.

G. Card. SERAFINI, *Prefetto.*

L. ✠ S.

G. BRUNO, *Segretario.*

ANNOTATIO

Lectorem iuvabit mutatos locos cum anterioribus conferre posse. Quare istos subicere visum est.

408. *Come si contrae il Matrimonio?*

Il Matrimonio si contrae esprimendo il mutuo consenso davanti al parroco, o a un suo delegato, e a due testimoni, nel territorio della parrocchia.

409. *Gli sposi nel contrarre Matrimonio debbono essere in grazia di Dio?*

Gli sposi nel contrarre il Matrimonio dobbono essere in grazia di Dio, altrimenti fanno un sacrilegio.

410. *Che cos'è l'atto che si chiama* matrimonio civile?

L'atto che si chiama *matrimonio civile* è la formalità prescritta dallo Stato perchè il contratto matrimoniale abbia gli effetti civili.

411. *Per i cristiani basta far solamente l'atto civile?*

Per i cristiani non basta far solamente l'atto civile, perchè questo non è sacramento; per essi, solo quello che è sacramento è matrimonio avanti a Dio.

412. *Gli sposi debbono fare anche l'atto civile?*

Gli sposi debbono fare anche l'atto civile, sebbene non sia sacramento, per assicurare a sè e ai figliuoli gli effetti civili della società coniugale; perciò la Chiesa non permette, d'ordinario, il matrimonio religioso se non si compiano anche gli atti prescritti dallo Stato.

---

14. — S. Cong. de Sacramentis

Instructio 1 aug. 1931

AD EXCELLENTISSIMOS EPISCOPOS, QUOAD DISPENSATIONES SUPER IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS IN PRIMO LINEAE COLLATERALIS GRADU MIXTO CUM SECUNDO IMPETRANDAS.

(A. A. S., 3 oct. 1931, XXIII, 413)

Instructionis occasio.

Sat frequentes ad hanc Sacram Congregationem de Sacramentis perveniunt pluribus ex dioecesibus supplices libelli, ad impetrandas matrimoniales dispensationes super impedimento consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis, mixto cum secundo.

Haud semel eadem Sacra Congregatio, arrepta occasione, de hac tam lamentabili re Rev.mos Ordinarios singillatim commonefacere non praetermisit: at, spectata eiusdem rei frequentia, quae magis in dies de loco in locum, contagii instar, diffundi conspicitur, opportunum ducit nonnullas statuere normas, quibus Ex.mi Praesules innixi, pro sua pastorali sollicitudine,

idoneis utantur modis, ad cohibenda efficaciter atque refraenanda eiusmodi suorum subditorum postulata, quae leviter nimis saepe exhibentur.

Quid ope parochorum praestandum.

Ad eiusmodi coercendam frequentiam, optimam queunt eamque utilissimam conferre opem R.mi Parochi, rite ac tempestive christifideles sibi subditos edocendo, praesertim in explananda catechesi et in concionibus habendis, Ecclesiam nempe matrimonialia statuisse impedimenta, ut familiarum rectae constitutioni et ordinationi, sobolisque procreationi et institutioni aptius foret consultum. Quapropter eosdem fideles avertere conentur a dispensationibus matrimonialibus nimis facile postulandis, praecipue si impedimenta maioris gradus respiciant, nisi vere graves urgentesque causae id suadeant; hisque exstantibus valde prudens erit si ecclesiasticae auctoritati, per parentes praesertim aut per parochum, prius ipsae patefiant, quam matrimoniales intercedant promissiones, atque in vulgus diffundantur.

Memorantur statuta Tridentina et chirographus Greg. XVI qui adhuc vigere demonstratur.

Hac eadem super re Sedes Apostolica non destitit, prouti temporum necessitas postulabat, canonicas praescriptiones iam editas, et in primis Concilii Tridentini statuta, ad observantiam revocare, uti contigit saeculo elapso per Chirographum f. r. Gregorii XVI Summi Pontificis, diei 22 Novembris 1836, cuius praescripta, quoad impedimentum de quo agitur, adhuc in suo robore permanere procul dubio dicenda sunt, sive quia Codex iuris canonici eadem nullatenus immutavit, sive quia haec Sacra Congregatio integre atque assidue huiusmodi servavit praxim, sibi ab Apostolica Dataria transmissam.

Pericula et incommoda huiusmodi dispensationum.

Quamobrem Ex.mos Praesules in Domino monemus, ne faciles se praebeant in excipiendis et commendandis precibus nupturientium, qui tales dispensationes impetrare intendunt. In primis enim animadvertenda et cavenda sunt pericula diversaque incommoda, quibus obnoxii reperiuntur oratores tam arcto necessitudinis vinculo detenti, atque saepe notabili inter se aetate dissimiles. Equidem hisce in casibus coniugalis conversatio perraro pacifica atque constanter stabilis perseverat: unde consequitur, familiae compaginem haud firmam permanere, graviaque damna etiam physica in filios ac nepotes redundare, in quos, praeter cetera, uti tradunt viri sapientes atque ipsi egregii physiologicae artis vere periti, hereditaria parentum vitia dimanant tum physica tum moralia, ac ut plurimum etiam in filiis ingravescentia.

Nimia indulgentia minuitur observantia et

Meminisse praeterea iuvabit, nimiam adhibere indulgentiam in talibus dispensationibus concedendis — uti iam probe cavit

morum castimonia.

praefatus S. P. Gregorii XVI Chirographus — idem esse ac occasionem praebere, imo fovere, qua debita minuatur observantia et morum castimonia, quae intercedant oportet cum personis tam arcto sanguinis vinculo adstrictis, in familiari conversatione vitaeque intima consuetudine. Nullus igitur est qui non perspiciat quantum intersit ne impedimentorum matrimonialium disciplina, quae coniugii dignitatem ac sanctitatem tuetur, crebris eiusmodi dispensationibus labefactetur, cum potius tectam sarctamque servare plurimum oporteat ad probos tuendos mores, ad pacem familiarum fovendam, atque ad bonum rei publicae quoque civilis provehendum.

Quaenam causae habeantur iustae et congruenter graves.

Eas proinde solummodo iustas et congruenter graves habeant causas Ex.mi Praesules in memoratis dispensationibus efflagitandis, quae ob canonicas praescriptiones, aut ob diuturnum usum iugiter a S. Sede servatum, uti legitimae aestimantur, prout sunt v. g. remotio notabilis scandali, compositio gravium quaestionum in successione bonorum, aut resolutio implexarum vel valde miserarum conditionum familiarum. Ideoque ad rem haud sufficere censeant suetas, quae pro ceteris impedimentis etiam maioris gradus adducuntur, causas: nempe angustiam loci, aetatem mulieris superadultam, carentiam dotis et similia, excepto casu quo eaedem, non singillatim sed cumulative sumptae, tam grave pondus efforment, ut dispensationem suadeant, iuxta regulam iuris « singula quae non prosunt, simul collecta iuvant ».

Quaenam optetur, quaenam praescribatur Ep.i commendatio.

In posterum itaque Ex.mi ac Rev.mi dioecesium Pastores atque Rectores eos tantummodo excipiant et commendent supplices libellos pro dispensationibus super memorato impedimento impetrandis, qui causis vere canonicis, sensu iam explicato, roborentur, eosdemque ipsi Ex.mi Episcopi ne graventur *litteris ad rem suis manibus confectis commendare*, quoties id sine gravi incommodo fieri contingat; quibus pro suis quisque subditis referre debet, una cum ipsorum aetate, canonicas causas in unoquoque casu concurrentes, ceteraque adiuncta, queis spectatis gratiam dispensationis opportunam in casu fore censeat. Id autem probe animadvertant Ex.mi Episcopi, *huiusmodi preces semper esse saltem sua manu subscribendas et speciali modo commendandas*, quotiescumque nempe litteras commendatitias suis manibus exarare non valeant.

Dies (1 aug. 1931).

Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 1 Augusti 1931.

† M. Card. LEGA, Episc. Tusculanus, *Praefectus.*

L. ✠ S. D. JORIO, *Secretarius.*

ANNOTATIO

Chirographus Gregorii XVI, 22 nov. 1836, Cardinali Pacca tunc Pro-Datario traditus, habetur in *Acta Gregorii Pp. XVI* (cura ac studio Ant. Mariae Bernasconi recensita et digesta, Romae, Typ. Prop. Fid., 1901) tomo II, p. 148-150; atque ea fere quae praesens instructio continet, nisi quod sanctionem poenalem falsi confirmat cum obligatione « refundendi expensas oratoribus qui, ob illorum culpam, eiusmodi dispensationes quae exsecutioni demandari nequeunt, obtinuerint » et quae proin nullae sunt.

---

15. — S. Congr. Rituum

Decretum 14 oct. 1931

BENEDICTIO INSTRUMENTORUM AD MONTES CONSCENDENDOS

(A. A. S., 9 nov. 1931, XXIII, 446)

Benedictionis formula.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

ORÉMUS

Bénedic, quæsumus, Dómine, hos funes, báculos, rastros, aliáque hic præséntia instruménta; ut quicúmque iis usi fúerint, inter árdua et montis abrúpta, inter glácies, nives et tempestátes, ab omni casu et perículo præserventur, ad cúlmina felíciter ascéndant, et ad suos incólumes revertántur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

ORÉMUS

Prótege, Dómine, intercedénte Beáto Bernárdo, quem Alpium incolis et viatóribus Patrónum dedísti, hos fámulos tuos: ipsísque concéde, ut, dum haec conscéndunt cúlmina, ad mon-

tem qui Christus est váleant pervenire. Per eundem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Approbatio Pontificis.

SS. Dominus Noster Pius Papa XI descriptam formulam benedictionis instrumentorum ad montes conscendendos adprobare dignatus est, eamque Ritualis Romani proximae futurae editioni inseri mandavit.

Clausula. Dies (17 oct. 1931).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Octobris 1931.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

A. CARINCI, *Secretarius.*

---

16. — S. Congregatio Rituum

Responsum 23 mart. 1929

DE CALENDARIO IN MISSIONIBUS, ET FESTO S. TERESIAE A JESU (1)

Congregationis Immaculati Cordis Mariae Missionariorum de Scheut

SACRA CONGREGATIO RITUUM
N. C. 41/929

Orator.

Josephus Rutten, Superior Generalis Congregationis Immaculati Cordis Mariae (Scheut) humiliter petit ut velit Sacra Congregatio Rituum solutionem dare sequentibus dubiis:

I. Memorato anteriore Decreto

I) Iuxta Decretum 22 Aprilis 1910 (N. 4252) « *Secovien* », si paroecia sit monasterio vel domui religiosae incorporata, aut eiusdem monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, in Missis calendarium religiosum semper adhibetur; secus calendarium dioecesanum servatur ut in casu quo ecclesia non religiosae familiae sed tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem familiam pertinenti, commissa sit, iuxta Decretum « *Urbis* », die 15 Decembris 1899.

et descripta condicione ecclesiarum in locis missionum.

In locis autem Missionum, quae certo cuidam instituto missionali sunt concredita, ecclesiae erectae, sunt quasi paroeciales vel stationis missionalis nondum in quasi paroeciam

(1) Ex responso authentico transumptum.

erectae, quibus missionarius, ex eodem instituto religioso, tamquam rector praeest:

Quaeritur utrum ecclesiae quasi paroeciales vel stationis missionalis nondum in quasi paroeciam erectae, aestimentur Congregationi concreditae; an personae privatae tantum; ideoque utrum in istis ecclesiis calendarium Congregationis sit sequendum an Vicariatus Apostolici?

Quaerit de calendario adhibendo.

II) Die 14 Decembris 1927, S. Teresia a Iesu Infante Patrona declarata est peculiaris Missionariorum omnium, sive virorum sive mulierum, necnon Missionum in toto orbe exsistentium; et quidem aeque principalis cum S. Francisco Xaverio « cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis quae huic titulo conveniunt ».

II. Memorata declaratione Patronatus S. Teresiae a Iesu Infante.

Quaeritur an ex hoc, in locis Missionum atque in congregationibus Missionariorum, festum S. Teresiae a Iesu Infante celebrandum sit tamquam festum duplex primae classis cum octava communi et symbolo in Missa?

Quaerit de ritu festi in Missionibus.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Ad 1 Adhibeatur Calendarium Congregationis Religiosae proprium donec hierarchia ecclesiastica inibi fuerit instituta:

Resp. ad I.

ad 11 Affirmative, in omnibus pro clero saeculari sed sine octava pro clero regulari. Atque ita declaravit atque rescripsit.

Ad II.

Die 23 Martii 1929.

Dies (23 Mart. 1929).

C. Card. LAURENTI *S. R. C. Praefectus.*

(L. ✠ S.) ANGELUS MARIANI, *S. R. C. Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Cum decreto 28 oct. 1913, sectione V, n. 2 e, (*Per.* VII, 202. 203) penitus supprimeretur privilegium quo « non nullae dioeceses gaudent sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicuius Ordinis seu Congregationis, et alia huiusmodi; cum iuberentur Ordinarii, Superiores Ordinum regularium et Moderatores Institutorum quae Kalendario perpetuo utuntur suum Kalendarium reformare, et litteris S. C. de Prop. Fide 23 mart. 1914 (*Per.* VIII, 12) memoraretur Kalendarium reformatum regionis Congolensis S. Rituum C. exhibendum pro revisione et approba-

tione, putavimus, post Rm. TRILHE O. Cist. (*Nouv. Rev. Théol.* 1914, p. 172 n. 30), et R. P. PAUWELS S. I. (*Per.* VIII, (11)) necesse iam esse ut suum cuique Vicariatui Kalendarium proprium esset distinctum a Kalendario Instituti religiosi cui missio in ea regione est commissa. Quare etiam ad Vicariatus aptavimus decretum 22 mart. 1910 in Secovien. Cfr *Per.*, XXI, 143. 144.

Praesenti autem S. R. C. responso docemur normas istas de solis dioecesibus valere, ita ut, donec hierarchia ecclesiastica instituta non fuerit, in ecclesiis Vicariatus seu Missionis cuidam instituto missionali concreditae, proprium istius instituti kalendarium adhibendum sit.

Ac re vera responsum in *Secovien.* (*Per.* V, 144) agit de paroecia in dioecesi; decretum 28 oct. 1913, V, singulis *Ordinariis* qui Kalendario proprio utuntur, praescribit quidem ut Kalendarium reforment, sed in V, 2 e, supprimit privilegium quo « non nullae *dioeceses* vel Instituta gaudent ». Vicariatus non nominantur. Itaque Ordinarii ii esse videntur qui praesunt loco ubi hierarchia exsistit, et in litteris ad Excell. D. ROELENS, Kalendarium regionis intelligi potest vigens in regione, sive fuerit saeculare, sive Missionariorum Africae. Rescriptum quoque *Urbis,* 15 dec. 1899 (*Decr. Auth.* n. 4051) manifesto dubiis respondet in regione ubi Ecclesia hierarchice constituta est. Recte igitur R. P. PAUWELS S. I., (*Per.*, VIII (12) Kalendarium (si quod fuerit) Vicariatus a solo clero saeculari adhibendum esse, dum regulares etiam in ecclesiis seu oratoriis ipsis concreditis stabunt Kalendario Ordinis, additis tamen festis Patronorum.

II. Resp. ad II explicatione non indiget. Ius enim planum confirmat.

17. — Pont. Commissio Codici Interpretando

Responsa 16 iun. 1931

(A. A. S., 5 aug. 1931, XXIII, 353)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE ULTIMIS SACRAMENTIS MINISTRANDIS

Can. 514 § 1. Ultima sacramenta extra religiosam domum.

D. An canon 514 § 1 ita intelligendus sit ut in religione clericali Superioribus ius et officium sit omnibus, de quibus in eodem canone, extra religiosam domum aegrotis Eucharisticum et Extremam Unctionem ministrandi.

R. *Affirmative*, si agatur de religiosis professis vel novitiis, firmo tamen praescripto canonis 848; secus negative.

II. — DE AETATE CONFIRMANDORUM

Can. 788. Aetas confirmationis in Ecc.a latina.

D. An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum confirmationis in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone.

R. *Affirmative.*

III. — DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

Can. 1989 de iterata causa matrimoniali.

D. An vi canonis 1989 eadem causa matrimonialis, ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari possit.

R. *Negative.*

IV. — DE DECLARATIONE NULLITATIS MATRIMONII

1. Can. 1990. Quomodo par certitudo haberi possit.

D. I. Utrum *par certitudo*, de qua in canone 1990, haberi possit tantum ex certo et authentico documento, an etiam ex alio legitimo modo.

2. Quando partes citandae sunt.

II. Utrum *citatio partium*, de qua in canone 1990, facienda sit ante declarationem nullitatis matrimonii.

Responsa.

R. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative.*

Dies, 16 iun. 1931.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 16 mensis Iunii anno 1931.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

De primo responso seu de usu c. 514 extra domum religiosam.

Primo responso controversa quaestio solvitur de iure ministrandi sacramenta, extra domum religiosam, iis quos vi can. 514 § 1 Superior religionis clericalis Viatico et extrema unctione, saltem in domo sua reficere potest. In responsione autem professi et novicii distinguuntur ab iis qui causa famulatus, educationis, hospitii, infirmae valetudinis, in domo religiosa diu noctuque degunt.

Priores sunt, etiam extra domum religiosam, Superiori religioso commissi. De aliis ius Superioris manere negatur; indirecte inde constat quod ad eos ius parochi manere intactum. Ratio discriminis haec esse potuit, quod pro prioribus, ius Superioris ratione *personae,* pro posterioribus vero ratione *loci* sit concessum.

Verum, etiam in priore casu, reservatur c. 848, quo publica Viatici delatio inter iura parochorum recensetur. Oportet igitur ut Superior qui suum novicium vel professum spiritualiter reficere cupiat, vel licentiam a parocho aut Ordinario petat, vel SS. Sacramentum occulte deferat.

De aetate Confirmandorum

Altero responso Latini virtualiter excluduntur usu Graecorum, qui ministrationem chrismatis cum baptismo parvulorum coniungunt; et confirmatur can. 788

quo dicitur convenienter, in Ecclesia latina, administratio ad VII circiter aetatis annum differri. Verum, ipso can. 788 duplex exceptio admittitur: infantis in periculo mortis versantis, et alius causae quam minister iustam et gravem aestimet. Huiusmodi esse poterit timor fundatus ne unquam ministretur sacramentum quod nunc differretur.

In tomo III Theolog. moralis, n. 270 ostendimus quam inaequali condicione, propter penuriam Episcoporum, pueri Latini extra Urbem, si eos cum Orientalibus conferas, constituti sint, cum etiam in periculo mortis plerique, deficiente ministro competente, sacramento isto, eiusque charactere priventur; et humile votum expressimus ut plures primarii sacerdotes habiles efficiantur ad sacramentum confirmationis in periculo mortis administrandum.

De retractanda causa matrimoniali, post duplicem sententiam conformem.

Quamvis causae matrimoniales, saltem vivente utraque parte (1), numquam transeant in rem iudicatam (Cf. can. 1903), ulterior tamen propositio non debet admitti, « nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis ». Dubium vero exortum est utrum nova instantia alii tribunali eiusdem gradus proponi possit an tribunal gradus superioris adiri debeat. Ac Pont. Commissio hic ad III negavit causam istam a tribunali eiusdem gradus iudicari posse. Ratio est, quia novus iste recursus rationem habet cuiusdam appellationis. Appellatio autem fit provocando ab inferiore iudice qui sententiam tulit ad superiorem (Cf. Can. 1879).

Inde sequitur causam istam esse ad Tribunal Rotae deferendam. Etenim, post duplicem sententiam

(1) Mortua altera parte, sententiam de nullitate matrimonii in rem iudicatam transire posse, admisit S. Rota, 20 iun. 1922. Cfr *Per.* XI, 199.

conformem tertia instantia non superest nisi apud S. Sedem.

Dicet quispiam: Quid si una vel etiam utraque sententia manaverit e S. Rota? Respondemus novam instantiam esse nihilo minus a S. Rota iudicandam. Etenim, in S. Rota singuli turni sunt alii aliis tribunalia appellationis.

De nullitate matrimonii declaranda.

Quartum responsum in can. 1990 versatur. Isto canone indicantur impedimenta ob quae, sine consuetis causarum matrimonialium sollemnitatibus, matrimonium declarari potest nullum, dummodo ex certo et authentico documento constiterit de exsistentia impedimenti, « simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super istis impedimentis datam non esse ». Hinc quaeritur utrum annon par certitudo aliter quam ex certo et authentico documento haberi possit. Et haberi posse, respondit Pontificia Commissio. Praeter quam pro isto responso allegari potest ipsa difficultas obtinendi authenticum documentum de *non data* dispensatione, solutio inde confirmatur, quod etiam de ipsis impedimentis alia certa probatio ac per authentica documenta admitti consuevit. Cfr decl. S. Officii 5 iun. 1889, in qua dicitur « ex certo et authentico documento, vel, in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet » (*Coll. C. de P. Fide*, II, n. 1706).

Altera parte eiusdem responsi, declaratur citationem partium, quae etiam in istis causis privilegiatis facienda est (can. 1990) faciendam esse ante quam nullitas pronuntietur. Sic prudenter responsum esse iam inde liquet, quod citatae partes lumen iudici afferre possunt; id tamen non possunt nisi ante pronuntiatam sententiam.

A. VERMEERSCH S. I.

18. — Pont. Commissio Codici Interpretando

Responsa 25 iul. 1931

(A. A. S., 1 sept. 1931, XXIII, 388)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE CELEBRATIONE MATRIMONII

Can. 1098 casum complectitur quo propter grave incommodum parochus vel delegatus physice praesens esse nequeat.

D. An *ad physicam parochi vel Ordinarii absentiam*, de qua in interpretatione diei 10 Martii 1928 ad canonem 1098, referendus sit etiam casus, quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat requirens et excipiens contrahentium consensum.

R. *Affirmative.*

II. — DE MATRIMONIIS ACATHOLICORUM

Can. 1099 § 2. interpret. 20 iul. 1929 declarativa esse iudicatur.

D. Utrum interpretatio diei 20 Iulii 1929 ad canonem 1099 § 2 sit declarativa an extensiva.

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

III. — DE PROCESSU INFORMATIVO IN CAUSIS SERVORUM DEI

Can. 1039 § 1. Competens Ordin. ad process. informativum in causis Serv. Dei.

D. An canon 2039 § 1 sit ita intelligendus ut competens sit ad processum informativum in causis Servorum Dei instruendum etiam Ordinarius loci, in quo testes utiliter examinandi sunt.

R. Standum praescripto eiusdem canonis 2039 § 1, seu *negative*.

Dies (25 iul. 1931).

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 25 mensis Iulii anno 1931.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Trium responsionum quae fasciculo A. A. S. 1 sept. huius anni promulgatae sunt, binae priores ad matrimonium referuntur ac magis enucleandae videntur. Quare earum explicationi praeponimus tertiam responsionem, quae nullum negotium facessit. Itaque:

I. - *De tertia responsione, seu de processu causarum servorum Dei.*

Quaerebatur utrum an non, ad instruendum processum informativum in causis servorum Dei, praeter Ordinarium loci in quo servus Dei supremum diem obiit aut miracula contigerunt, competens etiam esset Ordinarius loci in quo testes utiliter examinandi sunt.

Iam vero, cum canone 2039 § 1, competentem faciat Ordinarium loci in quo S. D. vita functus est, aut miracula contigerunt, quaestio huc redibat, utrum canonis designatio tamquam taxativa an ut mere exemplativa habenda esset. Eamque, suo negativo responso, Pont. Commissio taxativam esse declaravit. Ista ceterum severitas nullum incommodum secum trahit, cum iudex competens, sic dicta commissione rogatoria, audiendos testes committere possit alii Ordinario tunc deputando ad normam can. 1770.

II. - *De primo responso, seu de celebratione matrimonii.*

De ista matrimonii celebratione memoranda est responsio 10 martii 1928, quae praesenti responso completur et quadam ambiguitate levatur. Etenim, 10 mart. 1928, de can. 1098, qui sufficientem formae canonicae declarat praesentiam duorum testium, « si haberi vel adiri nequeat *sine gravi incommodo* (1)

(1) Iam anno 1910, inter declarationes quas 12-13 martii 1910, vigente decreto *Ne Temere*, S. C. *de Sacramentis* edidit, interrogata de *distantia* locali

parochus vel Ordinarius, vel sacerdos delegatus », sive in periculo mortis, sive « etiam extra istud periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam », *Pont. Commissio* responderat canonem ita intellegendum esse « ut referatur tantum ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam ». Sed quaeri poterat utrum Pontificia Commissio de absentia a loco, i. e. a paroecia vel dioecesi, an de absentia a celebratione matrimonii locuta esset. Et cum in controversiam veniret, utrum annon nimia difficultas assistendi matrimonio orta ex vetito civilis legis usum can. 1098 permitteret, in subiectis annotationibus absentiam intelleximus a loco residentiae (Cf. *Per.* XVII, 79).

Nunc autem constat hoc solum attendendum esse utrum annon parochus vel Ordinarius celebrationi matrimonii, sine gravi incommodo physice assistere queat. Si id fieri nequeat, eius materialis in loco residentiae suae praesentia usum can. 1098 non impediet.

Res igitur omnis sic iam resumi posse videtur.

Ab hoc principio exordiendum est. Si substantialis matrimonii forma quam Ecclesia servandam praescribit conciliari non potest cum nativo iure contrahendi matrimonii, ius istud servanda forma praevalere debet. Porro can. 1098 potiorem istum facultatis nubendi valorem agnoscit quotiescumque sacerdos competens sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat. Haberi non poterit si ipse nupturientes physice convenire nequeat; adiri non poterit, si sponsi accessu ad ipsum prohibeantur. Incommodum autem potest

---

requisita ut matrimonium coram solis testibus valide et licite iniri posset, responderat ad 1, omittens respectum distantiae: « Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia sacerdotis competentis ad assitendum semper ac.... sacerdos competens *absque gravi incommodo* haberi vel adiri nequeat ». (Cfr *Per.*, V, p. 115 s.)

esse *physica difficultas* quae nequaquam vel aegre tantum superari queat, puta gravem morbum, captivitatem, distantiam nimiam, attentis mediis ordinariis et personis. (Media extraordinaria, quae neglegi possunt, certe forent naves aereae, non autem usus viae ferreae. An rotae, an rhedae automobiles? Est qui affirmet; nos id minus absolute concesserimus, quia condiciones personae attendendae esse nobis videntur.) Potest quoque esse *moralis difficultas,* v. g. ex lege civili, quae parochum, Ordinarium vel delegatum, gravi statuta poena, prohibeat ne matrimonio assistat, sive magis *absolute,* sicut, indicta mortis poena, assistentia matrimonii vetabatur saeviente Mexicana vexatione, et etiam nunc in non nullis Statibus Americae septemtrionalis, quod ad matrimonia sponsorum quorum alter sit gentis albae, alter gentis coloratae, sive in quibusdam adiunctis, v. g. non praemissa celebratione matrimonii civilis.

Verum, cum agitur de morali molestia, considerandum praeterea est quanto incommodo vitari possit et quamdiu canonicae celebrationi obstet. Si, v. g. citra grave incommodum matrimonium celebrari possit extra territorium in quo prohibetur, vel si civilis poena matrimonio conscientiae vitari possit, vel civilis celebrationis difficultas intra mensem finem habitura videatur, liquet nullam fore canonicam celebrationem quae absente competente sacerdote tentetur. Si vero sine gravi incommodo substantialis forma servari nequeat, tunc etiam locus est canoni 1098: et haec est vis praesentis responsionis 25 iul. 1931.

Quaestio igitur de obstaculo e lege civili exorto, hoc modo pro libertate matrimonii decisa est, dummodo condicio magni incommodi, canone 1098 postulata impleta fuerit.

Estne an non impleta: id moraliter existimandum est. In dubio facti, Ordinarius, vi can. 15, a praesentia

testis qualificati dispensare poterit. Quaeri iam potest, num, considerata praesenti responsione, ad S. Cong. de Sacramentis adhuc recurrendum sit in singulis casibus in quibus forma substantialis prohibitione legis civilis impedita sit. Cum responsio ista S. C. de Sacramentis data fuerit 12 iul. 1916, vigente controversia de usu can. 1098 ob difficultates legis civilis, arbitramur, soluta nunc quaestione non magis recurrendum esse quam in aliis difficultatibus quae servandae formae obstare possunt. Sed cum e can. 1023. 1026. 1028. 1031. 1032 1034. 1063. 1065. 1066, hanc mentem legislatoris colligere possimus, ut Ordinarius de omni difficiliore casu interrogetur, oportere dicemus ut parochus de gravi incommodo, si res id permittat, Ordinarium interroget. Atque ipse Ordinarius possit opportune casus istos sibi reservare solvendos.

N. B. In proposito dubio non memoratur nisi parochus vel Ordinarius; sed liquet addendum esse sacerdotem rite delegatum. Ipse enim can. 1098 matrimonium coram solis testibus non admittit nisi « haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus ».

De secundo responso, seu de matrimonio acatholicorum.

Die 29 iul. 1929, Pontificia Commissio interrogata « an ab acatholicis nati, de quibus in can. 1099, § 2, dicendi sint etiam nati ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis ad normam can. 1061 et 1071 », responsionem dedit *affirmantem*. Cfr *Per.*, XVIII, 249. Quae responsio quadam miratione excepta est a pluribus qui canonem putabant non valere nisi de iis qui utroque parente acatholico nati erant; maxime si cautiones de catholice educanda universa prole datae fuissent. Namque, vi can. 1099 § 2 « a catholica matrimonii forma servanda eximuntur ab acatholicis nati qui ab infantili aetate in haeresi,

vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint ».

Miratio ista occasio fuisse videtur dubii de natura responsionis, utrum interpretatio 20 iul. 1929 extensiva an mere declaratoria habenda sit. Atque eam esse declarativam, Pontificia Commissio respondit. Cuius responsionis haec ratio dari posse videtur, quod Pont. Commissio suam declarationem ex ipsis canonis verbis deprompsit. Pluralis enim vox « ab acatholicis » hanc etiam significationem patitur, quod qui singulatim ab uno tantum parente acatholico nati sunt, cum plures sint numero, collective dici queant ab acatholicis nati.

Ceterum non ideo retrotrahenda est responsio ad casus praeteritos. Etenim non sola interpretatio quae legem coartet vel extendat, sed ea quoque quae legem *dubiam* explicat, vi can. 17 § 2 « non retrotrahitur et debet promulgari ». Praefata autem responsione legem dubiam esse explicatam satis inde probatur, quod plerique interpretes canonem aliter declaraverant.

Attamen R. P. Maroto, qui in *Apollinaris* 1930, pp. 604-611, responsionem 29 iul. 1929 fuse versat, conclusionem applicationi ad matrimonia anteriora faventem munit can.e 20 dicente: « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ». Practice igitur a servanda forma immunes fuisse natos ab alterutro parente achatholico, eo quod dubie, ob legem obscuram, ea servanda tenerentur.

Sicut accepimus, Suprema C. S. Officii, interrogata de vi responsionis quod ad matrimonia praeterita, respondit ad ipsam esse in singulis casibus recurrendum, ita ut sibi causarum examen et solutionem reservaverit.

ACTA SUMMATIM RELATA

19. — SS. D. N. Pius Pp. XI

A. *De actione catholica, novissima acta.*

Acta recitantur.

Hocce anno, SS. D. N. Pius Pp. XI peculiaribus adiunctis motus est ut nova documenta de Actione catholica publici iuris faceret. Primum est *Chirographus* quem, per occasionem orationis Mediolani 18 iunii habitae a Secretario regiminis vigentis in Italia, cui nomen Giuriati, misit ad Em. P. Alfridum Ildefonsum Card. Schuster; alterum est epistola enc. *Non abbiamo bisogno,* quam die 29 iunii misit ad Ordinarios universi Orbis; tertium est sermo quem 31 maii habuit ad congregatos regulares Ordinis Clericorum regularium pauperum Matris Dei, scholarum piarum, post praelectum Decretum super virtutibus S. D. Glycerii Landriani eiusdem Ordinis.

Ipso spatio prohibemur quin tria monumenta, italice conscripta, ex integro referamus. Ad finem nostrae ephemeridis satis erit ut capita maxime doctrinalia in iis contenta brevissime referamus.

I. *Chirographo* SS. D. (*A. A. S.*, 4 maii 1931, p. 145-150) monet a se quidem probari ut ii quoque qui rei publicae praesunt solliciti sint de instituendis iuvenibus in patria religione, dummodo memores sint eam provinciam esse Magisterio Ecclesiae divinitus commissum, cui proinde etiam a publica potestate in hac re parendum est.

I. Chirographus.

Cum autem in oratione quae epistolae locum dedit, observatum esset Concordatum a S. Sede pactum esse cum gubernio quod vocatur « Regime totalitario fascista » et cum Statu « corporativo fascista », S. Pontifex observat universitatem istam intellegendam esse intra fines rerum quae Statui competunt, non autem ad ea pertinere quae civium vitam etiam singularem, domesticam, spiritualem, supranaturalem spectant.

Certo, subiungit Pontifex, ab actione quidem catholica res politicas exsulare, verum ea minime impediri quin eius socii in rebus politicis christiane et catholice tractandis versentur, immo eos ad haec studia per catholicam actionem egregie

praeparari. Demum Ecclesiae, Hierarchiae, et actionis catholicae ius et officium est ut, non ut actionem syndicalem usurpent vel impediant, sed, quantum intersit ad honorem Dei, ob bonum animarum et vitam supranaturalem, ut de operariis, de labore, de re sociali curam gerere ius est et officium.

II. Enc. litterae.

II. *Enc. litterae* « Non abbiamo bisogno » *(A. A. S.,* 6 iul. 1931, pp. 285-312) « inscriptae per la Azione cattolica » (pro actione catholica), post brevem introductionem de factis quae litteris occasionem dederunt, et de proposito S. Pontif., quinque partes continent in ipso exordio indicatas.

Prima est tota data gratiis agendis pro innumerabilibus significationibus quibus Antistites et Fideles omnis regionis solati sunt animum Pontificis, qui pace fruitur interiore, in acerbis tamen, amaris adiunctis.

Altera directa est contra calumnias quibus actio catholica impetitur, easque confutat. Simul causam explicat cur sacras pompas prohibere debuerit; et se considerari potuisse ut potestatem alienigenam nimis miratur et negat.

In tertia, gloriatur se pugnare pro libertate conscientiarum, quam ab ambigua libertate conscientiae probe secernit, et ius vindicat Ecclesiae ordinandi proprio arbitrio ea quibus animae non solam minimam vitae rationem sed abundantiorem habeant. Quare actionem catholicam minime superfluere ex quo instructio religiosa proponitur in scholis; et consociationibus iuvenum cappellani assistunt. Declarat nec, attenta catholica doctrina et iure naturali familiae, Statum concipi posse ita ut a prima aetate usque ad adultam iuvenes generationes ad ipsum pertineant; Ecclesiam et Papam de solis externis religionis actibus debere esse sollicitos, reliquam institutionem ad Statum prorsus spectare.

In quarta, de iuramento absolutae oboedientiae agens quod in se illicitum pronuntiat, suggerit ut emittatur reservando obligationes boni christiani, interne quidem sed cum firmo proposito restrictionem manifestandi ubi opus sit.

Subiungit Pontifex his noluisse ipsas partes seu regimen damnare sed, ut officium eius erat, ea sola indicare et reprobare quae in consiliis et actis eius doctrinae et usibus catholicis adversabantur.

Demum, quinto loco, de rebus futuris spem ponit in Deo, in unione cum Antistibus et precibus totius Ecclesiae.

III. Sermo.

III. *In sermone isto (A. A. S.,* 1 iun. 1931, p. 231. 232) S. P. rationem dat cur universum orbem certiorem fecerit de querelis suis et de earum causa; omnium enim et maxime catholicorum

ius esse ut cognoscant ipsum non defuisse officio reclamandi pactioni Lateranensi et Concordato non observatis et ad libidinem ab una parte intellectis. Nec tentatae iam consensionis conatus nec quidquam aliud Episcopum Romanum et Primatem Italiae impedire potest quinstatim et elatissime intercedat rebus, quae in Urbe et in omni Italia acciderunt et modo quo praeparatae erant. « Vitam quidem non autem silentium ab ipso postulari posse, quando id destruitur quod praecipuo sui et Dei cuius vices agit cordis studio amatur ». Iuvenes autem hortatur ut, digne ordinationibus externis obtemperantes, sub ductu Episcoporum, Parochorum et Patrum spiritualium intendere pergant propriae conformationi spirituali, et auxiliari sui apostolatui, animo reputantes nullam humanam protestatem ipsis eripere posse, quod pro Ecclesia, pro Hierarchia, pro Vicario Christi, pro ipso Christo, Ecclesia et Vicarius Christi effecerunt ut essent; et sic a divina Misericordia horam pacis iterum exspectando. Simul quoque orent pro eos persequentibus.

Pontifex gratus de participatione maeroris.

Demum gratias egit tam multis qui undique se animo filiali participes praesentis Pontificis maeroris declararunt: inter quos testificationes congregatorum iuvenum actionis catholicae maxime ipsi gratae exstiterunt.

Novae Praelaturae nullius « Marajensis » et « Gurupensis » in Brasiliana Republica.

B. Bulla *Romanus Pontifex*, 14 apr. 1928, pars archidioecesis Balemensis de Parà a territorio seiungitur atque inter eius fines duae, alia « Marajensis », alia « Gurupensis », novae Praelaturae *nullius* dioecesis eriguntur. (*A. A. S.*, XXIII, 313).

Praelatura nullius Paracatuensis in Brasiliana Republica.

C. Bulla *Pro munere*, 1 mart. 1929, territorium dioecesium Montisclarensis et de Uberaba infra finibus circumscriptum dismembratur et erigitur, ab urbe Paracatù nuncupata, Praelatura *nullius* « Paracatuensis » (*A. A. S.*, XXIII, 317).

Nova Praelatura nullius Adamantae in Brasiliana Republica.

D. Bulla *Cura universae*, 22 mart. 1929, nova erigitur Praelatura *nullius* « Adamantae » ex territorio ab archidioecesi Cuiabensi distracto. (*A. A. S.*, XXIII, 320).

Erectio Praelaturae nullius Iatahiensis in Brasiliana Republica.

E. Bulla *Sollicitudo*, 21 iun. 1929, a Goyasensi dioecesi territorium separatur, illudque in Praelaturam *nullius* erigitur, quae Iatahiensis nuncupari statuitur. (*A. A. S.*, XXIII, 323).

Nova dioecesis de Iquique in Peruviana Republica.

F. Bulla *Ad gregem dominicum*, 20 dec. 1929, vicariatus apostolicus de Tarapacà supprimitur; e dioecesi insuper de Arequipa in Peruviana Republica provincia de Arica separatur, atque ex territorio tum praefati vicariatus, tum dictae provinciae, nova erigitur dioecesis de Iquique. (*A. A. S.*, XXIII, 361).

Vicariatus ap. de Chiquitos in Boliviana Repub.

G. Bulla *Apostolicae Sedis*, 27 ian. 1930, a dioecesi S. Crucis de Sierra distrahitur territorium, et illud, quod nuncupatur de

Chiquitos, in vicariatum erigitur apostolicum. (*A. A. S.*, XXIII, 364).

Novae dioecesis Renensis erectio in Foed. St. Am. Sept. (Reno, Nevada).

H. Bulla *Pastoris aeterni*, 27 mart. 1931, a territorio, universus Status *Nevada* efformans, dioecesium Lacus Salsi et Sacramentensis, avellitur et separatur; nova erigitur, ac distincta ex iis comitatibus, dioecesis Renensis. (*A. A. S.*, XXIII, 366).

Basilica S. Pancratii M. de Urbe in paroeciam erecta.

I. Bulla *Pastoralc munus*, 12 apr. 1931, ecclesia tituli S. Pancratii Mart. de Urbe, laniculensi colli proxima in paroeciam erigitur, ob auctum incolarum numerum, qui, a tribus ecclesiis a quibus nova paroecia distrahitur, valde distant. (*A. A. S.*, XXIII, 426).

Epistola memorans XV exeunt. saec. a S. Paulini obitu.

K. Epistola *Sanctos inter*, 15 apr. 1931, ad R. P. D. Aegistum Melchiori, episcopum Nolanum, quinto decimo exeunte saeculo ab obitu S. Paulini. (*A. A. S.*, XXIII, 405).

Constitutio novae sedis episcopalis dioecesis Csanadiensis in Hungaria, et erectio templi in ecc. cathedralem.

L. Bulla *Per Apostolicas*, 19 iun. 1931, nova sedes dioecesis Csanadiensis in urbe Szeged constituitur; extolliturque ad civitatis episcopalis fastigium, atque templum in praedicta urbe exstans, in honorem B. M. V. Magnae Hungarorum Dominae dicatum, ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehitur. (*A. A. S.*, XXIII, 428).

M. *Litterae praeter Bullas de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Erectio Abbatiae Casamariensis, O. Cist., in Congreg. independentem.

1. Brevi *Beati Petri Apostoli*, 14 dec. 1929, Abbatia Casamariensis Ordin. Cisterciensium, cum domibus seu monasteriis subiectis in Congregationem sui iuris erigitur (*A. A. S.*, XXIII, 369).

Fines de vicariatibus ap. de Siwantze et de Tsining in Sinis.

2. Brevi *Dominici gregis*, 20 nov. 1930, neglecto confinio civili, inter vicariatus apostolicos de Siwantze et Tsining in Sinis fines reguntur. (*A. A. S.*, XXIII, 326).

Fines de vicar. ap. de Hanchungfu et de praef. ap. de Hinganfu in Sinis.

3. Brevi *Regimen ecclesiae*, 20 dec. 1930, fines reguntur inter vicariatum apostolicum de Hanchungfu et praefecturam apostolicam de Hinganfu in Sinis. (*A. A. S.*, XXIII, 327).

Missio de Bikoro in Africa centrali.

4. Brevi *Cum opera*, 3 ian. 1931, separato territorio e vicariatu apostolico de Coquilhatville, erigitur Missio sui iuris de Bikoro in Africa centrali. (*A. A. S.*, XXIII, 328).

Permutatio finium vicariat. ap. de Zanzibar et de Nyeri.

5. Brevi *In Evangelii*, 3 ian. 1931, permutantur fines vicariatuum apostolicorum de Zanzibar et Nyeri. (*A. A. S.*, XXIII, 370).

Territoria unita dioecesi Patnensi.

6. Brevi *Supremi Apostolatus*, 4 ian. 1931, territoria ad fines orientales archidioecesis Calcuttensis distrahuntur ac separan-

tur; eademque territoria finitimae dioecesi Patnensi uniuntur. (*A. A. S.*, XXIII, 371).

Missio independens de Bulawayo in Africa meridionali.

7. Brevi *Congregationis Missionariorum*, 4 ian. 1931, distracto territorio e praefectura apostolica de Salisbury, erigitur Missio independens de Bulawayo in Africa meridionali. (*A. A. S.*, XXIII, 372).

Immutatio finium inter praef. ap. de Coquilhatville et de Basankusu in Congo Belgico.

8. Brevi *Cum nihil*, 1 mart. 1931, fines inter praefecturas apostolicas de Coquilhatville et de Basankusu in Congo Belgico immutantur. (*A. A. S.*, XXIII, 374).

Vicariatus apost. de Salisbury.

9. Brevi *Compertum habemus*, 3 mart. 1931, in vicariatum apostolicum erigitur praefectura apostolica de Salisbury. (*A. A. S.*, XXIII, 376).

Districtus sui iuris ecclesiasticus in Norvegia centrali, cum erecta Missione independenti conditur.

10. Brevi *Supremi Apostolatus*, 7 apr. 1931, separato territorio trium civilium provinciarum Norvegiae, quas nuncupant *Nord Trondelag*, *Sor Trondelag*, *More*, a vicariatu apostolico Norvegiae, Missio independens erigitur; atque in novum sui iuris, cui nomen Norvegia centralis, Districtum ecclesiasticum conditur. (*A. A. S.*, XXIII, 378. 430).

Districtus ecclesiasticus independens in Norvegia septentrionali.

11. Brevi *Paterna caritas*, 8 apr. 1931, territorium trium provinciarum Norvegiae septentrionalis civilium, quae *Finmark*, *Tromsö*, *Nordland* nuncupantur (inclusis quoque insulis Spitzbergensibus) a vicariatu apostolico de Norvegia seiungitur, illudque in Missionem sui iuris erigitur, atque in novum Districtum independentem ecclesiasticum Norvegiae septentrionalis evehitur. (*A. A. S.*, XXIII, 379. 431).

Vicariatus apost. de Oslo in Norvegia.

12. Brevi *Litteris Apostolicis*, 10 apr. 1931, loco de Norvegia, vicariatus apostolicus a civitate in qua Vicarius Apostolicus sedem obtinet, Vicariatus apostolicus de Oslo appellatur. (*A. A. S.*, XXIII, 432).

Praefect. apost. de Idushien in Sinis.

13. Brevi *Nobis commissum*, 16 iun. 1931, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Chefoo, praefectura apostolica de Idushien in Sinis erigitur. (*A. A. S.*, XXIII, 399).

Praefectura ap. de Sikkim in India.

14. Brevi *Litteris Apostolicis*, 16 iun. 1931, in praefecturam apostolicam erigitur Missio independens de Sikkim. (*A. A. S.*, XXIII, 400).

Missio de Weihaiwei in Sinis.

15. Brevi *Litteris Apostolicis*, 18 iun. 1931, separato territorio e vicariatu apostolico de Chefoo Missio sui iuris erigitur de Weihaiwei in Sinis. (*A. A. S.*, XXIII, 401).

Missio Trapezuntina S. C. de Prop. Fide subiecta.

16. Brevi *Quae ad christiani*, 20 iun. 1931, Missio Trapezuntina a vicariatu apostolico Constatinopolitano separatur et Sacrae Congr. de Propaganda Fide iurisdictioni subiicitur. (*A. A. S.*, XXIII, 402).

Praefectura ap. de Suchow in Sinis.

17. Brevi *Ad rei christianae,* 1 iul. 1931, seiuncto territorio a vicariatu apostolico de Nanking nova conditur praefectura apostolica de Suchow. (*A. A. S.,* XXIII, 403).

Praefectura ap. de Chuchow in Sinis.

18. Brevi *Ut ea praestemus,* 2 iul. 1931, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Ningpo in Sinis, erigitur praefectura apostolica de Chuchow. (*A. A. S.,* XXIII, 404).

S. Robertus Bellarminus Doctor Eccl. Univ. renuntiatus.

19. Brevi *Providentissimus Deus,* 17 sept. 1931, Sanctus Robertus Bellarminus, Romanae Ecclesiae Cardinalis e Societate Iesu, universalis Ecclesiae Doctor renuntiatur. (*A. A. S.,* XXIII, 433).

N. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

Templum B. M. V. « Causa nostrae laetitiae » in oppido Tongres.

1. Brevi *Decessores Nostros,* 20 febr. 1931, templum B. M. V. « Causa nostrae laetitiae » sacrum, in oppido Tongres, dioecesis Leodiensis. (*A. A. S.,* XXIII, 373).

Cathedrale templum Eborense.

2. Brevi *Sub titulo,* 9 mart. 1931, cathedrale templum Eborense, in honorem B. M. V. in caelum Assumptae dicatum. (*A. A. S.,* XXIII, 377).

Ecclesia S. Patricii Ep. ad lacum Derg.

3. Brevi *Clogheriensis dioecesis,* 16 iun. 1931, templum S. Patricio Episcopo atque Hiberniae Apostolo dicatum, ad lacum Derg intra dioecesis fines Clogheriensis. (*A. A. S.,* XXIII, 398).

20. — Suprema Cong. S. Officii

De P. Pio a Petralcina, et libro ipsi dicato.

Decreto 22 maii 1931 Sup. C. S. Officii monuit fideles, librum cui titulus: *A Padre Pio di Petralcina, l'Araldo del Signore,* scriptus ab Alberto Del Fante, esse, vi can. 1398 § 1, ipso iure prohibitum, ad normam c. 1398 § 1; atque ex superioribus actis quae promulgantur in *Acta Ap. Sedis* t. XV n. 356; t. XVI p. 368 (1), officium esse fidelium ut Patrem illum nec invisent nec commercium litterarum cum eo foveant. (*A. A. S.,* XXIII, 233).

21. — S. C. Consistorialis

Dioeceses Vicentina et Patavina.

Decreto 20 aug. 1930, commutantur inter dioeceses Vicentinam et Patavinam fines per separationem et aggregationem ut fideles ibi commorantes facile ad ecclesias paroeciales accedant. (*A. A. S.,* XXIII, 332).

Vicus Erbonne.

Decreto 6 mart. 1931, seiungitur vicus Erbonne a subiectione Admin. Apost. Luganensis et dioecesi Comensi cum omnibus incolis, unitur. (*A. A. S.,* XXIII, 334).

---

(1) Haec habentur etiam in *Per.,* XII, 82 et XIII, 157. 158.

Dioeceses Angelorum et Papantlensis. Separatio territorii; translatio sedis episcopalis; erectio cathedralis ecclesiae.

Decreto 19 iun. 1931, territorium cum suis incolis paroeciarum sub nomine Teziutlan et Huetemalco ab archidioecesi Angelorum separatur, et, mutatis finibus, dioecesi Papantlensi perpetuo adiungitur; atque a civitate Papantla in civitatem Teziutlan sedes episcopalis transfertur; necnon Ecclesia Assumptioni B. M. V. dicata in cathedralem erigitur. (*A. A. S.*, XXIII, 411).

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Designationes tribunalium appellationum.

Secundum Archiepiscoporum designationes, appellabitur ad tribunal Ordinarii Fuldensis a tribunali archiepiscopi Paderbornensis (rescr. 18 maii 1931; *A. A. S.*, XXIII, 235);

Ad tribunal Ordinarii Sinus Viridis a tribunali archiep. Milwaukiensis (rescr. 22 sept. 1931; *A. A. S.*, XXIII, 413);

Ad tribunal Ordinarii Salfordensis a tribunali archiep. Liverpolitani (rescr. 26 oct. 1931; *A. A. S.*, XXIII, 445).

22. — S. C. de Religiosis

Statuta Sororum externarum monast. Monialium.

Decreto 16 iul. 1931, Statuta pro Sororibus externis monasteriorum Monialium cuiuscumque Ordinis approbantur. (*A. A. S.*, XXIII, 380).

23. — S. C. de Propaganda Fide

Approbationes Institutorum vel Constitutionum:

Pia Soc. Parmensis S. Franc. Xaver. pro missionibus.

1. Decreto 10 febr. 1931, Constitutiones et Statuta pro missionibus *Piae Soc. Parmensis S. Francisci Xaverii*, definitive approbantur.

Fratres missionales a S. Franc. Assis.

2. Decreto 29 iun. 1931, Constitutiones Fratrum missionalium *a S. Francisco Assisiensi*, cuius domus princeps est in Mont-Poinur, archid. Bombayensis, ad septemnium approbantur.

24. — S. C. Rituum

I. *Variationes in rubricis Kalendarii, Breviarii et Missalis.*

Dies decreti.

Decreto 1 nov. 1931, promulgato in A. A. S. 9 nov. eiusdem anni, S. R. C. nonnullas praescribit variationes faciendas in rubricis Kalendarii, Breviarii et Missalis. Vix tamen in eis aliquid novi habetur cum plerumque per eas nihil aliud intendatur quam rubricarum textum aptare elevationi festi Sacratissimi Cordis ad ritum duplicem 1 classis cum octava privilegiata.

Variationes.

I. In Kalendario.

I. Et primo quidem *in Kalendario* expungendum praescribitur festum Sacratissimi Cordis. Hoc festum enim e Proprio Sanctorum translatum est ad Proprium de Tempore; festa autem mobilia huius Proprii nequaquam in Kalendario inscribuntur.

II. In rubricis Breviarii.

II. 1. Variationes *in rubricis Breviarii* fere omnes huc tendunt ut octavis privilegiatis adnumeretur octava Sacratissimi Cordis, vel ut rubricae quae hucusque legebantur post octavam Corporis Christi, v. g. de officio B. M. V. in sabbato, vel de modo ordinandi officium dominicale per annum, iam transferantur post octavam Cordis Iesu. Ceterum, fere omnes illae variationes iam antea communicatae videntur editoribus pontificalibus, cum in recentioribus Breviarii editionibus iam inveniantur.

Unum notabile.

Una tamen ex iis specialem mentionem meretur, cum aliquid vere novi nunc inducat. Ex Rubricis Generalibus Breviarii Romani (Tit. XXVIII n. 7) Responsoria Feriae II hebdomadae I post octavam Pentecostes, si in propria die impediuntur, una cum suis Lectionibus sunt reponenda. Attamen, cum iuxta *Additiones I, 4,* infra octavas privilegiatas Universalis Ecclesiae, Lectiones de *Scriptura occurrente* necessario legi debeant cum Responsoriis de ipsa octava, rubrica specialis huius Feriae sic sonabat: *Responsoria huius Feriae, si hac nocte dici non potuerint, ponuntur cum suis Lectionibus, quando hae resumendae sunt iuxta rubricas: dummodo tamen non fiat officium de octava Corporis Christi, quia tunc ponuntur in prima die post octavam, in qua Lectiones de Scriptura occurrenti legi contingat, omissis aliis Responsoriis secus recitandis.* In hac ergo rubrica nunc etiam addenda fuisset octava Cordis Iesu, quo casu Responsoria praedicta transferri deberent in Sabbato post dictam octavam. Cum autem eadem Responsoria assignata sint sequenti diei Dominicae, S. R. C. talem repositionem, sat onerosam, minus opportunam duxit et rubricam sic reformavit: *Responsoria... ponuntur cum suis Lectionibus in Feria III aut IV, si hae Lectiones in alterutra resumendae sunt iuxta Rubricas; secus omittantur.*

2. Duae praescribuntur variationes in Rubricis Breviarii, quae nullum respectum habent ad festum Sacratissimi Cordis. Et prima quidem, minoris momenti, respicit modum enuntiandi ferias maiores privilegiatas. Hucusque enumerabantur tantum, una cum Feria IV Cinerum, tres priores Feriae maioris hebdomadae, cum tres reliqui dies huius hebdomadae officium habeant 9 lectionum et ritum duplicem 1 classis. Nihilominus in posterum dicentur feriae privilegiatae omnes huius hebdomadae Feriae.

Altera, quae nobis maioris videtur momenti, etsi neque ullam mutationem secum trahit in modo recitandi officium, respicit Dominicam V octobris. Postquam in ultima dominica huius mensis fixum fuit festum Christi Regis, iam impossibile est ut umquam fiat officium de hac Dominica V octobris. Verum hucusque in Proprio de Tempore nulla umquam habebatur ratio officiorum quae in Proprio Sanctorum prostant, ut facile eruere est ex multis locis hodierni Breviarii. Sic v. g. in vesperis diei octavae Epiphaniae indicatur quidem commemoratio interdum facienda de sequenti dominica, quae in eodem Proprio prostat; de commemoratione vero S. Hilarii et S. Felicis, cum quibus semper concurrunt, sed quae habentur in Proprio Sanctorum prorsus tacetur. Sic etiam Feriae IV infra hebdomadam II post octavam Paschae ascribuntur Lectiones de Scriptura, quae tamen numquam legi possunt ob occurrens in hac Feria festum Sollemnitatis S. Ioseph. Et Feria VI post octavam Corporis Christi legebatur rubrica *Omnia ut in Ordinario et Psalterio cum Oratione Dominicae praecedentis*, etsi huic Feriae in Proprio Sanctorum inscribebatur festum Sacratissimi Cordis. Porro, abrumpens cum hac norma, praesens decretum officium Dominicae V octobris prorsus supprimit eique substituit hanc rubricam: *In Dominica occurrente a die 25 ad diem 31 octobris inclusive, recolitur Festum Domini Nostri Iesu Christi Regis, ut in Proprio Sanctorum notatur.* Nonne sic S. R. C. ostendere vult hoc festum Christi Regis esse officio Dominicae substitutum potius quam huic Dominicae assignatum, eiusque officium pertinere ad Proprium de Tempore potius quam ad Proprium Sanctorum in quod tantum ob aliquam difficultatem extrinsecam fuit insertum? Cum autem in hac Dominica incipiat historia Martyrii Machabaeorum, quae iuxta proprias normas legitur, lectiones 1 nocturni huius Dominicae, sicut lectiones duarum subsequentium feriarum reponi debent respective in Feria II, Feria III et Feria IV, et reformari debuit rubrica praecedentis Feriae V.

III. In rubricis Missalis.

III. Tandem variationes *in Rubricis Missalis* introductae sic compendiose efferri possunt:

1. Formaliter ad Missale extenditur privilegium quod in Rubricis Breviarii agnoscitur Festis Domini quae in Dominica celebrantur, ita ut horum festorum per se semper facienda sit commemoratio in Missa, etiam sollemni duplicium 1 classis et in missis votivis sollemnibus.

2. Festa Cordis Iesu et Christi Regis addenda sunt festis in quibus omittenda est Collecta Imperata quaecumque, etiam

si pro re gravi praescripta sit dicenda in ipsis duplicibus 1 classis. Sicque confirmatur quod scribebamus in his *Periodicis* (T. XVIII, p. 116) talem *Imperatam* omittendam esse in omnibus et singulis Festis Domini 1 classis primariis Universalis Ecclesiae, exceptis tantum Feriis II et III infra octavas Paschae et Pentecostes.

3. Missa de Dominica infra octavam sacratissimi Cordis celebranda est in colore albo et cum Praefatione Sacratissimi Cordis, quotiens in ea fit commemoratio octavae. Quod item confirmat quod scribebamus ibidem p. 118.

4. Tandem, feria IV Cinerum, Celebrans qui, absente alio sacerdote, sibi ipsi cineres imponit, id faciet ad altare conversus, non vero genuflexus, ut antiqua rubrica habebat; et sic haec rubrica concordat cum ea quae legitur in ultima editione typica *Memoriale Rituum.*

IOS. PAUWELS S. I.

II. *Causae beatificationis et canonizationis.*

B. Franciscus M. a Camporubeo.

1. *Ianuen.* Decretum 30 mart. 1931, reassumptionis causae canonizationis B. Francisci Mariae a Camporubeo, laici professi Ordinis Minorum Cappucinorum. (*A. A. S.*, XXIII, 340).

Ven. Stephanus Pernet.

2. *Parisien.* Decretum 30 mart. 1931, super introductionem causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Pernet, sacerdotis Piae Soc. Presbyterorum ab Assumptione et Fundatoris Instituti Parvularum Sororum ab Assumptione. (*A. A. S.*, XXIII, 341).

Ven. Francisca Xaveria Cabrini.

3. *Chicagien. et Lauden.* Decretum 30 mart. 1931, super introductionem causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Franciscae Xaveriae Cabrini, Fundatricis Instituti Sororum Missionariarum a S. Corde Iesu. (*A. A. S.*, XXIII, 344).

Ven. Glycerius Landriani.

4. *Romana seu Mediolanen.* Decretum 31 maii 1931, super virtutibus theologalibus in causa beatificationis Ven. Servi Dei Glycerii Landriani, clerici professi ex Ord. Clericorum Regul. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. (*A. A. S.*, XXIII, 347).

Ven. Catharina Labouré.

5. *Parisien.* Decretum 19 iul. 1931, super virtutibus in gradu heroico in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Catharinae Labouré e Soc. Puellarum caritatis. (*A. A. S.*, XXIII, 381).

Ven. Maria Rafols.

6. *Caesaraugustana.* Decretum 6 aug. 1931, introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Rafols, Virginis Fundatricis Instit. Caritatis a S. Anna. (*A. A. S.*, XXIII, 415).

25. — S. Congregatio Caeremonialis

Dirempta controversia inter Ordinem Melitensem et Ordinem S. Sepulcri.

Decreto 5 augusti 1931, dirimitur controversia inter S. O. M. Hierosolymitanum Melitensem et O. E. S. Sepulcri: quo statuitur huius Ordinis exinde legitima appellatio: *Ordo Equester S. Sepulcri Hierosolymitani*, atque Exc.mo Patriarchae Hierosolymitano Latino appellatio: *Rector atque Administrator Ordinis perpetuus*. eique tribuenda appellatio *Locum Tenentis* eique soli titulus *Excellentiae:* vetitis in posterum quibuscumque aliis titulis, ut *Magni Magistri* aut *Bajulivi* (vulgo *Bali*). Simul datur norma necessario sequenda, pro publica eiusdem Ordinis tituli et equestrium insignium agnitione, in iis Civitatibus quae cum Sede Apostolica coniunctionem amice fovent. (*A. A. S.*, XXIII, 385).

26. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

24 apr. 1931, R. D. Thomas Gorman, Cathedrali Ecclesiae Renensi nuper erectae in Foed. Stat. Americae Sept. — *Reno (U. S. A.)*

30 apr. 1931, R. P. Aemilius Sosa Gaona, e Soc. S. Francisci Salesii, Cathedrali Ecclesiae de Conceptione et de Chaco. — *Concepción et Chaco (Paraguay).*

5 mai. 1931, R. P. D. Attilius Adinolfi, ex ep. Triventino, Cathedrali Ecclesiae Anagninae. — *Anagni (Italia).*

9 mai. 1931, R. D. Franciscus Gardini, Cathedrali Ecclesiae Brictinoriensi. — *Bertinoro (Italia).*

16 mai. 1931, R. P. D. Marius Giardini, ex ep. tit. Edesseno, Archiepiscopali Ecclesiae Anconitanae cui adnexus est titulus Ecclesiae Numanensis. — *Ancona e Numana (Italia).*

28 mai. 1931, R. D. Dominicus Marsiglia, Archiepiscopali Ecclesiae Rossanensi. — *Rossano (Italia).*

22 iun. 1931, R. P. D. Philippus Mantinii ex ep. Bosanensi, Cathedralibus Ecclesiis Calliensi et Pergulanae. — *Cagli e Pergola (Italia).*

30 iun. 1931, R. D. Andreas Cesarano, Metropolitanae Ecclesiae Sipontinae cum perpetua administratione Ecclesiae Vestanae. — *Manfredonia e Vieste (Italia).*

30 iun. 1931, R. D. Maximilianus Massimiliani, Cathedrali Ecclesiae Mutilanae. — *Modigliana (Italia).*

3 iul. 1931, R. P. D. Thomas Kidd, ex ep. Calgariensi, Cathedrali Ecclesiae Londonensi. — *London (Canadà).*

Belem do Parà (Brasile). 10 iul. 1931, R. P. D. Antonius Lustosa, ex ep. Corumbensi, Metropolitanae Ecclesiae Belemensi de Parà.

Rennes (Francia). 21 iul. 1931, R. P. D. Renatus Mignen, ex ep. Montispessulano, Metropolitanae Ecclesiae Rhedonensi.

Aix (Francia). 28 iul. 1931, R. P. D. Emmanuel Coste, ex ep. Carcassonensi, Metropolitanae Ecclesiae Aquensi in Gallia.

Iaboticabal (Brasile). 31 iul. 1931, R. P. D. Augustinus De Assis, ex arch. tit. Berythensi, Cathedrali Ecclesiae laboticaballensi, cum titulo Archiepiscopi ad personam.

Santa Maria (Brasile). 31 iul. 1931, R. D. Antonius Reis, Cathedrali Ecclesiae Sanctae Mariae.

Santiago (Chile). 11 aug. 1931, R. D. Horatius Campillo, Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Chile.

Crato (Brasile). 11 aug. 1931, R. D. Franciscus de Assis Pires, Cathedrali Ecclesiae Cratensi.

Ascoli Satriano e Cerignola (Italia). 1 sept. 1931, R. P. Victorius a Sestri Ponente, O. F. M. Cathedralibus invicem unitis Ecclesiis Asculanae Apul. et Ceriniolensi.

Castellaneta (Italia). 1 sept. 1931, R. D. Franciscus Potenza, Cathedrali Ecclesiae Castellanetensi.

Bayeux (Francia). 12 sept. 1931, R. P. D. Franciscus Picaud, ex ep. tit. Erythraeo, Cathedrali Ecclesiae Baiocensi.

Aire (Francia). 12 sept. 1931, R. D. Clemens Mathieu, Cathedrali Ecclesiae Aturensi.

Fossombrone (Italia). 23 sept. 1931, R. D. Amedaeus Polidori, Cathedrali Ecclesiae Forosemproniensi.

Tours (Francia). 25 sept. 1931, R. P. D. Ludovicus Gaillard, ex ep. Meldensi, Metropolitanae Ecclesiae Turonensi.

Patti (Italia). 26 sept. 1931, R. D. Antonius Mantiero, Cathedrali Ecclesiae Pactensi.

Conversano (Italia). 30 sept. 1931, R. D. Dominicus Argnani, Cathedrali Ecclesiae Conversanensi.

Bosa (Italia). 30 sept. 1931, R. D. Nicolaus Frazioli, Cathedrali Ecclesiae Bosanae.

Trivento (Italia). 30 sept. 1931, R. D. Ioannes Giorgis, Cathedrali Ecclesiae Triventinae.

Viviers (Francia). 5 oct. 1931, R. D. Petrus Durieux, Cathedrali Ecclesiae Vivariensi.

Villarica (Paraguay). 19 oct. 1931, R. D. Augustinus Rodriguez, Cathedrali Ecclesiae de Villarica.

Praga (Cecoslovacchia). 22 oct. 1931, R. P. D. Carolus Kàspar, ex ep. Reginae Gradecensis, Metropolitanae Ecclesiae Pragensi.

22 oct. 1931, R. P. D. Joseph Kupka, ex ep. tit. Adraeno, Cathedrali Ecclesiae Brunensi. *Brûnn (Cecoslovacchia).*

22 oct. 1931, R. D. Mauritius Picha, Cathedrali Ecclesiae Reginae Gradecensi. *Königgrätz (Cecoslovacchia).*

22 oct. 1931, R. D. Antonius Weber, Cathedrali Ecclesiae Litomericensi. *Leitmeritz (Cecoslovacchia).*

Decretis S. Congr. de Prop. Fide nominati sunt:

6 mai. 1931, R. D. Victor Rosarius Fernandes, Cathedrali Ecclesiae Mangalorensi. *Mangalore (India).*

9 iun. 1931, R. P. Albertus Breton e Soc. Parisien. Missionum ad exteros, Cathedrali Ecclesiae de Fukuoka. *Fukuoka (Giappone).*

9 iun. 1931, R. P. Maturinus Le Ruyet, O. F. M., Cathedrali Ecclesiae Ajmerensi. *Aimere (India).*

9 iun. 1931, R. D. Martinus Fox, Cathedrali Ecclesiae Wilcanniensi. *Wilcannia (Australia).*

27. — Nominationes

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

5 apr. 1931, R. D. Joseph Chow, Vicarius Apostolicus de Paotingfu in Sinis. *Paotingfu (Cina).*

5 apr. 1931, R. D. Bonifatius Yeung, Episcopus auxiliaris Vicarii Apostolici de Canton. *Canton (Cina).*

4. mai. 1931, R. P. Aemilius Cecco, Episcopus electus Letopolitanus, Vicarius Apostolicus de Napo in Aequatore. *Napo (Equatore).*

3 iul. 1931, R. P. D. Paulus M. Dumond, Episcopus tit. Curubitanus, Vicarius Apostolicus de Nanchang. *Nanchang (Cina).*

B. *Decretis S. Congr. de Prop. Fide nominati sunt:*

17 dec. 1930, R. P. Ambrosius Pringer, O. F. M., Superior ecclesiasticus missionis sui iuris de Changtien. *Changtien (Cina).*

23 ian. 1931, R. P. Nazzarenus Iacopozzi, O. F. M., Custos Terrae Sanctae. *Palaestina (Asia).*

27 apr. 1931, R. P. Ignatius Arnoz, Superior ecclesiasticus Missionis de Bulawayo. *Bulawayo (Africa).*

5 mai. 1931, R. D. Maturinus Mailloux, Praefectus Apostolicus de Douala. *Douala (Africa Kartum.)*

22 mai 1931, R. P. Ioannes Bernardus Kevenhoerster, O. S. B., Praefectus Apostolicus Insularum Bahamas. *Isole Bahamas (Amer. centr.)*

27 mai. 1931, R. D. Aloisius Chàves, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei in Republica « El Salvador ». *Republica « El Salvador ».*

30 mai. 1931, R. P. Ioannes Damascenus Iesacher, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Yungchowfu. *Yungchowfu (Cina).*

Bikoro (Congo Belga). 27 iun. 1931, R. D. Leo Sieben, Superior ecclesiasticus Missionis de Bikoro.

Malta. 26 sept. 1931, R. D. Alfonsus Agius, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei in Melita insula.

Portogallo. 14 oct. 1931, R. D. Bernardus Cabrita, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Lusitania.

Inghilterra. 3 nov. 1931, R. D. Basilius Gudgeon, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Anglia.

28. — Necrologium

Munkacs. 26 apr. 1931, D. Petrus Gebé, episcopus Munkàciensis.

Roma. 5 mai. 1931, Em. Card. Basilius Pompilj, Episcopus Velitrnus, Urbis Vicarius et Sacrosanctae Basilicae Lateranensis Archipresbyter.

Coccino. 21 mai. 1931, D. Ioseph Benedictus Martins Ribeiro, episcopus Coccinensis.

Québec. 31 mai. 1931, Em. Card. Raymundus M. Rouleau, archiepiscopus Quebecensis.

Costantinopoli degli Armeni. 8 iun. 1931, D. Ioseph Rokossian, archiepiscopus Constantinopolitanus Armenorum.

Périgueux. 31 iul. 1931. D. Christophorus Ludovicus Légasse, episcopus Petrocoricensis.

Zamboanga. 2 aug. 1931, D. Ioseph Clos y Pagés, episcopus Zamboangensis.

Manchester. 6 aug. 1931, D. Georgius Albertus Guertin, episcopus Manchesteriensis.

Roma. 14 sept. 1931. Em. Card. Franciscus Ragonesi, Praefectus Supr. Trib. Signaturae Apostolicae.

Nottingham. 21 sept. 1931, D. Thomas Dunn, episcopus Nottinghamensis.

Vancouver. 6 oct. 1931, D. Timotheus Casey, archiepiscopus Vancuveriensis.

Cartagena. 6 oct. 1931, D. Vincentius Alonso y Salgado, episcopus Carthaginensis.

Petrolina. 28 oct. 1931, D. Antonius Malàn, episcopus Petrolinensis.

Agrigento. 2 nov. 1931, D. Bartholomaeus Lagumina, episcopus Agrigentinus.

Parma. 5 nov. 1931, D. Guidus M. Conforti, archiep. atque episcopus Parmensis.

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

Iulius de Becker (Prof. Univ. Lovaniensis) *De Matrimonio.* Vol. (16×23.5), 340 pag. Louvain, Ceuterick, 1931.

De matrimonio universim spectato - De impedimentis - De consensu matrimoniali, de eius obiecto et de vitiis eidem oppositis - De forma celebrationis matrimonii - De dispensationibus matrimonialibus - De tempore et loco celebrationis matrimonii - De matrimonii effectibus - De convalidatione matrimonii - De secundis nuptiis. - De dissolutione matrimonii. - De processu ecclesiastico in causis matrimonialibus.

P. Emmanuel Suárez (O. P.) *De remotione Parochorum.* Vol. (18×25), 359 pag. Roma, Lestini, 1931 - Venit lib. it. 32. -

Canones praeliminares. - De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium. - De modo procedendi in translatione parochorum. - De modo procedendi contra clericos non residentes. - De modo procedendi contra clericos concubinarios. - De modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem. - De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda.

Wolfgang N. Frey (O. S. B.) *The act of Religious Profession; a brief historical synopsis and commentary.* Vol. (15.5×23). VIII-174 pag. Washington, D. C., The Catholic University of America, 1931.

Part. I. Historical development. - Religious profession in general. - Early history of profession. - Development through Ecclesiastical legislation. - Roman Law and Religious profession. - Part. II. Present legislation. - Necessary qualifications of candidates. - General requirements for validity of profession. - Temporal profession. - Perpetual profession. - Disposition of property before profession. - Ceremonial and recording of profession. - Convalidation and sanation of invalid profession. - Obligatory military service and religious profession. - Death - Bed profession of novices.

P. Ioseph Jansen *Ordensrecht.* Vol. (11×17), 400 pag. Paderborn, Ferd. Schöningh, 1931.

Einleitung. - Rechtliche Stellung der religiösen Genossenschaften in der Katholischen Kirche. - Gründung und Aufhebung der religiösen Genossenschaften und ihrer Häuser. - Rechtliche Bestimmungen über das Verhältnis der religiösen Genossenschaften zu den Kirchlichen Behörden und Obrigkeiten. - Rechtliche Bestimmungen über die innere Organisation der religiösen Genossenschaften. - Rechtliche Bestimmungen über die Verfassung einer religiösen Genossenschaft. - Rechtliche Bestimmungen über die innere Verwaltung einer religiösen Genossenschaft.

Rudolf Wahl (Dr.) *Die Bedeutung des Irrtums für die kirchlichen Rechtshandlungen nach den Vorschriften des Codex Iuris Canonici.* Vol. (15×22), 97 pag. Frankfurt a M., Hess, 1931. M. 3,50.

Einleitung. - Die Aufgabe. - Der Aufbau. - Der Begriff des Irrtums. - Die Einleitungen des Irrtums - Die Rechtswirkungen des Irrtums. - Der Irrtum als Ursache des Rechtserfolges. - Der Irrtum als Voraussetung des Rechtserfolges. - Anhang.

Aloysius Trombetta. *Supplet Ecclesia seu commentarium in can. 209 Codicis Iuris Canonici.* Vol. (16.5×24.5), 27 pag. Neapoli, M. d'Auria, 1931.

Erwin von Kienitz (Dr.) *Generalvikar und Offizial auf Grund des Codex Iuris Canonici.* Vol. (16.5×24), XII-133 pag. Freiburg, Herder, 1931.

Vorwort - Quellen und Literatur - Einleitung - I Teil: Geschichtliche und dogmatische Grundlegung - II Teil: Darstellung des geltenden gemeinen Rechtes.

Evaristo Carusi. *Effetti civili dell'annullamento del matrimonio canonico preconcordatario.* Vol. (16×24), VI-82 pag. Roma, Athenaeum, 1931.

Introduzione - Premesse storico-dommatiche - Esame del quesito in astratto — Critica dell'art. 22 L. 27 maggio 1929, n. 847.

Jacques Leclercq (Abbé) *Le Retour à Jésus.* Vol. (13×19.5), 369 pag. Bruxelles, Édit. de la Cité Chrétienne, 1931.

Le christianisme est une religion - Le question de Dieu - La vision chrétienne du monde et de l'homme - Soyez parfaits - La foi - L'espérance - La charité - Quelques cimes de la vertu chrétienne.

*** *L'école des parents: L'Adolescence.* Vol. (12×19), 349 pag. Paris, Lanore, 1931. 12 frs.

Victor Hostachy (M. S.). *Les Évêques de la Salette.* Vol. (12.8×18.7), 444 pag. Paris, Desclée, 1931.

Mgr. Philibert de Bruillard (1765-1860) — Mgr. Ginoulhiac (1806-1875) - Mgr. Fava (1826-1899) - M.lle Des Brulais (1809-1896).

*** *Dominicains Missionnaires à travers le Haut Tonkin...* Vol. (13.5×18), 60 pag., Angers, P. Coail, 1931. 10 frs.

Dominicains Missionnaires - La Mission de Lang-Son.

Franz Hürth (S. I.) *Schuld und Sühne.* Vol. (14.5×17.5), 104 pag. Köln, Bachem, 1931.

Einleitung: Erklärung und Umgrenzung des Themas - Ausführung: Die verschiedenen Phasen des Schuldweges vom psychologischen Standpunkt betrachtet - Der Zustand der Noch-nicht-Schuld - Der Schuld-Vollzug - Der Schuld-Zustand - Die Schuld-Lösung - Sühne und Strafe - Schluss.

O. Picard. *Délinquants anormaux et récidivistes.* Vol. (12×19), 128 pag. Bruxelles, A. Dewit, 1931.

Délinquants anormaux - La mise en observation - L'internement - Les commissions - Durée de l'internement et mise en libérté des internés - Internement des condamnés au cours de leur peine - Récidivistes et délinquants d'habitude - Dispositions générales et régime transitoire.

Henry Davis (S. I.) *State Sterilization of the unfit.* Vol. (12.3×18,5), XV-78 pag. London, Burns-Oates, 1931.

Why the Question arises - Some Causes of Mental Deficiency and Its Incidence - Eugenic Sterilization in the Laws of the United States and their Enforcement - Segregation of the Defective - The General Catholic Opinion on State Sterilization of the Unfit - Two Alleged Reasons in Favour of Sterilization - A Modern Defence of Sterilization Criticized - The Alternative to Sterilization - Appendix: The Legal Aspect of Sterilization.

Hérédité et Races. Vol. (13×20), XI-278 pag. Iuvisy, Les Éditions du cerf. 15 frs.

Létard. L'Hérédité. Mécanisme de l'hérédité mendelienne - **Cuénot.** L'Hérédité des caractères acquis - **Mac-Auliffe.** Hérédité et pathologie - **Léonet.** Hérédité et psychologie - **Petit.** Hérédité et sociologie - **Valensin.** Hérédité et morale - **Mayet.** Races humaines préhistoriques et actuelles - **Constantin.** Le problème biologique et psychologique des races - **Philip.** Le problème social des races. Racisme. Gobinisme - **Monchanin.** L'espèce humaine. Essai de synthèse.

Ch. Louwers (S. I.) *Missionnaire.* Vol. (12×19), 88 pag. Paris 1930.

Les aspects crucifiants et les aspects ennoblissants de la vie de missionnaire - L'enthousiasme dans l'oeuvre des mis-

sions - L'influence des missionnaires dans le monde. - Son apostolat muet - Un départ de missionnaires - Conclusion.

E. Laveille (S. I.) *L'âme d'un Prêtre.* Vol. (12×19), VII-276 pag. Paris, Téqui, 1931, 12 frs.

Notice biographique - Comment je devins prêtre - La ferme du Val Saint-Père - Le collège d'Avranches - Le grand séminaire de Coutances - Méditations et Prières - Lettres - Pensées - Allocutions et Mandements - L'amitié de Jésus - La mort - Prêtre et Victime - Sacrifices et joies du prêtre - La présentation de Notre-Seigneur au Temple - Devoirs des fidèles envers le clergé - Foi et Patriotisme - Septième anniversaire de la 1e Victoire de la Marne - Discours de Mariage - Donnez-nous des prêtres!

M. Lepin (Prof.) *L'Évangile de N. S. Iésus-Christ.* Vol. (10×16), 295 pag., Saint-Étienne, Dumas, 1931 ; traduit sur le grec, présenté suivant un ordre chronologique et logique, avec introductions et annotations.

Lucien Chambat. *La Royauté du Christ selon la doctrine catholique.* Vol. (13.5×20), XV-74 pag. Paris, Tequi, 1931.

Fondements et nature de la Royauté du Christ - Notre sujétion au Christ-Roi dans l'ordre intellectuel et moral - Notre sujétion au Christ - Roi dans la vie familiale et les associations privées - Notre sujétion au Christ - Roi dans la vie politique - Conclusion - Ligue universelle du Christ - Roi.

Paul De Jaegher (S. I.) *Confiance.* 2 Vol. (12.3×19), Louvain, Museum Lessianum, 1931. Tome Premier: 305 pag.

Nature de la confiance - Avantages de la confiance - Vraie et fausse confiance - Jésus, Docteur de la confiance - Jésus crucifié et la confiance - Jésus-Eucharistie et la confiance - Jésus, Verbe Divin, Hôte permanent du coeur - Jésus vivant dans l'âme identifiée à Lui - Le Coeur de Jésus et la confiance - Jésus, notre divin Suffisant dans l'Eucharistie - Jésus divin Suffisant des ames qui s'identifient à Lui - Les perfections divines et la confiance - L'Amour miséricordieux de Dieu - Je suis le poème d'amour de Dieu et de Jésus.

Tome second: 314 pag. - Confiance dans la désolation - Confiance dans les nuits - Confiance dans les tentations - Confiance dans nos fautes - Confiance dans notre impuissance - L'amour divin travaille inlassablement à notre sainteté - Confiance en Marie - Marie et l'âme identifiée à Jésus - Sainte Thérèse de l'Enfant-Jésus et la confiance.

**** Carthage 1930 - Actes et Documents XXXème Congrès*

Eucharistique International. Vol. (18.5×27.5), 556 pag. Tunis, La Tunisie Catholique, 1931.

Avant le Congrès: Indiction du Congrès - Préparation par la presse - Préparation spirituelle - Préparation matérielle - A la veille des grands jours - Durant le Congrès: Les Personnages - Télégrammes et Messages - Séance d'ouverture - Paroles du Légat - Assemblées générales et solennelles - Réunions sacerdotales - Section orientale - Sections nationales - Après le Congrès: Récits et Tableaux d'ensemble - Impressions et commentaires - Indications bibliographiques.

Fonds National de la Recherche Scientifique Quatrième Rapport Annuel, 1930-1931. Vol. (16×24.5), 205 pag. Bruxelles, 1931.

Conseil d'Administration, Bureau, Direction, etc. - Situation Financière - Subsides - Activités diverses du Fonds National - Modifications apportées au Règlement organique du Fonds National - Liste des travaux publiés pendant l'année académique 1930-1931 par les titulaires d'un prix quinquennal ou décennal du Gouvernement - Liste des travaux publiés pendant l'année académique 1930-1931 par les personnalités ayant bénéficié d'un subside du Fonds National pendant les exercices 1929-1930 ou 1930-1931.

Enrique Sparn. *Las Sociedades Cientificas, Literarias y Técnicas del mundo con más de 1000 miembros.* Vol. (16.5×25.5), 74 pag. Cordoba, Academia Nacional de Ciencias, 1931.

*** *Ordo Divini Officii recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Universalis Ecclesiae pro anno Domini 1932.* Vol. (10.5×16.5) 160 pag., Romae, Libreria Vaticana, 1931. Venit lib. 2.50.

Ex Periodicis

Apollinaris 1931. — CANESTRI. De iure educandi liberos parentibus reservato in ordinem ad universum systema Ethices catholicae. — ROBERTI. Quaenam poenae applicari possint per modum praecepti. — TEODORI. Sigillum sacramentale.

The Clergy Review 1931. — LEWIS WATT (S. I.) Economic principles and social practice. — RICHARD L. SMITH The Treason of the english Martyrs. — ARTHUR VILLIERS « Men of Little Showing ». — GEORGE J. MAC GILLIVRAY (M. A.) Nestorians and Chaldaeans in Modern Times. — A. H. RYAN (D. D.) Ephesus. — CHRISTOPHER DAWSON Scholasticism and the origins of the European scientific tradition. — FR. ALPHONSUS BONNAR (O. F. M.) The English Franciscans and Jansenism.

— ALBERT SLEUMER (Dr.) Christ in the Koran. — CUTHBERT LATTEY (S. I.) The true Paulinism. — IOS. MCKENNA (P. P.) The apostolic blessing with plenary indulgence in articulo mortis. — M. de MUNNYNCK (O. P.) Right of private ownership. — T. E. FLYNN. The Priest's Life in Its Environment to-day.

Collationes Brugenses 1931. — V. COUCKE. Casus de matrimonio et baptismo. - De obligationibus matrimonii. — A. LEGRAND. De illusionibus diaboli in vita piorum - De qualitatibus directionis spiritualis. — ST. WILLEMS. Quinam dispensare possunt in lege ieiunii et abstinentiae - De causa requisita ad validitatem huius dispensationis - Solvitur difficultas contra legem ieiunii mota ex ipsius legis impossibilitate; et mota ex legis desuetudine. — Excell. Rev. GUSTAVO G. WAFFELAERT. Compendiosum programma vitae mysticae.

Collationes Gandavenses 1931. — F. CLAEYS BOÚÚAERT. De potestate dispensativa quam habet episcopus super impedimentis matrimonialibus, in ordine ad contrahenda matrimonia - Quid censendum de nova quadam methodo impraegnationem vitandi? - Comparatur concordatum Italicum cum aliis concordatis a Pio XI initis. — V. MANNAERT. De reconciliatione haereticorum - De charitate, amicitia hominis ad Deum. — F. BLATON. Proprietates actus humani - De animae passionibus psychologice. — L. DE KESEL. Kalendarium iuxta quod officium divinum est persolvendum - De vigiliis festorum.

Collationes Namurcenses 1931. — A. CHARUE. Le Triomphe du Grand Délaissé - La merveillense génération de Jésus — F. QUESTIAUX. Filioque - Le transformisme — E. RANWEZ. De lege abstinentiae - L'envie - Publicité pernicieuse - De certitudine fidei — A. COLLART. De Eucharistia a parocho ministranda — E. VOOSEN. Canossa.

Collationes Tornacenses 1931. — L. CHEVALIER. Les origines du petit Séminaire de Bonne-Espérance — F. GRÉGOIRE. Le préjugé en histoire comparée des religions. Un spécimen — *** De prolis limitatione - L'humilité - De iure parochorum ad praestationes - La chorée épidémique de 1374 - De abolitionismo - La douceur - De libris parochialibus - Les danses macabres - Materia proxima sacramenti paenitentiae - De orationibus in missa — A. FAUX. La Mère de Dieu: Éphèse (431) — X. NASSAUX. La période d'agenèse chez la femme — L. CERFAUX. Comment S. Paul jugeait son temps — L. DELMOTTE. A propos des béatitudes.

Collectanea Mechliniensia 1931. — C. DE BLOCK. La méthode de l'histoire comparée des religions dans les études bibliques —

A. GOUGNARD. De fidei necessitate medii - De veritatibus necessitate medii credendis — A. CROEGAERT. De functionibus in triduo sacro — H. APPELMANS. Les associations sans but lucratif — B. LAMOT. Moderne Vraagstukken — R. KOTHEN. Les Toximanes — I. DE IONGE. L'oraison selon Saint François de Sales - La méditation selon Saint Ignace — E. LECLEF. La controverse du Prayer Book — A. VAN HOVE. De vaststelling der werkelijkheid van het mirakel.

Commentarium pro religiosis 1931. — S. GOYENECHE. Quid potest Visitator in visitatione interrogare habita ratione can. 618, § 2, 2° et an possit confessiones visitatorum audire. - An valeat Religiosa votorum simplicium et Monialis reiicere legatum vel hereditatem sibi obvenientia - An Soror restitutionem ad quam tenetur vi can. 536, § 3 ex proprio patrimonio, sine ulla licentia facere possit non obstantibus can. 569 et 583. — A. PEINADOR. Quaestiones Iuridicae-morales de statu religioso. — A. LARRAONA. Commentarium Codicis: Can. 527-531. — Quaestiones canonicae circa rescriptum saecularizationis et incardinationem saecularizati. — P. MAROTO. Studium in Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » de Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum.

Il Diritto Ecclesiastico 1931. — COST. JANNACCONE. Il concorso di competenza dello Stato e della Chiesa in Italia nel regolamento giuridico dei rapporti patrimoniali degli enti ecclesiastici. — L. CORNAGGIA MEDICI. L'impotenza a generare si può proporre come causa di annullamento del matrimonio? — LUIGI CAPALTI. Il matrimonio religioso susseguente alla celebrazione civile nel sistema concordatario italiano.

Ephemerides Liturgicae 1931. — P. DE PUNIET. Préfaces de Carême du Sacramentaire Phillipps. — J. A. IUNGMANN. — Der Begriff « Sensus » in frühmittelalterlichen Rubriken. — J. JEANNIN. La Séquence « Sancti Spiritus » dans les manuscrits rythmiques grégoriens. — P. SALMON. Les protocoles des Oraisons du Missel Romain. — ACADEMICUS. De S. Comunionis distributione — De Collectis in Missa. — P. BROWE. Die nuechternheit vor der Messe und Kommunion im Mittelalter. — P. BATTISTINI. De utroque « Memento » in Missa. — A. PALADINI. De imperfecta consecratio reparanda.

Estudios Eclesiasticos 1931. — MADOZ I. El Concilio de Efeso ejemplo de argumentación patristica. — BOVER I. M. La Mariologia en las odas de Salomón. — PUIG DE LA BELLACASA I. Boletin de Teologia especulativa: La esencia del Sacrificio de la Misa.

Gregorianum 1931. — C. SILVA-TAROUCA. Nuovi studi sulle antiche lettere dei Papi (2 pars) — F. PELSTER. Zum Problem der Summa des Alexander von Hales — V. CATHREIN. Quo sensu secundum S. Thomam ratio sit regula bonitatis voluntatis — H. LENNERZ. Ex Schola Scoti ? — L. LOHN. E theologia dogmatica orientali (Janin, Panlowski, Jugie) — A. VERMEERSCH. De morali theologia (Mausbach, Deelen, Claeys Boüüaert et Simenon, Salmon)

Ius Pontificium 1931. — P. BASTIEN. De evolutione historico-iuridica processus dimissionis religiosorum. — A. BOUDINHON. De impedimento criminis ex fide data. — M. WYSZYNSKI. Utrum metus indirecte incussus dirimere possit matrimonium. — P. GILLET. De censura librorum. — A. VERCAUTEREN. Iterum de natura potestatis Vicarii Delegati in terris Missionum. — R. SOUAIN. De presbytero orientali, Confirmationis ministro. — I. STOCCHIERO. De iurisdictione vicariorum paroecialium.

Benediktinische Monatschrift 1931. — P. FIDELIS BÖSER. Der Kultcharakter des gregorianischen Chorals. — P. STEPHAN SCHMUTZ. Dogma und Leben. — P. BASILIUS STEIDLE. Was heisst christozentrisch? — P. WILLIBRORD VERKADE. Demut. — P. DOMINIKUS IOHNER. Soll man den gregorianischen Choral mit der Orgel begleiten und wie? — P. IOH. SCHILDENBERGER. Das Alte Testament in der Liturgie Zwei Gebete. — P. HILDEBRAND HÖPFL. Von der Freiheit der Kinder Gottes; Rechtskirche oder Liebeskirche? — P. ADELHARD KASPAR. Das katholische London.

Il Monitore Ecclesiastico 1931. — *** Di diritti di un parroco di collegiata. - Prolegomeni alla Codificazione del diritto canonico orientale - Sugli obblighi dei mansionari quanto alla Messa conventuale - Su l'impedimento « criminis cum fide data » - La nuova legge universitaria della Chiesa - Su la simulazione di contratto e su l'obbligo di compenso per migliorie - Su l'obbligazione derivante da voto promissorio - Le Suore esterne nei monasteri di clausura - Su la proprietà delle reliquie sacre.

Perfice Munus 1931. — E. NADDEO (O. S. B.) I cooperatori nell'Apostolato - Cura dei fanciulli. — P. MATTEO DA CORONATA (O. M. Cap.) La clausura delle Monache e l'obbligo della Messa festiva - Circa la portio paroecialis - Uso di vesti particolari e diritto di precedenza fra i Terz'Ordini - Parroco e chiese di regolari - Applicazione di Messa festiva. — G. ROSSI (Sac.) L'istituto del Matrimonio in Italia dopo il Concordato

Lateranense. — *** Ludi religiosi. Quello che si fa altrove - Le Missioni Cattoliche in Cina - Missioni, Celibato, Indifferentismo - La propaganda protestante in Italia - Per la visita pastorale - Liturgia e arte sacra. - Imposizione di nomi ai neonati - Intorno alla recita del Divino Ufficio - La più recente statistica delle Religioni in India - La morale cristiana negli affari. — D. B. CASELLI. Le origini dell' opera della Propagazione della Fede. — ROMUALDO PASTÈ. La S. Liturgia quando concerne il soggetto della SS. Eucaristia - Se si debbano ritenere consecrati i frammenti di particola. — ANDREA GENNARO. De Iuribus in futuram hereditatem - De usufructu et de praescriptione - Consacrazione extra Missam per amministrare il Viatico - Impiego di danaro altrui in speculazioni redditizie. — GIUSEPPE STOCCHIERO. I delitti contro la religione nel nuovo Codice Penale Italiano. — ANDREA BOFFA (Rag.) In margine alla crisi mondiale. — FR. DE SANTA (Mgr.) Uno sguardo all' Enciclica « quadragesimo anno » - Interessante problema economico-sociale. — F. INVREA (Avv.) L'impotentia generandi nel Diritto Matrimoniale Canonico. — VAUDAGNOTTI (Prof.) Piccolo dizionario: La SS. Eucaristia - Eternità delle pene dell' inferno. — PAGAN (Can.) Frammenti Eucaristici. — M. PISTOCCHI. Il giuramento nel nuovo Diritto Penale Italiano. — GIOVANNI LARDONE (Can.) Binazione per impegno di Sepoltura.

Palestra del Clero 1931. — PASQUALE VITO. La riserva dei benefici - Norme da osservarsi per impetrare dalla S. Sede la collazione di benefizi - Rivendicazione di beni incamerati - La celebrazione dei matrimoni negli Oratori di congregazione religiosa e diritti del parroco proprio - Diritto patronato popolare - L' esame dei contraenti e il vicario foraneo - Funzioni religiose nelle chiese di Confraternite - La predicazione del parroco in chiese del suo territorio - Elezione della chiesa funerante - La dispensa dai voti e la inabilità « ad aliqua officia vel beneficia » - Patto simoniaco in riserva di pensione - Supplenza delle dignità a funzioni pontificali mancate - Il Parroco e l'orario delle messe in altre chiese del suo territorio. — P. MATTEO DA CORONATA (O. M. Cap.) Prelevamento del 20 % dai legati e Messe manuali « pro utensilibus » - Officiatura per chi non ebbe sepoltura ecclesiastica - Il confessore ordinario delle religiose e i canoni 520 § 1 e 876 - Sulla via da percorrere nei funerali e nelle processioni - Chiese parocchiali e chiese di confraternite - Precedenza dei Capitoli nei funerali - Varie questioni sulla sanazione in radice di un matrimonio. — STOCCHIERO GIUSEPPE. Tra i nostri due nuovi Codici pe-

nali: Delitti, contravvenzioni e mezzi preventivi - Uso dei mezzi preventivi contro il delitto. — ARGEO MANCINI. Di un caso tipico e delle condizioni risolutive nella professione religiosa - Sigillo di confessione - Sulla povertà religiosa da professione semplice. — GIULIO MONETTI (S. I.) La crisi spirituale della proprietà del latifondo - Dei monopoli - Del penoso fenomeno del « caroviveri » - La questione dei funzionari e impiegati - Un dubbio sulla condanna della « scuola neutra » - Uno scrupolo circa il concetto di proprietà. — *** Bel disegno di profonda penetrazione cattolica in ambiente tristamente laico - L'azione civilizzatrice del cristianesimo - L'apostolato tra le persone di servizio. — Gr. BUTTIGNONI (Mgr.) Assistenza ad un moribondo, di cui il can. 2388 § 1 - Dubbi di coscienza di un sacerdote - Funerali di cristiani non praticanti - Quattro parole alla buona sulle doti di un buon confessore - Condizioni per la valida celebrazione del matrimonio - La dottrina necessaria al Confessore. — DANTE COLOMBINI. Da quando?.... la rappresentanza del beneficio. - Il matrimonio di un minorenne senza il consenso dei genitori ma con quello dell'Ordinario. — LUIGI R. BARIN. Sacerdote di rito particolare in chiesa di rito romano e viceversa - Funerali nei giorni in cui è vietata dal rito la Messa esequiale - Della materia e forma della cotta - Delle Messe da celebrate ex stipe pro Animabus - Del Vicario delle Religiose - Ancora delle Feste impedienti le essequie. — G. FAGIOLI. Il nuovo testo unico delle Leggi di P. S. nei suoi rapporti col Clero. — Fra GIROLAMO DA FELLETTE (O. M. Capp.) Circa la soluzione di un caso nella consacrazione - Stato attuale degli studi riguardo al Sacrificio della Messa. — GIOVANNI VERLA (Can.) A proposito di confessioni. — ANGELO GRAZIOLI (Mgr.) Censura e licenza nelle pubblicazioni dei sacerdoti. — FRANCO FRANCHI. Sposo ingannato che non può sposare nessuna. — ATTILIO GAGLIO. I vizi capitali sono sette o otto? - La ricerca della pace. — NICOLA FANELLI (Mgr.) Chiesa funerante - Suono delle campane.

Pastor bonus 1931. — WEILER (Dr.) Empiriche Untersuchungen zu dem Problem: Gebundenes und freies Gebet. — WEHR (Dr.) Am Sterbebett eines in ungültiger Mischehe lebenden Katholiken - Eine neue Gesetzgebung für die kirchlichen Universitäten und Hochschulen - Berufsprüfung der Priesteramtskandidaten vor Erteilung der Weihen (Instruktion der Sakramentenkongregation). — P. PAAS (M. A.) Die Katholische Mission im dunklen Erdteil - Die deutschen Missionsfelder. — IOSEF LENZ (Dr.) Bedeutung Katholischer Philosophie in der

Gegenwart. — CHARDON (Dr.) Katholische Aktion und katholische Iugend. — DIONYS SIEDLER (M. A.) Der hl. Thomas von Aquin und die Mohammedanermission. — RUDOLF SMETS. Die Theorie von der « fakultativen Sterilität » der Frau. - Ihre biologischen Grundlagen, moraltheologische Beurteilung und praktische Verwertbarkeit. — PFARRER P. WIEGAND. Religiös - ethische und wirtschaftlich - materielle Vorbedingungen zum Priestertum. — DECHANT HOMSCHEID. Ein Ehekasus.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1931. — ALBERT SCHMITT. Um das Leben der Ungeborenen. — KARL SUDBRACK (S. I.) Schule und Frühkommunion. — FRANZ X. BÖHM. Das Recht der Revolution. — B. VAN ACKEN (S. I.) Teilnahme am heiligen Messopfer. — P. GERARD OESTERLE (O. S. B.) Die Beichtpflicht des zelebrierenden Priesters nach Can. 807 - Ehekrisis und Ehekritik im Lichte der päpstlichen Enzyklika vom 31 Dezember 1930 - Applikation der heiligen Messe für Andersgläubige. — JOSEF GROSAM (Dr.) Lehren der Enzyklika « Casti Connubii » über Sterilisation und Eugenik. — I. HARING (Dr.) Wer ist Akatholik im Sinne des kanonischen Rechtes? - Ist die Gültigkeit der Dispensation vom Willen dispensiert zu werden, abhängig? - Ein vom Advokaten beeinflusster defensor vinculi. — P. HERIBERT JONE (O. M. Cap.) Subdelegation für die Eheassistenz. — AUGUST BLODERER (Dr.) Erlaubtheit der Bination nach Bruch des ieiunium naturale.

Resena eclesiástica 1931. — ALFONS M.e RIBÓ. L'Enciclica de Pius XI sobre el Matrimoni. — IOSÉ SANABRE. Los Sinodos Diocesanos en Barcelona. — IOSÉ M.e BOVER (S. I.) Iesucristo. — *** Las fábulas del libelo « Monita secreta ». — IOSEP TARRÉ. Pius XI i el Feixisme.

Revue de l'Aucam 1931. — TH. DE CATER. Les dangers de la vie coloniale. — I. FRANSSEN. Dénatalité et relâchement des moeurs. - Justice coutumière congolaise. — P. CHARLES. A l'Institut colonial international. — H. CARTON. La signification de la participation belge à l'exposition coloniale de Vincennes. — A. HUBLOU. Srimati Rameshwari Wehru. — L. VAN DER ESSEN. Colonisation et missions en conflit au Vénézuéla au XVIe siècle. — CH. VRITHOFF. De l'hindouisme au catholicisme: la conversion de Balasabramania Aiyer. — P. LADEUZE. L'Aucam et les étudiants. — RAMESHWARI NEHRU. La femme hindoue. — F. FALLON. La domestication des éléphants au Congo belge. — FERNAND DE SAN. La lecture, nourriture de l'esprit et baume guérisseur. — I. VANHOVE. La leçon de Vincennes. — OLIVIER DE BOUVEIGNES. Le caméléon (conte nègre).

Revue des communautés religieuses 1931. — E. BERGH (S. I.) Messe et communion. — R. BROUILLARD (S. I.) Les âges de la vie religieuse. — É JOMBART (S. I.) Voeu de victime. - La visite canonique de l'Ordinaire du lieu. — I. CREUSEN (S. I.) Pratiques superstitieuses. - L'âge de la confirmation. - Statuts des Soeurs Tourières.

Revue Ecclésiastique de Liége 1931. — I. KISELSTEIN. L'eugénique - De remissione peccati venialis in S. Poenitentia - Contritio requisita in Sacramento Poenitentiae ad remissionem venialium - De absolutione sacramentali cum iurisdictione dubia. — A. MEUNIER. De subiecto virtutis naturalis - De donis intellectus, sapientiae et scientiae. — A. POSTELMANS. De Feria VI in Parasceve - Potestas legislativa, iudiciaria et doctrinalis episcopi residentialis. — H. RONGY. L'application de l'Apocalypse à l'histoire universelle de l'Église. — G. PHILIPS. De Visione beatifica et Unione hypostatica. — I. VIEUJEAN. L'âme de Luther - Catholiques et ecclésiastiques francs-maçons au XVIII siècle - Les explications psychologiques de l'origine de la religion. — IOS. RAPPE. De deux méthodes de méditation.

Nouvelle Revue Théologique 1931. — DOUGLAS CARTER. Le mouvement religieux en Angleterre. — A. HANIN (S. I.) Quelques aspects caractéristiques de la musique d'église. — F. HÜRTH (S. I.) De sterilitate physiologica. — J. DE GHELLINCK (S. I.) La Nouvelle Constitution sur les Études. — JOS. PAUWELS (S. I.) Consultations liturgiques.

Nederlandsche Katholieke Stemmen 1931. — I. M. DREHMANNS (C. ss. R.) Missieoversten en Religieuzen - Huwelijken van andersdenkenden. — A. C. M. SCHAEPMAN. De quibusdam examinibus clericalibus. — H. BRIJERSBERGEN (S. I.) Over den vollen afl. verbonden aan het bidden van de H. Getijden coram SS.mo Sacramento - Disparitas cultus - Verklaring. — P. DAMASUS (O. M. Cap.) Mogelijke fouten in de R. K. Meisjesbeweging. — S. L. JANSEN (C. ss. R.) De substantieele vruchten der H. Communie. — B. HAANAPPEL (C. ss. R.) Beati mundo corde. — *** Afloop eener tijdelijke professie - « Onze Misdienaars » - Toelichting. — F. A. SCHWEIGMAN (O. P.) De Kerkvaders en de theorie van het oorspronkelijk communisme. — C. DAMEN (C. ss. R.) De constitutie « Deus scientiarum Dominus » over de hoogere kerkelijke Studiën.

PARS ALTERA

MONUMENTA

29. — SS. D. N. Pius PP. XI

Litterae decretales " In thesauris „ 16 dec. 1931

SANCTI ALBERTI MAGNI O. P. CONFESSORIS PONTIFICIS CULTUS UNIVERSAE PRAECIPITUR ECCLESIAE, ADDITO DOCTORIS TITULO.

(A. A. S., 20 ian. 1932, XXIV, 5).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laus Sapientiae.

« **In thesauris** sapientiae intellectus et scientiae religiositas » (1) habentur. Qua re et Salomon illuminatis verbis profundissimam exhibet rationem, qua a Deo ipse sapientiae possessionem petierit (2), quia nempe sapientia ipsa intime animum cum Deo coniungit, bonaque universa superat iisque antecellit. Ampliore adhuc prorsus et clariore modo ex hac unione vitae perfectioris simulque sapientiae studii corda fidelium sursum eriguntur, utpote qui « instructi in caritate et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi » (3).

Ideo, quo quis magis per sapientiam ad Deum graditur, eo altius spiritus dominium evehit in se; sapientia « doctrix enim est disciplinae Dei, et electrix operum illius » (4). Divinae autem Sapientiae exemplari homo eo propius accedit quo magis et vivendi et agendi Salvatoris exemplum imitatur, enun-

(1) *Eccli.*, I, 26.
(2) *Sap.*, VIII, 2.
(3) *Coloss.*, II, 2-3.
(4) *Sap.*, VIII, 4.

ciantis: « Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum » (1).

Laus Alberti Magni.

Haec quidem Domini Nostri Iesu Christi vestigia persequens, praeclarissima gloria effulsit Albertus ille, Ordinis Praedicatorum alumnus, in theologia magister, episcopus quondam Ratisbonensis, qui, vitae contemplativae atque activae rationes miro modo consocians, aetatis suae hominibus posterisque vere magnus apparuit, sicut quoque ob doctrinae eminentiam ac multiplicem rerum omnium peritiam Magni cognomento insignitus est.

Curriculum vitae. Praeclara merita scientiae et virtutis.

Is quidem, saeculo decimo secundo exeunte, Lauingae in Suevia, in Augustana dioecesi, ex familia militaribus rebus addicta, ortum habuit. E patriae solo perficiendorum studiorum causa discedens, in Italiam profectus est, ut Patavii in liberales disciplinas, medicinam ac scientias naturales sedulo incumberet. Ibi et nascentem Fratrum Praedicatorum Ordinem cognovit et adamavit, quem, avunculi sui devicta reluctantia, hortante Beato Iordano de Saxonia, eiusdem Ordinis Magistro generali et fervidissimo Iesu Christi praecone, amplexus est, ac inter Sancti Dominici filios adscriptus. In omnibus Deo deditus atque tenera erga Beatissimam Virginem devotione emicans, Albertus mox Coloniam Agrippinam ad explenda theologica studia missus est. Quo tempore animi puritati ingenioque excolendo, de virtute in virtutem proficiens, quasi *gigas ad currendam viam* impense vacabat. Oratione studium mature praeveniendo, intellectum totamque vitae consuetudinem ita disposuit, ut, ad praedicationem atque animarum salutem, apostolicae Fratrum Praedicatorum religionis membrum idoneum fieret. Igitur ad fores sapientiae excubans, ita inter aequales excelluit, ut omnium saecularium scientiarum vertices facillime apprehenderet et « de divinae legis fonte adeo salutiferae fluenta doctrinae potaret, quod eiusdem in suo pectore vigeret plenitudo », prout Praedecessor Noster Alexander IV de eo asserere non dubitavit.

Sacerdotio auctus, ut contemplationis et scientiarum lumina ac thesauros aliis traderet, Albertus lector Hildeshemii, Friburgi, Ratisbonae, Argentorati primum constitutus est. Incredibilem mox ubique terrarum existimationem sibi comparavit, cum in inclita Parisiensi Universitate sacrae facultatis cathedram summo plausu teneret et theologiae magisterio ornaretur. Deinde iuvenum ingenia instituere Albertus Coloniae prosecutus

(1) Matth., V, 19.

est, ubi Superiorum iussu Studium generale sui Ordinis condidit et est moderatus.

Tunc temporis inter plurimos alios celebres celeberrimum habuit discipulum Thomam Aquinatem, cuius praeclarissimum ingenium ipse primus perspexit ac praedicavit, eidemque per totam vitam amicissime in sanctitatis studiorumque aemulatione iunctus perstitit; ipsiusque, iam e vivis erepti, doctrinae puritatem strenue defendit, ac mentis altitudinem merito celebravit.

Cum insuper prudentiae atque iustitiae virtutibus Albertus apud omnes inclaruerit, mirum non est, quod saepe saepius ipse arbiter in publicis privatisque quaestionibus ac contentionibus delectus fuerit, quas rectissimo semper aequitatis sensu eximiaque dexteritate et fortitudine composuit. Eius autem mirabilis in rebus gerendis alacritas, religiosae observantiae cultui atque christianae perfectionis amori coniuncta, causa fuit, cur Fratres Praedicatores Germaniae in capitulo provinciali, in urbe Wormatiensi congregati, in eo spem collocantes, Albertum priorem provincialem votis suis designarent.

Optime noverant Patres capitulares, saeculi vanitatem ob rerum temporumque adiuncta, vel apud claustrales viros sensim aliquando irrepsisse, ita ut ad eos in perfecta vita servandos regimine opus esset viri corde sancti, firma voluntate, prudenti consilio, omnigena virtute praediti. Spes eos non fefellit. Albertus namque indefessam et uberrimam dedit operam, ut officio prioris Teutoniae provinciae, quae ab oris Flandriae per Germaniam ad Poloniam usque et Hungariam latissime patebat, studiosissime fungeretur: et non modo coenobia saepe perlustrare, verum et comitia celebrare solebat, ut exemplo quidem suo et voce ad virtutis et regularis observantiae viam sequendam suis subditis stimulos iniiceret, sublime imitatus Divini Magistri exemplum, qui « coepit facere et docere » (1).

Beatissimi viri Alberti in rebus gerendis prudentia eiusque in civilibus negotiis peritia et doctrinae ac sanctitatis fama ad ipsos Romanos Pontifices pervenerunt, qui gravia atque praestantia officia eidem committere non dubitarunt.

Illud speciali mentione dignum, quod ab Alexandro IV Papa ipsi Alberto, provinciali Priori, demandatum est, ut una cum confratribus viriliter in catholicae religionis defensionem ac propagationem inter Livoniae ac Borussiae paganos auxilium praestaret. Et alia quidem munia idem Alexander in regione Brandenburgensi ipsi concredidit.

---

(1) *Act. Apost.*, I, 2.

Cum autem is, ab Ordine suo deputatus, religiosorum mendicantium causam simulque Apostolicae Sedis iura vindicare deberet, ad Curiam Pontificiam, tunc Anagniae commorantem, profectus est, ubi in consistorio adversariorum impetum retudit atque tam fulgenti doctrina animos commovit, ut non solum, Pontificis praecepto obsecundans, publica disputatione Averroistarum errores profligaverit, sed etiam in Curiae Pontificiae schola evangelium secundum Ioannem lucidissime explanaverit. Memoriam etiam mirae suae eruditionis et fulgidissimae virtutis tantam Albertus in Curia ipsa Romana reliquit, ut idem Summus Pontifex Alexander IV, cum Ecclesiae Ratisbonensi, in spiritualibus et temporalibus tunc multipliciter deformatae, pastor novus praeponendus esset, Albertum Magnum selegerit, qui commissum sibi gregem doctrina et exemplo pasceret et regeret et episcopalem sedem aere alieno gravatam sublevaret.

In episcopali dignitate consistens, Albertus paupertatem eo libentius servavit, quo eam ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam moresque reformandos efficacissimam agnosceret. Inexhausto studii amore et contemplationis prorsus retento, sanctus praesul vel in vitiis exstirpandis indefessus, in collapsis moribus erigendis sedulus, in componendis dissensionibus discretus, in administrandis Sacramentis diligentissimus, a scriptione sacra non destitit, ita ut pari tempore doctrinam promoveret simulque credito sibi gregi prospiceret. Episcopatus Ratisbonensis abdicatione, quam ab Urbano Pp. IV efflagitaverat, obtenta, ad ipsius Summi Pontificis nutum, suam navavit operam moxque *Apostolicae Sedis auctoritate Crucis praedicator per Alemanniam et Bohemiam pro subsidiis Terrae Sanctae* corrogandis renuntiatus fuit. Quo munere apprime perfunctus, ad regularem sui Ordinis consuetudinem ultro rediit, ac reliquos vitae annos praedicando, docendo, scribendo transegit, ac per dioeceses quamplurimas ubicumque rogatus pontificales ritus aliaque episcopalia munia explevit, ita ut, difficillimis susceptis itineribus in varias regiones abiret, ad diversas quoque civitates, idest Neomagensem, Antverpiensem, Basileensem aliasque religionis ac pietatis causa accederet, et postquam Argentorati et Herbipoli commoratus fuit, Coloniam Agrippinam rediit, ubi postrema sibi quies erat obventura.

Speciali affectu impulsus erga utriusque sexus religiosos, impensam pro eis curam gessit eorumque conventus ac monasteria de episcoporum mandato saepius cum magno disciplinae religiosae emolumento visitavit, sanctitatis ardorem ac contem-

plationis lumen ubique incendens. Devota insuper pietatis et religionis provehendae officia ad omnes christifideles profuse extendebat, nulli consilium vel auxilium denegans. Neque praetereundum ipsum Albertum cum Sancto Ludovico Francorum Rege concordi pietate coniunctum vixisse.

Licet Albertus plerumque reverentiae causa Dominus appellaretur, tamen patrem potius se praebuit omnium in se filialem fiduciam convertens, iuxta Pauli Apostoli exemplum, qui *libentissime se impendebat et superimpendebatur* (1) pro proximorum suorum animabus.

Quamquam iam senio confectus, ad secundum Lugdunense Concilium accessit, in quo Graeci, emissa fidei professione, doctorum expositionibus praemissis, divina gratia ad unionem Ecclesiae feliciter redierunt. Eius etiam Concilii occasione Praedecessor Noster Beatus Gregorius Pp. X, Alberto intercedente, Rodulphi de Habsburgo, Romanorum Regis, electionem probavit. Qua re Albertum utrique ordini societatis tum ecclesiasticae tum civilis denuo consuluisse procul dubio affirmari potest.

Scripta eius plurima atque universalis argumenti.

Verum immensa utique haec negotiorum quae inspeximus moles parvi facienda veluti videtur, si cum ingentibus studiorum laboribus institutis ac voluminibus ab eodem doctissime conscriptis conferatur, in quibus eius ingenii acumen et vis eximia, mentis amplitudo atque altitudo, dives eruditionis copia, ornandae ac defendendae fidei indefessus ardor eminenter elucent.

Quapropter historiographi et eius vitae scriptores iure meritoque eum propter singularem intellectus universalitatem extollunt, qui non solum divinas res contemplatus est vel philosophicas veritates, sed etiam omnes alias scientias humanas attigit atque illustravit, quae hodie naturales vocantur. Imprimis iam Bartholomaeus Lucensis, coaevus, episcopus Torcellanus, affirmavit Albertum, quod ad scientias universas excolendas et docendi methodum attinet, inter doctores maxime excelluisse. Re quidem vera Alberti Magni operum paene innumerorum titulos iam inspicienti subito evidenter apparet, nullam particularem scientiam effugere ingenium eius, cum de astronomia, cosmographia, meteorologia, climatologia physica, mechanica, architectura, chimia, mineralogia, anthropologia, zoologia et botanica luculentissime disseruerit. Quibus insuper scriptis varia de practicis artibus opera, utpote de texendi, navigandi peritia, sicut etiam de agricultura hisque similibus sunt adiungenda.

(1) II. *Corinth.*, XII, 15.

Constanti autem mentis intentione Magnus Albertus, sicut verus doctor catholicus, non sistit in huius mundi adspectabilis contemplatione, prout modernis rerum naturalium investigatoribus quam frequenter accidit; sed ad spiritualia et supernaturalia ascendit, omnium scientiarum concordem, iuxta tamen subiecta varie sibi subordinata, coordinationem statuens, ab inanimatis ad viventia, a viventibus ad spirituales creaturas, a spiritibus ad Deum mire progrediens.

Dotes ipsi a Deo datae.

Et re vera Deus ipse, omnium bonorum munificentissimus Dator, Albertum indole atque necessariis auxiliis ad tantum opus perficiendum ditaverat. Ipsi enim inerat veritatis insatiata cupiditas, indefessa ad res naturales attentio earumque investigatio, imaginatio fervida simul cum firma memoria erga sapientiae antiquae monumenta amor, et praecipue religiosa mens qua admiranda Dei sapientia, in ipsis creaturis relucens, clare percipitur. Unde sacer Psaltes ad Dei laudem omnia mundi elementa invitabat, et in *Iob* sicut et in libro *Sapientiae* atque in *Ecclesiastico* ad munificentissimum talium bonorum Largitorem benedicendum et exaltandum Spiritus Sanctus homines impellit.

Antiquam philosophiam, Aristotelis potissimum, instrumentum scholasticae *aptavit.*

Hoc autem potissimum est mentione dignum, quod veteris quemque sapientiae florem laboriosissimo studio ipse collegit, et quidquid veritatis humana ratio innata vi acute investigaverat, expurgatis quidem erroribus, subtiliter meditatus est, atque ad fidei veritatem illustrandam eamque a variis impugnationibus tuendam saepe feliciter adhibuit. Quod praecipue subsidium ex Aristotelis operibus, quae tunc temporis latius evulgari in Europa coeperunt, aptissime deprompsit. Falsis namque Aristotelismi interpretationibus reiectis, impendens catholicae doctrinae periculum non solum ipse propulsavit, sed veteris philosophiae telum ex hostium manibus veluti ereptum ad revelatae veritatis defensionem valide retorsit. Eo igitur praeprimis auspice, *Scholastica*, sanioris Aristotelismi genuinis thesauris sibi additis, expeditiorem viam inivit ut miram quae adest rectae rationis cum fide cohaesionem maiore luce illustraret. Alberto praeeunte, Thomas deinde Aquinas, dilectus eius discipulus, perennis philosophiae culmina atque altissimos sacrae Theologiae vertices felici ausu conscendit.

Itaque eius labore et opera, philosophia tota, sed praecipue Aristotelica, Theologiae christianae validum quidem et aptissimum instrumentum sub revelationis supernaturalis lumine evasit.

Hoc enim supremum et constans fuit totius vitae intellectualis Alberti propositum; quare quidquid veri, quidquid pulchri, quidquid sublimis, in ethnicorum sapientia invenitur, discere et ipsi Creatori, qui est prima Veritas, summa Pulchritudo et essentialis Perfectio, offerre et fere consecrare voluit. Sicque Albertus vincula disrupit, quibus naturalis scientia in gentilium, mahumetanorum ac iudaeorum potestate tenebatur, vel a quibusdam tunc temporis piis hominibus, ob abusus qui irrepserant, cum diffidentia quadam respiciebatur, quasi magnum pro fidelibus periculum in seipsa occultaret. Verus Theologus nullum ipse damnum in naturae vel naturalis rationis operibus recte investigatis pertimuit, cum eadem ipsius Creatoris lumen in se ferant.

Alberti apud coaevos fama et titulus Doctoris universalis.

Ita inter medii aevi Doctores, praecipue Albertus sui temporis scholis scientificae antiquorum culturae divitias, modo vere organico, in sua magna encyclopaedia, quae ab infimis notionibus usque ad sacram Theologiam extenditur, egregie transmisit. Nil mirum igitur, si apud antiquos in confesso sit, Albertum Magnum « totum scibile scivisse, nullum doctrinae genus ignorasse » (Pius II) « ac sui temporis stuporem et miraculum congrue dici posse » (Ulricus de Argentina). Nil mirum etiam eumdem apud antiquos « Doctoris universalis » titulum et « philosophorum omnium totius christianitatis solis praeclarissimi » (Henricus de Hervodia) famam fuisse adeptum.

Suffragium virorum doctorum, etiam acatholicorum, nostrae aetatis.

His autem encomiis viri docti, etiam acatholici, nostrae aetatis suffragari non dubitant, dum in eo maximum totius medii aevi naturalium rerum investigatorem extollunt. Ex quibus opportune quidam scriptor eximius Albertum vocat « studii naturalis in Occidente antesignanum perspicacissimum, qui primus religioni christianae adsimilavit atque iniunxit sublimes illos Graecae sapientiae fontes, qui primus naturalem historiam doctrinae ecclesiasticae parem posuit, qui primus res naturales germanicas ex arte descripsit, qui primus rerum creatarum formas ad rationes morphologicas revocare conatus est, denique qui primus atque unus historiam totius naturae per omnes explicuit partes » (Carolus Jessen).

Eius auctoritas in theologia et Scripturarum interpretatione.

Praeterea hunc sibi vindicavit honorem, quod neque in philosophia nec in Theologia nec in Scripturarum interpretatione fere ullus alius doctor, excepto Sancto Thoma, exstitit, qui tantam auctoritatem sibi comparaverit. Nimis utique longum est Alberti Magni pro theologicae scientiae incremento merita ostendere et enucleare.

Ut enim Theologiae operam navaret, animus ipse suus eumdem impellebat. Auctoritatem, quam in re philosophica sibi comparaverat, mirum in modum amplificavit, cum, ut diximus, philosophia, ad Theologiam scholastico systemate recte explanandam, velut instrumento usus est. Quapropter et ipse huius quoque Theologiae methodi prae primis auctor dicitur, quae in Christi Ecclesia ad nostram usque aetatem clericis regula ac norma tutissima permansit.

Opera theologica et mystica citantur potissima.

Beati Alberti theologica opera amplissima, sicut et perspicua eius in Sacra Scriptura commentaria, nedum lucidissimam mentem ac profundam de catholica doctrina cognitionem, verum etiam tam suavem pietatem animasque Christo adiungendi vehemens desiderium produnt, ita ut procul dubio Sanctum de rebus sanctis disserentem in istis operibus summopere dignoscamus.

Hic recolere praestat eius *Summam Theologicam*, quae pietatem ac sapientiam pariter redolet; *Commentarium in Evangelium Sancti Lucae*, quod eum sacrae paginae peritum interpretem ac securum demonstrat; dulces suavesque *Tractatus de laudibus Beatae Virginis*, in quibus eius amor affectusque ardentes erga Dei Matrem panduntur; scripta illa incomparabilia *De Sacrosancto Altaris Sacramento*, in quibus ipse sinceram suam fidem in Deum et fervidam devotionem in divinae Incarnationis mysterio colendo luculenter ostendit. *Mysticae* denique *elucubrationes* commemorandae sunt, ex quibus eum per Spiritus Sancti gratiam ad infusae contemplationis altitudinem elevatum comperimus, et ex quibus saeculo decimo quarto in Germania mystice vivendi normam principium et originem duxisse conspicimus.

Eorum perennitas.

Omnia denique ista Alberti auctoritatis in theologica scientia monumenta sunt numquam interitura. Quinimo et cum Praedecessore Nostro f. r. Leone XIII de tota Alberti Magni doctrina iure affirmare possumus: « Quamquam post Alberti aetatem incrementa cuivis scientiarum generi complura attulit dies, eius tamen vis et copia doctrinae, quae Thomam aluit Aquinatem et aequalibus eorum temporum miraculo fuit, non potest vetustate ulla consenescere ».

Quae hucusque diximus sufficiant ad magnitudinem aliquatenus adumbrandam tum eximiae sanctitatis vitae, tum mirabilis Alberti doctrinae, qui, post tot ac tantos labores in vinea Domini exantlatos, de Ecclesia catholica omni ex parte optime

meritus, die decimaquinta mensis Novembris anno millesimo ducentesimo octuagesimo hanc peregrinationem placidissime deseruit, ut beata aeternitate frueretur.

Cultus publicus ipsi post mortem tributus.

At post tanti luminis occasum numquam tamen eiusdem splendidus fulgor defecit. Albertus Magnus revera in Christi Ecclesia adhuc illucescit scientiae suae eminentia; illucescit vitae sanctitate virtutibus omnibus adornata; illucescit et prodigiorum fama quae in vita et post mortem ab ipso patrata fide digni scriptores omni quidem tempore asserunt, ita ut et Nos cum Sancto Petro Canisio, Ecclesiae Doctore, qui illum *Germaniae lumen* appellat, hoc de Alberto Magno affirmare possimus: « vitae munditia, sapientia et sublimibus scientiis excellens » fuit... « Honorem eius et sanctitatem Dominus Deus plurimis miraculis ostendit ».

Cultus extensio vere beatificationi aequivalens et favores a SS. Pontificibus concessa.

Nemini igitur mirum videatur, quod Beato Alberto, post eius mortem ecclesiasticus ac publicus cultus tributus est, cuius manifestationes et praerogativae tot sunt ac tanti momenti. Et in hoc laetamur, quod plures Praedecessores Nostri, « attentis Beati Viri in Ecclesiam praeclaris meritis » (Clemens X), ad eius cultus extensionem pretiosos contulerint favores. Innocentius nempe VIII, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Fratribus Ordinis Praedicatorum Coloniensibus ac Ratisbonensibus, ut in Beati Alberti honorem altaria erigerent ac festum liturgicum peragerent, benigne concessit; quae concessio beatificationi vere aequivalet. Gregorius XV autem privilegium hoc cathedralis Ratisbonensis Capitulo et clero anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo vivae vocis oraculo tribuere dignatus est. Urbanus VIII Beati Alberti liturgicum festum civitati Lauingae anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo indulsit ac postea, anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, Romanorum Imperatore instante, ad totius Germaniae Fratres Praedicatores extendit. Alexander VII idem indultum Fratribus eiusdem Ordinis in ditione Veneta degentibus anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto elargitus est; ac denique Clemens X, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo benigne annuit, ut in toto Praedicatorum Ordine Festum Beati Alberti Magni cum Officio et Missa solemni ritu quotannis in perpetuum perageretur. Praeterea Pius IX toti archidioecesi Coloniensi, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto, sub ritu semiduplici huiusmodi festum, postea, anno millesimo octingentesimo septuagesimo, ad ritum duplicem elevatum, celebrari permisit. Tribus post annis idem Pontifex in ecclesia S. Elisabeth prope Curiam Riariam quondam exstante,

in qua catholicorum virorum Germanicae nationis societas in Urbe erat constituta, ut Missa de Beato Alberto Magno a sacerdotibus ibi celebrantibus legeretur, indulsit. Postremis hisce temporibus autem, aliis Germaniae dioecesibus, uti Monacensi, Frisingensi, Friburgensi, Ratisbonensi, Augustanae, Herbipolensi et Rottemburgensi, et, in Gallia, Parisiensi archidioecesi liturgicum B. Alberti festum indultum est. Nec oblivioni relinquendum est quod indulgentia plenaria in eiusdem festo hac illac, immo hac ipsa in Urbe, a nostris Praedecessoribus gratiose concessa est; neque etiam praetereundum de quodam templo Rigae in Sancti Alberti honorem dedicato, sicuti etiam de plenaria indulgentia in perpetuum pro idem templum visitantibus ex benigna largitione a Leone XIII.

Praeterita acta de eius canonizatione et titulo Doctoris.

Quare nil mirum, quod ob tantam huius viri sanctitatis doctrinaeque praestantiam, de eius canonizatione ac etiam de Ecclesiae Doctoris titulo pro eo ab Apostolica Sede obtinendo iampridem cogitatum est. Praecipue vero post sacri ipsius corporis solemnem translationem, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio peractam; et iterum ac ardentius sub saeculi XVII initio, saepe ad hoc impense adlaboratum est; quod tamen propter bellorum calamitates, et commercii epistolaris cum hac Romana Curia difficultatem, ad felicem exitum pervenire nequivit.

Novae instantiae tum in Concilio Vaticano tum diebus nostris factae.

Piissimum itaque ac saeculare votum solvere cupientes, Sacrorum Germaniae Antistites, Concilii Vaticani tempore, Beati Alberti Magni causam reassumendam instanter ab hac Apostolica Sede efflagitarunt; sed ob notas Ecclesiae procellas, sive in Italia sive in Germania exortas, expleri hae preces nullimode valuere.

Denuo, solemni modo, diebus nostris S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi Praelatique quam plurimi ex omnibus orbis partibus, simul ac Abbates et religiosarum Sodalitatum Praesides, praecipue Studiorum Universitates ac Facultates, Seminaria et collegia, virorum doctorum Societates, totius Germaniae catholicae viri ac mulieres nobilitate, scientia ac in rei publicae administratione praestantes, instantissime supplices Nobis preces porrexerunt, ut Beatum Albertum Magnum Sanctorum aureola Doctorisque Ecclesiae titulo decoraremus.

Quam opportuna sit eius glorificatio, qui fautor fuit pacis, et scientiae ac sanctitatis promotor.

Rem itaque, profecto votis quoque Nostris consentaneam, mature perpendendam duximus, eo vel magis, quod Alberti Magni glorificatio ad animas suavissimo Christi iugo aptius subiiciendas hodie praecipue opportuna videatur.

Albertus Magnus talis quidem est Sanctus, in cuius exemplum aetas nostra, pacem ardenter quaeritans et a scientiae inventis mira sibi repromittens, intentis oculis maximo cum emolumento intueri potest. Quamvis enim hodie populi omnes pacem vehementer exoptant, tamen de ratione et via ad eam consequendam aptioribus minime conveniunt: imo ipsa verae pacis fundamenta, iustitiam scilicet et caritatem, reapse praetermittunt. Ad Sanctum igitur Albertum Magnum confidenter respiciant omnes. Ipse namque totis visceribus adhaesit gloriosissimo Deo, qui utique *non est dissensionis Deus, sed pacis*, (1) illius nempe pacis quae exsuperans omnem sensum fidelium corda et intelligentias custodit. (2) Hic Albertus, qui in vita sua ad pacis foedera inter civitates et principes, populos singulosque homines ineunda felici exitu strenue adlaboravit, perfectum nobis veluti typum exhibet arbitri pacis, pro ea qua pollebat ad conciliandos animos auctoritate, ex eius doctrinae et sanctitatis fama profecta una cum tanta dignitate personae, sacro sacerdotii charactere nobilitata. Equidem ille in se vividam expressit Christi Salvatoris imaginem, qui *Princeps Pacis* in Sacris Litteris salutatur.

Scientia quoque quam maxime ad pacem stabiliendam conducit, si rectae vero rationi ac fidei supernaturali subiiciatur. Quae quidem subiectio ad ipsius scientiae nobilitatem, soliditatem ac veritatem omnimode firmandam necessaria videtur. At quam frequenter, nostra praecipue aetate, subiectio huiusmodi in investigationibus scientificis negligatur ac despiciatur plane compertum est. Immo contra fidem rectamque rationem ipsa quidem adhibetur scientia; quae, *Deo scientiarum Domino* derelicto, suis tantum viribus confidens, in illum numquam satis deplorandum materialismum procul dubio incidit, qui, neminem latet, profecto morum dissolutionis totque in re oeconomica malorum causae est, quibus fere totius orbis populi infeste pervertuntur acriterque cruciantur. In Alberto Magno autem scientiae humanae divinaeque radii mirabiliter conveniunt, ac circa ipsum lucentem aureolam efformant.

Concordiam scientiae et fidei, doctrinae et sanctitatis, naturae et gratiae ipse suo exemplo demonstrat.

Ipse suo praeclarissimo exemplo omnes admonet inter scientiam et fidem, veritatem inter et bonum, inter doctrinam et sanctitatem, nullam exsistere oppositionem, intimam potius cohaesionem adesse. Ita etiam, sicuti Sanctus Hieronymus e deserto, ipse Albertus suis mirabilibus scriptis tamquam po-

(1) *I Cor.*, XIV, 33.
(2) *Phil.*, IV, 7.

tenti voce, fortiter conclamat atque uberrime demonstrat, scientiam veri nominis et fidem vitamque ex fide sancte actam concorditer in hominibus vigere posse, immo debere, cum fides supernaturalis complementum perfectionemque scientiae validissime communicet.

Neque enim, ut athei diebus vel nostris circumferunt, per christianam disciplinam et christianae perfectionis studium destruuntur vel franguntur hominis indoles aut robur voluntatis, civilis actuositas, humani ingenii nobilitas; sed contra evincitur gratia naturam perficere, eamque evolvere, evehere ac mire nobilitare.

Ipse Pontifex in aequipollentem canonizationem inclinans;

Quibus omnibus mature perpensis, quo Magnus hic Albertus iure meritoque Sancti appellatione honoribusque ab omnibus christifidelibus magis magisque colatur, idemque, veluti lucerna super candelabrum posita, in universa Ecclesia clariore luce elucescat, ac ita illud suppleremus quod ad eiusdem Alberti gloriam adhuc deesse videretur, desiderium quoque Nostrum in dies succrescens, per aequipollentem canonizationem, tandem explendum duximus.

Cum igitur ad tantum eventum tempora nostra satis matura videantur, cumque in hoc negotio omnes conditiones reperiantur ab antiquissimo Ecclesiae usu ac iure in similibus adiunctis requisitae, specialem normam viamque adhibere decrevimus, quam plures Praedecessores Nostri iam pro aliorum Servorum Dei canonizatione nonnumquam adhibendam censuerunt.

excepto S. Rituum Congregationis voto 15 decembris 1931 obsecundans,

Itaque rem totam SS. Rituum Congregationi expediendam commisimus; ac proinde dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinales eidem Sacrae Congregationi praepositi, in ordinario coetu die decima quinta mensis huius Decembris habito, audita dilecti filii Nostri Francisci Cardinalis Ehrle, Causae Ponentis, relatione; attenta historicae Sectionis de vitae sanctitate Beati Alberti et de cultus legitimitate eidem exhibiti inquisitione ex officio peracta; nec non sententia, scripto data, pariter ex officio, a duobus doctis viris, in operibus eiusdem Beati apprime versatis, super eius doctrina; audito quoque Officialium eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Praelatorum voto, momentis omnibus sedulo perpensis, matureque discussis, unanimi consensu quotquot frequentes aderant, Nobis consulendum pro gratia concedenda censuerunt. Nos autem, die sequenti, idest hodie, de his omnibus relatione attente audita per dilectum filium Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, Nobis exhibita, in omnibus annuentes, Sacrae Congregationis vo-

tum libentissime excipiendum duximus. Suprema itaque Nostra Apostolica auctoritate praecipimus, ut Sancti Alberti Magni festum cum Officio et Missa de Confessore Pontifice, addito Doctoris titulo, sub ritu duplici minori, die eius natali, hoc est die decima quinta mensis Novembris, in universa Ecclesia singulis annis celebretur.

Suprema sua auctoritate praecipit ut quotannis, die 15 novembris, in universa Ecclesia festum S. Alberti Magni cum Officio et Missa de Confessore Pontifice, addito Doctoris titulo celebretur.

Quamplurimae ergo benignissimo Deo gratiae agantur, qui mirabili suae Providentiae consilio, per humilitatem Nostram coram militanti Ecclesia, Alberti Magni gloriam perficere dignatus est, ipsum nostra potissimum aetate veluti « lucernam luminosam corpus totius Ecclesiae tamquam sidus matutinum sua fecunditate illustrantem » (1) ostendens, qui vere non soli sibi laboravit, « sed omnibus exquirentibus veritatem » (2).

Gratiae de re Deo agendae.

Adsit igitur Sanctus Albertus Magnus adprecator, qui sapientiam virtutemque a prima iuventute exquirens, iugum Domini libenter ferens, instar Pauli Apostoli nihil sanctius habuit quam in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi (3).

Invocandus S. Albertus Magnus.

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa scientia, apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula quae supra diximus confirmamus, roboramus, iterum statuimus ac praecipimus universaeque Ecclesiae catholicae denunciamus; mandantes ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Nostris Litteris haberetur si exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero has Litteras Nostras declarationis, decreti, mandati, et voluntatis, infringere vel ausu temerario contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Specifica confirmatio rei actae.

Fides transumptis tribuenda.

Sanctio.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo primo, die decima sexta mensis Decembris, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dies (16 dec. 1931).

EGO PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Fr. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

CAMILLUS CARD. LAURENTI
S. R. C. Praefectus

(1) Anonym. Ord. Praed., saec. XIX.
(2) *Eccli.*, XXIV, 47.
(3) *II Cor.*, X, 5.

ANNOTATIONES.

I. Ad intentum nostrum concipiendum iam sufficiebat ipsa communis admiratio atque affectus quibus fovere debemus alterum inclytum decus Ordinis Fr. Praedicatorum, qui tam bene de Ecclesia et studiis sacris meritus est et Doctorem Communem, S. THOMAM, ut magister in scientias theologicas introduxit eiusque gloriam praenuntiavit.

Cui rationi accessit quoque singularitas honoris qui per eas tanto viro tribuitur, ut litteras decretales de S. Alberto Magno, Pontifice et universalis Ecclesiae Doctore, ex integro in nostra Periodica referremus.

Cuivis vel parumper edocto de longa ac difficili via qua, saltem a decretis URBANI VIII anni 1625 (anno 1634 confirmatis) (1) electi a Deo ad Sanctorum honores perveniunt, prorsus inaudita videri debet celeri tas qua S. ALBERTUS MAGNUS fastigium istud conscendere potuerit. Etenim, postquam quis Beatus renuntiatus est, requiritur ut novis miraculis bene probatis, Deus Beatificationem veluti ratam habeat, et sic ipse auctor esse videatur novi honoris quo in universa Ecclesia praecipitur colendus is cui tantum circumscripti modo et loco honores liturgici reddi poterant.

In causa praesenti nulla praecessit nisi aequipollens, non formalis Beatificatio.

II. *De titulo « Litterae Decretales »*. Titulus iste, qui aptus est ad designandas litteras S. Pontificis quae decretum continent, ab anno 1920, regnante BENEDICTO XV, reservari coeptus est Bullis quae canonizationes decernunt. Ceterae Bullae vocari consueverunt *Constitutiones Apostolicae*. Etsi enim, quod ad formam, Bullae a Brevibus distinguuntur, non est Curiae Romanae usus ut *a forma* adhibita acta Pontificia

(1) Iam CLEMENS VIII et PAULUS V ista decreta quasi praepararant.

designentur. Ita Litterae in forma Brevis inscribuntur *Litterae Apostolicae* et sic destinguuntur ab *epistolis.*

Ita sub titulo *Litterae Decretales,* anno 1920 editae sunt tres Canonizationes quas BENEDICTUS XV decrevit (*Acta Ap. Sedis,* XII, p. 474. 486 et 514; anno 1925, et anno 1930, undecim canonizationes quas SS. D. N. PIUS PP. XI decrevit (*Acta Ap. Sedis,* XVII, 337. 349. 401. 419. 465. 482; *Acta Ap. Sedis,* XXII, p. 371. 433. 465. 497. 593). Qui titulus non reperitur adhibitus antea, saltem ab anno 1909, quo Acta Ap. Sedis edi coeptae sunt.

Ante BENEDICTUM XV, Bullae canonizationis inscribebantur communi titulo *Litterae Apostolicae.* Cf. v. g. *A. A. S.* I (1909) p. 619. 651, Bullas canonizationum PII X; *Acta Leonis XIII,* 1888, canonizationes decretas a LEONE XIII S. Ioannis Berchmans, S. Petri Claver, S. Alphonsi Rodriguez S. I. et Septem Fundatorum Ordinis Servorum Mariae.

Praeterea BENEDICTUS XV coepit in fine Bullae canonizationis apponere sigillum cruce divisum in quattuor partes hoc modo:

Sctus Petrus	Sctus Paulus
Benedictus vel PIUS	PP. XV PP. XI

Sigillum circumdatur circulo in quo, regnante Benedicto XV, legebatur:

« Mirabilis Deus in Sanctis suis »; regnante autem SS. D. N. PIO PP. XI:

« Pro annis quibus vidimus mala ».

Denique, sub data Bullae, nomen Pontificis ponebatur hoc modo:

PIUS PP. X

et postea nomina Cardinalium qui Bullam subscribebant, hac ratione:

Ego Vincentius Episcopus, etc.
Ego Caietanus Episcopus, etc.

Dum Benedictus XV *supra* memoratum sigillum subscribebat:

« Ego Benedictus, Ecclesiae Catholicae Episcopus »; *infra* sigillum autem nomina Cardinalium, ut modo relatum:

Ego Vincentius, Episcopus, etc.

Quem morem servat etiam gloriose regnans Pontifex. Quare, p. 17 vol. XXIV *A. A. S.* reperies:

« Ego Pius, catholicae Ecclesiae Episcopus ».

Dein sigillum, sub quod duo Cardinales subscribentes: Fr. Andreas Card. Fruhwirth, ut Cancellarius Eccl. Romanae, et Camillus Card. Laurenti, ut Praefectus S. Congr. Rituum.

Itaque, in litteris suis de aequipollenti canonizatione, Sanctissimus Dominus imitatus est litteras de canonizatione formali, hoc excepto, quod, pro multo maiore Cardinalium numero, duo tantum nomen apposuerunt nec ante nomen suum scripsere: Ego etc.

III. Singulari igitur honore gloriose regnans Pontifex S. Albertum Magnum decorare decrevit. Non immerito tamen plurium decessorum suorum exempla allegavit, ut, omissis consuetis sollemnitatibus, ad glorificandum Albertum Magnum, post requisita vota duorum Purpuratorum, i. e. Card. Ehrle S. I. et Lépicier O. S. M., et obtenta suffragia S. Cong. Rituum, et maturam deliberationem, specialem viam iniret quae aequipollens canonizatio appellatur.

Has enim aequipollentes canonizationes refert Benedictus XIV, opere sue classico: *De Beatificatione Servorum Dei et de Canonizatione Beatorum,* L. I., c. 41, n. 1-40.

S. Romualdi, a Clemente VIII, n. 4 (a. 1592-1605);
S. Norberti, ab Urbano VIII (a. 1627) et Clemente X, n. 5 (a. 1672);
S. Brunonis, a Clemente X, n. 6 (a. 1674);
S. Petri Nolasci, ab Alexandro VII, n. 8 (a. 1654);
S. Raymundi Nonnati, a Clemente IX et Innocentio XI, n. 10 (a. 1681);
S. Ioannis de Matha et Felicis De Valois, ab Innocentio XII, n. 12 (a. 1694);
S. Margaritae, Scotorum reginae, ab Innocentio XII, n. 13 (a. 1691);
S. Stephani, Hungariae regis, ab Innocentio XI, n. 14 (a. 1686);
S. Wenceslai, ducis Bohemiae, a Benedicto XIII, n. 15 (a. 1729);
S. Gregorii VII, a Benedicto XIII, n. 32 (a. 1728);
S. Gertrudis Isbiensis, a Clemente XII, n. 40 (a. 1738).

Hactenus Benedictus XIV.

Acta autem Canonizationis S. Alberti Magni, has posteriores aequipollentes canonizationes recensent:

S. Guillelmi Abbatis, a Pio VI (a. 1785);
S. Petri Damiani, cum titulo Doctoris, a Leone XII (a. 1828);
S. Ioannis Damasceni, cum titulo Doctoris, a Leone XIII (a. 1890);
S. Silvestri Abbatis, a Leone XIII (a. 1890);
S. Ioannis a Capistrano, a Leone XIII (a. 1890);
S. Ephrem Syri, diaconi, cum titulo Doctoris, a Benedicto XV (a. 1920).

Itaque quindecim *aequipollentes* canonizationes, in quibus 17 Beati canonizati fuere, huic praesenti canonizationi tempore antecesserunt.

Nulla *sollemnis* et formalis canonizatio est anterior anno 993, quo Episcopus Ulricus Augustanus canonizatus est. Nostros usque dies circa 200 Beatos formaliter canonizati sunt (1).

Ne inde tamen minoris aestimemus singularem honorem qui S. Alberto Magno obtigit.

(1) Cf. in *Stimmen der Zeit,* 1927 p. 81 ss. lucubrationem R. P. K. Richstatter S. I., *Die Heiligen des letzten Iahrtausends.*

IV. Etenim, ut *aequipollens canonizatio* habeatur, non est necesse ut S. Pontifex hanc suam canonizandi intentionem manifestet; sed satis est ut cultum Servi Dei universalem praecipiat. Praeceptivus enim universalis cultus solis Sanctis reservatur.

Iam vero, quantum nobis examinare licuit, in nulla causa anteriore, formalis intentio supplendi sollemnia et canonizandi expressa est; sed S. Pontifex mere iussit ut per totum Orbem colerentur electi Dei qui iam ut sancti habebantur vel in ipso martyrologio pronuntiabantur. Extensione igitur cultus, si praecepta erat, a BENEDICTO XIV et, eius exemplo, a nobis aequipollens canonizatio agnita est.

Quare, in Indice Bullarii Leonis XII plures Beatificationes sed nulla canonizatio memoratur. Per decretum S. C. Rituum, 19 aug. 1890, LEO XIII annuit petitioni extensionis ad Universam Ecclesiam festi S. Ioannis Damasceni, S. Silvestri, S. Ioannis a Capistrano. Sollemniore quidem ratione, BENEDICTUS XV iussit ut S. Ephrem festum universalem obtineret; sed in istis litteris haec cultus extensio ut corollarium tituli Doctoris proponitur, his verbis: « ut eius festum ubique celebretur eadem ratione qua ceteri Doctores ».

Atque in iisdem litteris S. Ephrem iam ut Sanctus honoratus supponitur. Etenim memorant ipsum in Concilio oecumenico VII (Nicaeno II, a. 787) inter coelites laudatum esse; et, vertente saec. XVI, templum in honorem B. Virginis et S. Ephrem in colle Viminali in Urbe erectum esse.

In ipso Breviario, Benedictus XV mere refertur ut auctor tituli Doctoris S. Ephrem tributi.

In Breviario quoque, S. Ioannes a Capistrano dicitur iam ab ALEXANDRO VIII, a. 1690, in Sanctorum numerum relatum esse.

Si fides sit MORONI, S. Guillelmus abbas fuit ab Innocentio III, anno 1157 canonizatus (1).

Quantum igitur sollemnitate eminent praesentes Litterae Decretales, in quibus S. Pontifex, probe conscius de sola aequivalente Beatificatione Alberti Magni, desiderium quoque suum « in dies succrescens, per aequipollentem canonizationem tandem explendum esse duxit ».

Haec si perpenderis, facile fateberis magistro S. Thomae honorem sine alio exemplo, quem nulla habet annalium historia, redditum esse (2).

V. Simul, non sine magna utilitate redintegratur notitia modi extraordinarii quo, propter graves rationes, plena Sancti glorificatio a S. Pontifice impetrari potest. Ante aliquot annos, praeeunte Episcopo Leodiensi, plures instantiae fieri coeptae sunt ut ad universalem Ecclesiam extenderetur cultus B. IULIANAE DE CORNILION, cui Deus revelavit opportunitatem institutionis Festi Corporis Christi. Cum Beata ista, quae Sancta nuncupatur, mere ut Beata in variis Ecclesiae partibus honoretur, res tunc quibusdam visa est obtentu impossibilis. Praesentes Litterae Decretales id non esse impervium opportune demonstrant.

VI. Restat iam ut cum S. Pontifice hoc voto annotationibus nostris finem faciamus : « Adsit S. ALBERTUS MAGNUS adprecator » !

---

(1) Haec mere nota facere voluimus, nullo modo quae a vario fonte deprompsimus aequiparantes cum scientifica exploratione quae pro Actis Canonizationis facta est.

(2) N. B. Ne ansa errandi vel dubitandi detur, exscripta in litteris verba CAROLI JESSEN, « qui primus naturalem historiam doctrinae ecclesiasticae parem posuit » idem valent, hoc loco, quantum si dixisset: « qui primus naturalem historiam et doctrinam ecclesiasticam concordes monstravit ».

30. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

A. Bulla « Cum providentissimus » 6 ian. 1932

INDICITUR SACRA PASTORALIS VISITATIO APOSTOLICA IN URBE
(A. A. S., 20 ian. 1932, XXIV, 18).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNIVERSO CLERO
POPULOQUE ROMANO
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Fidens auxilis divino constanter in Pontificatur probato, SS. D, paterno animo quo Romanam Ecclesiam fovet,

Cum providentissimus Deus rebus omnibus atque inceptis, quae ab inito Pontificatu pro fidelium salute ex animo gerenda suscepimus, auxilium nullo non tempore benigne tulerit atque incrementum dederit, auspicium inde sumimus fore ut, quod aggressuri sumus magni profecto ponderis negotium, id quoque praesenti ope sua ad felicem exitum adducat. Siquidem de caussa acturi sumus, quae cum spirituali Romanae Ecclesiae utilitate coniungitur quam maxime; Romanae Ecclesiae dicimus, cuius Nos cum episcopali munere fungamur, idcirco et Beati Petri Cathedram obtinemus et dominici gregis universi gubernacula tractamus.

Nobilissimam hanc catholici orbis partem, quam paene infinita martyrum multitudo cruoris sui purpura decoravit, quamque tam eximia sapientiae sanctitudinisque lumina per saeculorum decursum conlustrarunt, Nos quidem, ut omnes norunt, veluti in oculis ferimus paternaque voluntate Nostra complectimur.

ut christianismus ibi magis magisque florent.

Quapropter, ut optatissimum Iesu Christi Regnuum, e quo in mortalium animos profluit veri nominis pax atque iustitia, hac alma in Urbe potissimum in exemplum omnium constabiliatur atque triumphet, ut scilicet in sacro laicorumque ordine catholica fides magis magisque revirescat, christiana virtus adaugeatur, ac divina conroboretur caritas, quod Decessores Nostri opportuno tempore fecerunt, id nos renovandum putamus; videlicet pastoralem Romanae Ecclesiae visitationem suscipiendam decernimus, eamque ad maiorem Dei gloriam et ad catholici nominis emolumentum per praesentes Litteras indicimus. Quae a sacrosancta Lateranensi Basilica, ut fas est, inchoabitur; in ceteris postea tam patriarchalibus, quam conlegiatis ac paroe-

pastoralem Romanae Ecclesiae visitationem indicit,

inchoandam a Lateranensi Basilica, ac dein extendendam ad

cialibus aedibus earumque Capitulis et personis, itemque in monasteriis, in religiosis domibus, in colegiis, piis sodalitatibus, aliisque locis ecclesiasticae potestati subiectis peragetur.

omnes aedes Sacras, capituta, personas, monasteria, religiosas domos, aliaque loca ecc.ae potestati subiecta. Quibus visitatio commitatur.

Nobis profecto in votis est sacram huiusmodi Visitationem per Nosmetipsos instituere atque perficere; at quandoquidem instantia quotidiana ac sollicitudine omnium Ecclesiarum praepedimur, Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, dilecto filio Nostro Francisco S. R. E. Presb. Card. Marchetti Selvaggiani, pro eo, quo fungitur, Nostri in Urbe Vicarii generalis munere, hoc tanti momenti negotium committere statuimus; quem proinde eligimus ac deputamus ut hanc Visitationem Nostro nomine Nostraque auctoritate exsequatur eique praesit; quique in hoc obeundo munere a venerabili fratre Iosepho Palica, Archiepiscopo titulari Philippensi atque in Urbe Vicesgerente, adiuvabitur.

Volumus praeterea ut idem dilectus filius Noster Franciscus S. R. E. Presb. Card. Marchetti Selvaggiani, aliquot alios etiam Antistites seu Praelatos, aliosque e clero saeculari vel regulari sacerdotes, doctrina ac rerum usu praestantes, sibi adsciscat, qui eum hac in re opportune adiuvare valeant, et quibuscum, tamquam ab se delegatis, eas omnes facultates, tam per modum actus, quam habitualiter communicare queat, quas per Apostolicas Litteras in forma Brevis largituri sumus.

Quid si res maioris ponderis occurrant.

Quae vero, in tanto opere peragendo, maioris ponderis procul dubio occurrent, Nos, derogantes, quatenus opus sit, contrariis quibuslibet constitutionibus, ordinationibus ac dispositionibus specialissima etiam mentione dignis, has volumus ad Nosmet ipsos directo referri, ut ea decernere possimus, quae magis expedire in Domino iudicaverimus.

Publicae supplicationes indicentur optat

At quoniam « omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum », (1) cupimus ut publicae in hanc rem habeantur in patriarchalibus Basilicis aliisque templis suppicationes prout ab eodem dilecto filio Nostro, sacra vice Urbis Antistite, opportuno tempore statutum erit.

Pontificis fiducia.

Atque omnimo confidimus clementissimum Deum Nostris hisce industriis Nostrisque studiis benigne adfuturum; deprecantibus quidem Deipara Virgine Maria, cuius divinae maternitatis munus per elapsum annum — millesimum ac quingentesimum ab Ephesina Synodo celebrata — peculiari cultu christifideles omnes prosecuti sunt, itemque beatis Apostolis Petro

---

1 Iac., I, 17.

et Paulo, aliisque Caelitibus, qui sua ope suoque patrocinio almam hanc Urbem protegunt atque tuentur.

Hortatio ad clerum populumque Romanum.

Placet denique apostolica ea mutuari verba, quibus Docessor Noster f. r. Pius X hac in eadem caussa usus est: « Hortamur... romanum clerum et populum ne in vacuum gratiam Dei recipiant; sed, optatis Nostris studiosissime obsecundantes, ad felicem exitum sacrae Visitationis, pro sua quisque conditione, adlaboret. Utinam, emendatis moribus, aucta sacrarum aedium reverentia, festis diebus sancte servatis, omnique virtutum genere exculto, Urbs, quae Petri Sede illustratur, sit universo terrarum orbi dux et magistra sanctitatis! » (1)

Dies (6 ian. 1932).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sexta mensis Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.

E. Card. Pacelli
a Secretis Status

Loco ✠ Plumbi

Fr. Andreas Card. Frühwirth
Cancellarius S. R. E.

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci. *Protonotarius Apostolicus.*

Reg. in Cancellaria Apostolica, Vol. XLV, n. 15. - M. Riggi.

B. Litterae Apostolicae in forma Brevis, 10 ian. 1932

FACULTATES PRO VISITATIONE CONCESSAE
(A. A. S., 20 ian. 1932, XXIV, 20)

AD EMUM P. D. FRANCISCUM SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE TITULI SANCTAE MARIAE NOVAE, PRESBYTERUM CARDINALEM MARCHETTI SELVAGGIANI, IN URBE EIUSQUE DISTRICTU VICARIUM IN SPIRITUALIBUS GENERALEM: AMPLISSIMAE FACULTATES PRO PASTORALI APOSTOLICA VISITATIONE URBIS CONCEDUNTUR.

PIUS PP. XI

Memorata indicta visitatione et commisso mandato.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Ut hac Alma in Urbe, quae Nobis divina Providentia peculiari modo commissa est, Iesu Christi regnum pax et iustitia

(1) Const. Ap., *Quum arcano Dei*, XI Febr. MDCCCCIV.

augeantur, in eademque commorantes christifideles divina corroborentur caritate, religiosisque auxiliis opportunis apte ac tempestive adiuventur, Litteris Apostolicis Nostris *Cum providentissimus Deus* die VI huius mensis Ianuarii sub plumbo editis, pastoralem Visitationem hac Alma in Urbe eiusque districtu indiximus. Tibi vero, dilecte fili Noster, cum Nos prohibeant continentes Ecclesiarum omnium cura ac sollicitudo ut per Nosmetipsos sacram huiusmodi Visitationem instituamus ac perficiamus, magni momenti munus eiusdem Visitationis Nostro nomine peragendae in Domino committendum decrevimus. Ne quid tamem frugiferum huiusmodi tuum ministerium impediat, immo ut tibi, dilecte fili Noster, praesto sint omnia quae ad illud sanctae ac felictier obeundum possint, vestigiis Decessores Nostros Romanos Pontifices secuti, te peculiaribus facultatibus instructum volumus, quas hisce Litteris Apostolicis in forma Brevis nunc tibi, dilecte fili Noster, largimur; nimirum:

peculiares facultates concertuntur.

I. Mandata quaecumque circa ipsam Visitationem, eaque durante etiam vivae vocis oraculo, per te, dilecte fili Noster, a Nobis accepta, illis, ad quos ea res pertinet, refendi vel oretenus per Nos ordinata mandandi, quibus relationi tuisque mandatis Nostro nomine editis plenam et indubiam adhiberi fidem firmiterque obtemperari tanquam Apostolicis Nostris mandatis volumus et iubemus.

Fides visitatori referenti mandata adhibenda

II. Decernendi, faciendi atque exsequi iubendi quaecumque mandata et praecepta, quae necessaria sint atque opportuna illis in rebus, quae visitationis praeparationem, statum, progressum exsecutionemque concernunt.

Facultas exsequendi mandata;

III. Personas quaslibet, tam ecclesiasticas saeculares et regulares cuiusvis Ordinis atque Instituti, quam laicas, ad Te vocandi et ad personaliter coram Te comparendum citandi opportunisque iuris et facti remediis compellendi pro rebus et negotiis, quae ad Visitationem pertineant.

citandi personas;

IV. Personas easdem et tanquam principales et tanquam testes, seu tanquam principales quoad se et tanquam testes quoad alios, examinandi, atque ut veritati testimonium perhibeant admonendi atque etiam cogendi, iuramenta eis deferendi et ab ipsis exigendi ac recipiendi secundum praescriptum sacrorum canonum, recusantes vero per ecclesiasticas censuras aliasve poenas tibi benevisas compescendi.

testes examinandi,

V. Libellos supplices ac memorialia, quae etiam Nobis inscripta et directa sint, atque instructione, relationes, delationes, querelas, etiam secretas, contra quascumque personas accipiendi et Nobis referendi, seu alias, prout rerum personarumve qua-

libellos supplices et querelas accipiendi;

litas requiret, iuxta ordinationes Nostras, ex auctoritate tibi tradita providendi.

Congregationes faciente

VI. Congregationes faciendi aliquarum personarum, quae tibi in consilium super praemissis adhibendae videbuntur, easdemque personas auctoritate Nostra vocandi et cum eisdem de Visitationis negotiis tractandi, consultandi et deliberandi.

Officiales eligendi et mutandi;

VII. Unum sive plures officiales et ministros, quibus utaris in Visitationis opere, eligendi ac deputandi; electum sive electos removendi et alium sive alios subrogandi toties quoties tibi videbitur.

Visitandi ecclesias, monasteria, domos religiosas etiam exempta;

VIII. Quotiescumque tibi, dilecte fili Noster, qui Nostro nomine Visitationem peragis eidemque praeesse debes, videbitur, iteratis vicibus quarumvis Almae huius Urbis, seu extra illam, intra tamen illius districtum consistentium ecclesiarum omnium, etiam quae ab ordinaria ipsius Urbis Vicarii iurisdictione exemptae sint, sublatis, ad hunc dumtaxat effectum, sacrae nempe Visitationis, abrogatisque quacumque veteri consuetudine sive Apostolicis constitutionibus, nec non universim quibuslibet iuribus privilegiisque speciali vel etiam specialissima mentione dignis, patriarchalium, conlegiatarum seu aliarum ecclesiarum, quae etiam Sactae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ratione tituli aut denominatione eorum Cardinalatus et alias quomodolibet vel quavis causa sint subiectae, sive cuiusvis capellae vel Oratorii, nec non monasteriorum tam virorum quam mulierum, prioratuum, domorum et locorum saecularium, seu cuiuslibet Ordinis etiam mendicantium, Congregationis aut Instituti regularium, aut hospitalium quantumvis exemptorum, Nobisque et Apostolicae huic Sedi immediate subiectorum, et generaliter quorumcumque locorum atque operum piorum, quae quomodolibet nuncupata sint, et quocumque privilegio, exemptione atque immunitate suffulta, etiam si de iis specifica atque individua mentio habenda foret; eorumque Capitulorum, Conventuum, Universitatum, Seminariorum, Conlegiorum, Congregationum Archiconfraternitatum, Confraternitatum etiam laicorum, nulla quoque alia speciali Nostra exspectata ordinatione vel mandato, aut etiam requisito consensu vel licentia, Visitationem faciendi, utque illa et quaelibet illorum visitandi, inique illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam et idoneitatem singularum personarum coniunctim vel divisim, et tam in capite quam in membris, nec non circa divinum cultum, religiosas functiones, ecclesiarum decorem, fructuum et redituum dispositionem, regularem Religiosorum tam virorum quam mulierum

observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi Visitationis quomodolibet spectantia, diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum archiva, bibliothecas et quaecumque in illis continentur documenta atque instrumenta authentica, scripturas, libros rationum dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi; praesertim vero Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum et sacras Reliquias nec non ea, quibus ipsum Augustissimum Sacramentum et sacrae Reliquiae ac res ad alia ecclesiastica Sacramenta pertinentes continentur, sacra vasa, pyxides, thecas, tabernacula; nec non indumenta, ornamenta atque instrumenta, utensilia et supellectilem ecclesiasticam etiam pretiosam diligenter accurateque inspiciendi, et ad praedicta exhibenda quascumque personas cogendi et compellendi; atque in praemissis omnibus et singulis quaecumque correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveris, corrigendi, emendandi et reformandi, uniendi, transferendi, in melius immutandi, processusque necessarios desuper faciendi, et Nobis referendi, seu iuxta ordinationes Nostras in hisce opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes exsecutioni demandandi, et custodiri atque observari praecipiendi, demum omnia alia et singula, quae huiusmodi Visitationis negotium, ulteriorem progressum, exsecutionem, et in ea facta et facienda mandata, decreta, statuta atque ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exsequendi, mandandi et ordinandi.

Contradictores et inoboedientes etiam per censuras coercendi;

IX. Contradictores et tibi, dilecte fili Noster, in praemissis inobedientes ac rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per suspensionem atque etiam per beneficiorum privationem et officiorum ecclesiasticorum, ac per censuras et poenas ecclesiasticas et temporales, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi.

ordinem tenendi qui magis commodus et utilis videatur;

X. In Visitatione huiusmodi eum tenendi ordinem quem commodiorem, utilioremque iudicabis, quin praecedentiam inter ecclesias, monasteria et loca quaecumque per te visitanda servare adigaris. Nos enim ex hac agendi ratione nulli ecclesiae, monasterio vel loco, neque ulli Capitulo, Conventui, Confraternitati aut personae, tam coniunctim quam divisim, seu alias quomodolibet in aliquo etiam minimo quoad praecedentiam, ceterasque praerogativas quascumque praeiudicari, aut quidquam novi iuris acquiri decernimus et declaramus.

Fides adhibenda documentis;

XI. Volumus autem ut documentis illis ac scripturis, quae de rebus gestis in Visitatione ab officialibus ad id legitime

deputati conficientur, eorundem officialium subscriptione signoque Visitationis munitis, plena atque indubitata fides nunc et perpetuis futuris temporibus tam in iudicio, quam extra illud, omnino habeatur, neque ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Causas quaslibet decidendi;

XII. Quascumque querelas, accusationes, denunciationes contra quascumque personas tam ecclesiasticas sive saeculares sive regulares, quam laicas, cuiusque status, gradus, dignitatis ac praeminentiae exsistentes, recipiendi et audiendi, causasque exinde aut alias quomodolibet ex dicta Visitatione vel illius causa emergentes tam ecclesiasticas quam profanas ex officio audiendi, cognoscendi ac secundum mandata Nostra, seu alias, prout iustitia suaserit ac rationis ordo dictaverit, illas decidendi ac terminandi. Contra vero cuiuscumque criminis detectos dictae Visitationis occasione reos et delinquentes, eorumque complices ac fautores, cuiuscumque status, dignitatis, ordini et condicionis fuerint, per viam accusationis etiam summarie, simpliciter ac de plano sine strepitu et figura iudicii, soli facti veritate inspecta, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, puniendi; itemque contra inobedientes quoscumque censuris ac poenis ecclesiasticis animadvertendi, omni et quacumque appellatione postposita, omniaque in praemissis et circa tum necessaria tum quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exsequendi; etiam quae mentionem magis specialem requirerent et sub generali concessione non venirent, iis tamen limitibus servatis, quos tu ipse, dilecte fili Noster, adhibito Antistitum seu Praelatorum aut aliorum consilio, praescribere iudicaveris, ac iugiter exceptis maioris momenti causis, quas Nobis referendas censueris. Utque vero liberius denunciationes, querelae atque accusationes causaeque quaecumque ad dictam Visitationem pertinentes ab omnibus deferri possit, indulgendi ut nemo ex illis, qui quomodolibet in huiusmodi causis instituendis sive parandis aut decernendis partem habuerint, vel se ingesserint, ulla propterea poena vel censura seu molestia mulctari queat.

Oboedientia ab omnibus sub poena sanctionum visitatori praestanda.

XIII. Mandamus autem omnibus et singulis, ad quos spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate ac praeminentia fulgentibus, ut tibi, dilecte fili Noster, in praemissis omnibus ac singulis prompte pareant atque obediant; alioquin sententias seu poenas, quas rite tuleris seu statueris in rebelles, ratas habebimus, ac faciemus, adiuvante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, Ordinum, Congregationum, Archiconfraternitatum aliorumque locorum atque

operum piorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, stabilimentis, usis et naturis ac stylo Curiae; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus ac Litteris Apostolicis praemissis, et cuiusvis illorum, ac Superioribus et personis eorum quomodolibet nuncupatis et qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus ac formis et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis ceterisque efficacioribus, efficacissimis atque insolitis clausulis et decretis irritantibus quoque in genere vel in specie, etiam motu proprio vel ad catholicorum Principum quorumlibet preces et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, atque etiam consistorialiter seu alias quomodocumque et quandocumque concessis, confirmatis ac pluries innovatis.

Dies (10 ian. 1932).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Ianuarii an. MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri decimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIO

Quamvis haec Apostolica Visitatio Urbe eiusque districtu circumscribatur, Constitutionem et Breve quo facultates numerantur ex integro referenda duximus, ut exemplum habeamus amplissimae potestatis tum quod ad personas et loca visitanda tum quod ad modum visitandi quae Eminentissimo Cardinali Vicario facta est.

---

31. — Suprema S. Cong. S. Officii

Decretum 14 ian. 1932

DE CAUTIONIBUS IN MIXTIS NUPTIIS PRAESTANDIS

(A. A. S., 20 ian. 1932, XXIV, 25)

Difficultas standi cautionibus, propter leges civiles.

Contingit aliquando mixta, quae vocant, matrimonia inter catholicum et acatholicum sive baptizatum sive non baptizatum contrahi, praestitis quidem requisitis cautionibus, eo tamen modo ac forma ut earum observantia, praesertim quod spectat

ad catholicam prolis utriusque sexus educationem, aliquibus in regionibus, adversantibus legibus civilibus, efficaciter urgeri non possit, imo tum a locali auctoritate laica tum a ministro haeretico, invitis quoque parentibus, facile queat impediri.

Conventus Patrum.

Ne lex tam gravis, naturalis ac divini iuris, magno cum innocentium animarum detrimento, frustrata maneat, E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales fidei ac morum integritati tutandae praepositi, in plenario conventu habito feria IV die 13 ianuarii 1932, prae oculis etiam habentes recentes Ss.mi Domini Nostri Encyclicas Litteras, quarum initium *Casti connubii*, stricti sui muneris esse duxerunt, omnium Sacrorum Antistitum nec non parochorum aliorumque, de quibus in canone 1044, qui super mixtae religionis ac disparis cultus impedimentis dispensandi facultate aucti sunt, attentionem excitare et conscientiam convenire, ne dispensationes huiusmodi unquam impertiantur, nisi praestitis antea a nupturientibus cautionibus, quarum fidelem exsecutionem, etiam vi legum civilium, quibus alteruter subiectus sit, vigentium in loco actualis vel (si forte alio discessuri praevideantur) futurae eorum commorationis, nemo praepedire valeat, secus ipsa dispensatio sit prorsus nulla et invalida.

Monitio omnium qui dispensant de urgendis cautionibus ad valorem dispensationis.

Approbatio Pontificis, et mandatum.

Hanc vero E.morum Patrum resolutionem feria V die 14 eiusdem mensis et anni Ss.mus D. N. Pius divinae Providentiae Pp. XI confirmavit et publici iuris fieri iussit, mandans ad quos spectat ut eam servent ac servare faciant.

L. ✠ S

A. Subrizi, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

Decretum Supremae S. Congregationis S. Officii diei 13 ian. 1932, *de cautionibus in mixtis nuptiis praestandis,* expresse et manifeste confirmat quae pluries S. Sedes statuenda censuit ac fideliter servanda mandavit in re tanti momenti.

1. Matrimonia *mixta* — cum obstat nempe impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus, quatenus una pars sit catholica, altera vero baptizata quidem, sed adscripta sectae haereticae aut schismaticae; vel una pars sit baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa,

altera vero baptizata non sit (cfr can. 1060, 1070) — prohibentur iure tam divino quam ecclesiastico.

Ad rem egregie Leo XIII, Encycl. « *Arcanum* », 10 febr. 1880, ait: « Illud autem cavendum est, ne scil. coniugia facile appetantur *cum alienis a catholico nomine:* animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad cetera concordes. Quinimmo ab eiusmodi coniugiis ex eo perspicitur *maxime abhorrendum,* quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ».

Item Pius XI, Encycl. « *Casti connubii* », 31 dec. 1930, haec tradit sapientissime: « At multum in hoc deficiunt, et aliquando *non sine salutis aeternae periculo,* qui temere mixtas ineunt nuptias, a quibus maternus Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos, quemadmodum ex multis apparet documentis... Quod si Ecclesia interdum, pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus his praescriptis *(salvo iure divino, et per opportunas cautiones remoto,* quantum fieri potest, *perversionis periculo),* dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnihil detrimenti ex istis nuptiis non capiat ».

2. Matrimonium mixtum eatenus permitti potest, iusta gravique causa urgente, quatenus prohibitio *legis divinae* in casu particulari iam praevie cessaverit. Quae prohibitio legis divinae tunc aufertur, quando, ut docet Instructio S. Officii diei 3 iun. 1871, « exclusum sit a parte fideli quodlibet perversionis periculum, et universa proles utriusque sexus in sancta religione educetur, et suscipiatur a parte catholica onus curandi ut

alteram acatholicam (1) partem ad veram fidem unitatemque catholicam perducat ».

Istae condiciones, ut habet eadem Istructio, « *iure naturali ac divino requiruntur... et remitti seu dispensari nequeunt* ».

Igitur dispensatio semper et necessario supponit atque exigit ut praevie sublata fuerit prohibitio iuris divini, quatenus proximum perversionis periculum partis catholicae cessaverit simulque cautum sit catholicae educationi universae sobolis.

3. Praedictae condiciones iure ipso divino requisitae *in tuto* poni debent. Id autem fit per *cautiones,* quas vocant, legitima forma praestandas, ut inde moralis certitudo habeatur condiciones essentiales ad exsecutionem demandatum iri. Nonnulli confundunt seu promiscue usurpant *condiciones* et *cautiones.* Sed, proprie et accurate loquendo, istae ab illis probe distinguuntur. Nam *condiciones* sunt *iuris divini,* dum e contra *cautiones* sunt *iuris ecclesiastici,* et dici possunt *media* sive *assecurationes,* quibus in tuto ponitur earundem condicionum implementum.

4. Can. 1061, § 1 statuit: « *Ecclesia super impedimento mixtae religionis* (et disparitatis cultus; cfr can. 1071) *non dispensat, nisi:*

« 1° *Urgeant iustae ac graves causae;*

« 2° *Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;*

« 3° *Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento* ».

Hinc pars *acatholica* duplicem cautionem praestare debet: 1° ut excludat a parte catholica quodlibet pe-

(1) *Collect. S. C. de Prop. Fide,* II, n. 1362, p. 42, ubi refertur haec Instructio, ex mendo typographico, habet catholicam.

riculum perversionis, quatenus plenam libertatem ei relinquat in officiis vitae christianae adimplendis, nec ullo modo eam, sive directe sive indirecte, a professione fidei catholicae removeat; 2° ut *universa* proles, tam masculini quam feminei sexus, *catholice tantum baptizetur* et *educetur.*

Consulto dicitur: *catholice tantum,* ut excludatur conventio vel factum quod soboles baptizetur ritu catholico et postea ritu acatholico per ministrum haereticum vel schismaticum, sicut alicubi mos est; praeterea, ut proles educetur in *sola* religione catholica, non autem in religione utriusque coniugis aut simul aut successive.

Pars *catholica* de una re cautionem praestare debet, scil. de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda.

Ex praescripto can. 1061, hodie pars catholica, aliter ac olim, non tenetur peculiarem quoque cautionem praestare de procuranda coniugis acatholici conversione. Attamen palam est, ex praecepto caritatis ad id omnino teneri.

5. Ex praefato Decreto S. Officii diei 13 ian. 1932 nonnulla sequuntur, quae veterem disciplinam perspicue et accurate referunt, eaque peculiari mentione digna videntur:

1. Qui gaudent potestate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, *numquam* possunt huiusmodi dispensationem concedere, nisi *antea* nupturientes requisitas cautiones praestiterint.

Nulla datur exceptio. Proinde haec dispositio respicit non solum dispensationes quae dantur *extra periculum mortis,* sed per se etiam illas quae *in periculo mortis* impertiuntur. Attentis verbis Decreti: « parochorum aliorumque, de quibus *in canone 1044* », nullus est locus dubitationi in hac re. Nam can. 1044

agit expresse de parocho aliisve sacerdotibus, qui dispensant in periculo mortis.

2. Praescriptum respicit confessarium, sacerdotem qui matrimonio assistit ad normam can. 1098, 2°, parochum, missionarios, Vicarios et Praefectos Apostolicos, Episcopos universos, seu omnes Praelatos infra R. Pontificem.

3. Dubitandum non est, quin ipsi Ordinarii et sacerdotes *orientales* hoc Decreto omnino teneantur, tum ex principio generali quod agitur de re ad materiam fidei spectante, tum attento praescripto can. 257, § 2.

4. Nulla causa excusat ab exigendis cautionibus iisque praestandis; nec, v. g., dissensus familiae, nec offensio sectae haereticae aut schismaticae, nec vetitum legis civilis, quae prohibeat cautiones vel forte statuat prolem masculinam esse educandam in religione patris, sobolem feminei sexus in religione matris.

Huc spectat responsum S. Officii diei 10 dec. 1902. Sequens dubium propositum fuerat: « Viget in N.... regionibus decretum regium sub gravibus poenis prohibens quominus milites ullas cautiones praestent per litteras reversales, sive per iuramentum sive per simplicem promissionem. Quare ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Ordinarius N. directionem certam hisce in casibus expostulat, et quidem quaerit: *An ab impedimento mixtae religionis dispensari possit, si pars acatholica* (quaecumque ea sit) *cautiones requisitas per litteras reversales, sive per iuramentum sive per promissionem saltem, omnimode recuset...* ».

S. Congregatio S. Officii cit. resp. 10 dec. 1902 rescribendum censuit: « *Negative*, et detur Instructio 15 novembris 1858 »; scil. Instructio Secret. Status iussu Pii IX ad omnes Episcopos (1).

---

(1) Cfr *Collect. S. C. de Prop. Fide,* I, n. 1169; II, n. 2155.

5. Nulla forma iure communi praefinita est, qua praestandae sint cautiones. Ea requiritur et sufficit, quae certitudinem moralem gignere valeat de implemento cautionum.

Ex can. 1061, § 2 cautiones « *regulariter in scriptis* » exigi debent, tum ut certius ac tutius de illis in foro externo constet, tum ut promissio maiorem vim ac firmitatem ex scriptura obtineat.

Decretum peculiarem formam non determinat; nihilominus cautiones dicuntur praestandae eo modo eaque ratione, ut *fidelem exsecutionem* earundem, « etiam vi legum civilium, quibus alteruter subiectus sit... *nemo praepedire valeat* ».

6. Dispensatio concessa, sine cautionibus antea praestitis a nupturientibus, « *prorsus nulla et invalida* » declaratur. Ex dictis, id valet de dispensatione quovis in casu et a quocumque data, sive *extra* sive *in periculo mortis,* sive *mala* sive *bona fide* impertita.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

---

32. — Suprema S. Cong. S. Officii

Normae 1 iulii 1931.

A LOCORUM ORDINARIIS PRAE OCULIS HABENDAE IN PETENDIS DISPENSATIONIBUS A LEGE IEIUNII EUCHARISTICI PRO SACERDOTIBUS ANTE MISSAE CELEBRATIONEM:

Duplex dispensationis ratio.

1. Dispensatio a lege ieiunii eucharistici concedi potest ad aliquid sumendum sive per modum potus ad vires physicas reficiendas et sustinendas, sive per modum verae medicinae ad morborum effectibus occurrendum.

Quibusnam perviae.

2. Cum ratio dispensationis per modum potus publicum sit bonum spirituale fidelium, ab iis tantummodo sacerdotibus impetrari potest, qui animarum curae sunt addicti; dispensatio per modum verae medicinae, cum in commodum etiam privatum sit inducta, ceteris quoque sacerdotibus potest concedi;

prima pro diebus tantum festivis vel ferialibus conceditur, in quibus missae sacrificium hora tardiore (post horam decimam) ratione ministerii est celebrandum; altera etiam pro omnibus diebus.

Ob gravem causam singulis impetranda.

3. Dispensatio huiusmodi, cum sit gravis relaxatio legis ecclesiasticae, *gravem*, ut patet requirit *causam*, quae in singulis casibus est comprobanda; unde fit ut dispensatio nunquam indiscriminatim sacerdotibus indeterminatis, sed semper singulis tantum sacerdotibus determinatis concedatur, singulorum personalibus adiunctis rite perpensis.

Indicationes supplicis libelli,

4. In relativo supplici libello S. Congregationi exhibendo sequentia sunt indicanda:

a) oratoris aetas;

b) eius officium vel munus, seu an ipse qua parochus vel saltem qua vicarius paroecialis (can. 451-478) curae animarum operam det;

c) eius valetudinis status per medici testimonium comprobatus, ex quo una cum morbo appareat etiam an ipse aliquid per modum potus vel per modum medicinae sumere debeat et in utroque casu de quonam potu vel de quanam medicina specifice agatur;

d) utrum unam an duas missas diebus dominicis et festis ipse celebret; quanam hora et, si bis celebret, ubinam celebret, utrum scilicet in eadem ecclesia, an vero in diversis ecclesiis, indicata in casu earum ad invicem distantia, praesertim si iter pedibus sit peragendum;

e) an ab alio sacerdote firmioris valetudinis possit substitui.

Quae omnia indicanda sunt prima vice, qua dispensatio imploratur, dum pro gratiae iam semel impetratae prorogatione non requiruntur, si eaedem oratoris circumstantiae iam expositae adhuc perdurent.

A quibusnam subsignandi.

5. Supplex libellus sacerdotum saecularium ab ipso Episcopo, addito suo voto, est subsignandus; libellus supplex religiosorum, qui animarum curae operam dant, tum ab Episcopo loci, ubi eorum domus religiosa est constituta, tum ab ipso suo Superiore Generali; supplex libellus religiosorum, qui curam animarum non exercent, tantum et exclusive a suo Superiore Generali.

Mentio prioris rescripti in prorogatione imploranda.

6. In prorogatione imploranda aut praecedens rescriptum exhibeatur, aut saltem eiusdem rescripti numerus indicetur.

Dies (1 iul. 1931).

Romae, ex aedibus S. Officii, die 1 iulii 1931.

ANGELUS SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIONES

I. Normae istae in non una ephemeride dioecesana vulgatae sunt: v. g. in *Kirchlich. Anzeiger für die Diözese Aachen* (Aquisgranensis). I. p. 43 s. Inde easdem exscripsimus.

II. Si compares praesentes normas cum prioribus 22 mart. 1923 *(Per.* XII, 29 ss). multo benigniores quam priores esse reperies. In prioribus enim propter solam causam publicae utilitatis, exclusa privata devotione vel utilitate, concedebatur relaxatio a ieiunio eucharistico ante Missam celebrandam his verbis: « Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, cum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem vel utilitatem ».

Nunc, contra, utraque causa distinguitur et admittitur iam ab initio normarum.

III. Quare Suprema Congregatio causam publicam a privata probe secernens, dispensationem *per modum potus* propter solam causam *publicam* impetrari posse docet, et pro solis diebus in quibus missae sacrificium hora tardiore, i. e. post horam decimam, ratione ministerii est celebrandum.

Dies isti sunt plerumque soli dies festivi. Necessitas tamen celebrationis tardioris ratione ministerii, etiam diebus ferialibus occurrere potest, v. g. propter funus vel matrimonium.

IV. Propter causam privatam dispensatio non impetratur nisi ad sumendum aliquid per modum *medicinae.* Manifestum tamen est medicinam postulari posse cibum solidum vel etiam liquidum.

V. Gravis causa requiritur, quae in singulis casibus est comprobanda. Quare in supplici libello, saltem prima vice, pluribus quaesitis satisfieri debet. Pro

gratiae prorogatione sufficit ut eaedem circumstantiae permanere declarentur.

VI. Dum in litteris 22 mart. 1923 facultates supponebantur esse posse etiam habituales, praesentes Normae non memorant nisi supplicem libellum ad S. Congregationem mittendum. Liquet tamen id esse in arbitrio Supremae Congregationis positum.

VII. A quibusnam supplex sacerdotum libellus sit subsignandus vel commendandus clare in n. 5 explicatur.

VIII. In fine cavetur ut in petenda prorogatione praecedens rescriptum vel saltem eius numerus indicetur.

A. VERMEERSCH S. I.

---

33. — Post Supremae Cong. decretum

Damnans 27 iun. 1931 aliquot eius opera

EPISTOLAE D. LEROY AD CARD. ARCH. PARISIENSEM (1)

M. Edouard Leroy, obéissant à sa foi de chrétien et aussi répondant à l'aimable invitation de Son Éminence le Cardinal archevêque de Paris, qui lui avait communiqué le décret du Saint-Office, lui a adressé les lettres suivantes:

Éminence,

Ma volonté, d'accord avec toutes mes convictions et avec les sentiments qui ont toujours été les miens, est de vivre dans la foi et dans la communion de l'Église. Je reçois donc avec respect, en esprit de fidélité chrétienne, et j'accepte filialement et simplement le décret du Saint-Office que vous m'avez communiqué.

Veuillez agréer, Éminence, l'hommage de mon profond respect.

EDOUARD LEROY

---

(1) Ex ephemeride *La Croix*, 16 ian. 1932, excerptum ex *Semaine religieuse de Paris*.

Éminence,

Etant donnés certains commentaires de presse, me permettez-vous, Éminence, d'ajouter que je crois-au sens même de l'Église,-à la possibilité d'une Démonstration objective de l'existence de Dieu, à la distinction entre le Créateur et la créature, à la création de l'homme en général, et spécialement de l'âme par Dieu, à la valeur objective de la connaissance humaine?

Veuillez agréer, Éminence, l'hommage de mon profond respect.

EDOUARD LEROY

---

34. — S. Cong. de Sacramentis

Decretum 9 iun. 1931 cum annexis formulis

DE PROCESSU SUPER NULLITATE S. ORDINATIONIS VEL ONERUM

(A. A. S., 5 dec. 1931, XXIII, 457)

I.

REGULAE SERVANDAE

IN PROCESSIBUS SUPER NULLITATE SACRAE ORDINATIONIS VEL ONERUM SACRIS ORDINIBUS INHAERENTIUM A SACRA CONGREGATIONE DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM EDITAE.

DECRETUM

Causa et genesis regularum

Ut locorum Ordinarii in causarum instructione super nullitate sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant, sequentes regulae praest tutae sunt, quae, congrua congruis referendo, etiam pro causarum matrimonialium processibus conficiendis in plenariis Comitiis diei 27 Aprilis 1923 ab EE. PP. adprobatae fuerunt; uti praescribit ipse can. 1995, et iampridem iusserat Benedictus XIV in Const. *Si datam,* 4 Mart. 1748. Cum itaque eaedem regulae ab EE. PP. huius sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum fuissent maturo examine expensae, in plenariis Comitiis diei 29 Maii 1931 iidem ipsas

probarunt, et publici iuris fieri, si Ss.mo placuerit, rescripserunt. Ss.mus autem D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia die 8 Iunii huius anni ab infrascripto S. C. Secretario habita, sententiam EE. PP. approbare et confirmare dignatus est, atque ut istae regulae ab omnibus ad quos spectat rite et religiose serventur, eas iussit edi in officiali Commentario *Acta Apostolicae Sedis*.

Caput I. — De foro competenti

I. *Exclusiva competentia S. Congr.*

1. - Ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de causis contra ipsam validitatem sacrae ordinationis, vel de causis quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione dimanantes (can. 249 § 3), salva competentia Supremae S. C. S. Officii (can. 1993).

2. - Nullus iudex inferior potest processum in hisce causis instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit.

Caput II. — De supplici libello ad petendam sacrae ordinationis aut onerum eidem adnexorum declarationem nullitatis

II. *De supplicis libelli auctore et tenore.*

3. - « Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus peraeque ac Ordinarius cui clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere » (can. 1994 §§ 1. 2).

4. - § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus, et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, referat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam declarationem conducere possunt; appositis etiam die, mense et anno exhibiti libelli, nec non dioecesi originis, vel ea in qua actor actu commoratur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem, ab ipso actore exaratam et subscriptam (cf. in Appendice n. II).

§ 3. Quamvis eidem actori integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

5. - Ordinarius proprius est Ordinarius dioecesis, cui actor adscriptus est, et si agatur de religiosis dimissis, est Ordinarius diocesis originis vel domicilii.

Caput III. — De praevia inquisitione.

III. *Praeviae inquisitionis mandatum et modus.*

6. - § 1. Receptis actoris precibus, Sacra Congregatio Ordinario scribit, ut super assertis ab actore, inquisitionem extraiudicialem peragat, qua pateat utrum preces probabili fundamento innitantur, eamque ad ipsam mittat una cum suo voto et documentis.

§ 2. Praevia inquisitio in illud intendere debet ut de circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus assertam ab actore coactionem aut aliam causam consensum affic[illegible]em, cognoscatur, quibus pateat utrum preces profundamento innitantur.

§ 3. Excepto casu quo Ordinario constet revera preces haud spernendo fundamento inniti, praevia rei cognitio erit haurienda ex interrogationibus faciendis ipsi actori et testibus, modo tamen extraiudiciali, seu non praemissa formali citatione et non delato iureiurando.

§ 4. Quae per extraiudicialem inquisitionem erunt collecta in actis referri et una cum Episcopi voto ad S. C. transmitti debebunt.

§ 5. Si, attenta eadem extraiudiciali inquisitione, haec Sacra Congregatio censuerit preces non spernendis niti rationibus, solet ipsi Ordinario loci dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta sequentes regulas et cum clausulis opportunis.

Caput IV. — De tribunali constituendo

IV. *De constitutione tribunalis.*

7. - Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta nullitate sacrae ordinationis, vel onerum eidem adnexorum, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibens ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam, quoscumque maluerit, eligens, servatis normis can. 1995 et seq., nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (can. 1607 § 1). Atque in primis erit deputandus a iudice defensor sacrae ordinationis, qui ad omnes et singulos actus citari atque audiri debebit. Erit etiam eligendus actuarius pro actis conscribendis ad normam can. 1585.

Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi.

Quinam iubeantur abstinere causa, et quo modo suppleantur.

8. - § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus, eam ne suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae aut curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, iuxta praescriptum can. 1613 § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor sacrae ordinationis (can. 1613 § 2).

9. - § 1. Ordinarius qui, ob legitimam suspicionis exceptionem, causam instruendam non susceperit, debet vel iudicem subdelegare, si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad H. S. C. remittit (can. 1614 §§ 1. 2).

Facultas alios subrogandi.

10. - In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex, alios viros aeque idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu, quo primi electi fuerint impediti vel, uti suspecti legitime habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportunum erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

Iusiurandum.

11. - Excepto Episcopo, quando ipse per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

Caput V. — De officio iudicis et tribunalis ministrorum

V. *Officium iudicis et ministrorum tribunalis.*

12. - Iudicis erit, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, inquisitionem iudicialem instituere super asserta nullitate sacrae ordinationis, vel onerum adnexorum iuxta regulas heic traditas. Inquisitio versari debet circa omnia, quae eamdem nullitatem ob intentionis defectum vel coactionem aut metum aut aliud consensus vitium probant, vel huiusmodi accusationi contradicunt. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) actoris iurata confessio; *b*) testes parentes ipsius et Seminarii moderatores; *c*) testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam actoris, prouti res ferat; *d*) authentica documenta etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, et alia quae ad rem faciant; *e*) indicia et praesumptiones.

13. - Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit tribunal convocare et sessiones indicere; sacrae ordinationis defensorem, partem et testes citare, ut in iudicium compareant; actorem et testes audire propositis interrogationibus a sacrae ordinationis defensore confectis tum ex officio exaratis, atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

Examen actoris vel testium qui sunt extra dioecesim.

14. - Si quando actor aut testes examinandi sint alienae dioecesis, vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut, constituto tribunali, actorem ac testes citet, examinet, et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore sacrae ordinationis, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (can. 1570 § 2; 1770 § 2 n. 3). Ordinarius hac de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

Quid si, etiam in dioecesi accessus nimis difficilis.

15. - § 1. Actor vel testes, qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis, ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum, ita dissitis a tribunalis sede, ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque iudex instructor, defensor sacrae ordinationis et actuarius eos adire possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi actori vel testi propior sit (can. 1770 § 2 n. 4).

Munus et iusiurandum delegati sacerdotis.

§ 2. Huic, cum litteris delegationis, transmitti debent interrogationes faciendae et instructiones ad rem opportunae. Delegati autem erit, pro facultate in litteris expresse facta, sibi adsciscere alium, qui defensoris sacrae ordinationis munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alterum, qui actuarii munus expleat.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram defensore praestare debet, et defensor sacrae ordinationis atque actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

Quid si desit sacerdos defensor vel actuarius?

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adsciscat in munere defensoris, id referat in actis, et ipse ex officio faciat interrogationes: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuarii munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex delegatus actum receptae attestationis, cum debitis notis, redigat.

Inquisitio de probitate et credibilitate testium.

16. - Iudex, ut aeque aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vocatorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat,* et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeantur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda; et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice n. X et seq.).

De contumacibus.

17. - Si acciderit actorem vel testem inductum ab eo aut ex officio vocatum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de actoris contumacia agatur, haec declaretur (can. 1843), atque instantia peremptа habeatur ad normam can. 1850, nisi intersit rei publicae nullitatem declarare, uti si ageretur de casu amentiae, et in actis apposita documenta referantur ad H. S. C. transmittenda.

Quid si non adsit defensor s. ordinationis?

18. - § 1. In processu eiusmodi, cum requiratur praesentia sacrae ordinationis defensoris, eo non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587 § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non adfuerit, acta quidem valent, verum postea sacrae ordinationis defensoris examini subiicienda omnino erunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna iudicaverit (can. 1587 § 2).

Munus defensoris.

19. - Defensoris sacrae ordinationis ius et officium est: 1) examini actoris et testium adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et actori ac testibus proponenda; novasque interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere; ac praesertim contestationes, quae actori vel eius testibus super deprehensis contradictionibus erunt faciendae; 2) articulos ab actore propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta exhibita recognoscere; 3) animadversiones circa assertum intentionis defectum vel coactionem aut aliud vitium consensus scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad sacram ordinationem tuendam utilia censuerit (can. 1968).

20. - Defensori sacrae ordinationis ius esto: 1) semper et quolibet causae momento acta processus invisere; novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; 2) de omnibus probationibus vel allegationibus ita se certiorem facere, ut contradicendi facultate uti possit: 3) petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso; novasque ani-

madversiones edere; 4) exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi iudex dissentiat, et hoc in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere (can. 1969).

Munus actuarii.

21. - Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis incumbere, acta fideliter custodire ne cuipiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

Partis vel testis interrogatio.

22. - Tam iudex instructor quam defensor sacrae ordinationis curent, ut pars, vel testis vel peritus, interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque actori aut testi difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo facilior et plenior responsio evadat.

De actuarii adiutore.

23. - Fas erit iudici, audito sacrae ordinationis defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum adiuvet in scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

Caput VI. — De initio processus et de citationibus faciendis

VI. *Processus initium.*

24. - § 1. Si omnia expleri non possint unica sessione, processus in sessiones dividatur; videlicet, quoties tribunal a iudice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habeatur.

§ 2. De decreto iudicis, quo sessio clauditur et alia quae tunc indicitur, vel erit opportuno tempore indicenda, mentio in actis facienda est, nisi instructio causae sit absoluta.

De prima sessione.

25. - § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur, si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a*) litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b*) litteras Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium subdelegat; *c*) deputationem defensoris sacrae ordinationis et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis, iam factam vel in hac sessione faciendam; *d*) electionem officialium substitutorum; *e*) supplicem libellum actoris pro inquisitione ineunda; *f*) denique praestandum esse iusiurandum (cf. in Appendice, nn. VII-VIII).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiatur; quod non solet contingere: quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficienda. Conventus autem habeatur die et loco deter-

minatis in superiore proxima sessione, nisi iudex maluerit statuere ut sessio peragatur die et loco dein determinandis et indicendis.

De citationibus.

26. - Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum, qui examini est subiiciendus, itemque defensorem sacrae ordinationis et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint.

27. - Citatio parti et testi fiat per litteras quae contineant: *a*) praeceptum iudicis ad comparendum; *b*) nomen, cognomen et domicilium illius, qui in ius vocatur; *c*) iudicem coram quo comparere iubetur; *d*) locum et horam audientiae; *e*) causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus verbis indicatam (can. 1715 § 1); *f*) iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice n. IX).

28. - Citationis scheda clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private et personaliter remittenda. Altera citationis scheda asservatur in actis (can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam, per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et conditiones, tutissimus sit (can. 1719). Cursor si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae, manu propria subsignatis ad iudicem referat (cf. in Appendice n. XV); si vero intimatio facta fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur attestatio eiusdem officii.

Quando citatio per edictum fiat.

29. - § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi degat actor aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Haec autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (can. 1720).

Quid si citationi non obtemperetur?

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex utrum renovanda sit citatio (can. 1843 § 2), an aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, prouti foret interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coercitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an actoris vel testis non comparitio seu contumacia per alios testes, de re circa quam illi interrogati fuissent, edoctos, suppleri possit.

CAPUT VII. — De iureiurando ab actore, testibus et peritis praestando de veritate dicenda, et de interrogationibus iisdem faciendis

VII. *Iusiurandum praestandum.*

30. - Iudex, antequam cuipiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto sacrorum Evangeliorum libro (cf. in Appendice n. XVII). Si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestationes esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

31. - Iudex actorem et testem ad iusiurandum recipiens, eos, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto, quod patrant peieratores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia, et periurii funestissimos effectus; item si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae, qui falsum in iudicio iurati affirmant.

Poenae contra iurisiurandi violatores sunt: 1) interdictum personale, si periurus sit laicus: 2) suspensio, si clericus (can. 1743 § 3).

Has tamen poenas iudex ne ferat inconsulto Ordinario.

De interrogationibus.

32 - Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor sacrae ordinationis et notarius seu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo qui eius locum tenet, deferendae sunt. Quapropter si a defensore sacrae ordinationis novae interrogationes parti aut testi faciendae sint, has non ipse eisdem intimet, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponat, ut is eas actori aut testi deferat (can. 1773 §§ 1. 2).

33. - Interrogationes proponendae dividuntur in *generales* et *particulares:* priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, parentibus, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum parte in causa; hae semper et omnibus aeque sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa assertam coactionem aut etiam assertam nullitatis sacrae ordinationis causam. Praeterea a teste semper exquirenda erit scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea quae asserit habeat cognita (can. 1774).

34. - § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, uti vulgo appellantur, non plura complectentes, pertinentes ad cau-

sam de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (can. 1775).

§ 2. Actor et testes oretenus responsiones reddant. Non praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi, in aliquo casu particulari, iudex opportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adiuvare valeat (can. 1776. 1777).

Actuarii officium.

35. - § 1. Actoris aut testis responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (can. 1778).

Quid si verba referri nequeant?

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

Partes actuarii.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero, quo notantur relativae quaestiones; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum describat.

36. - Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iusiurandum peractum, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina explentur (can. 1779).

Legenda scripta actori et testi.

37. - Actori et testi antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis, quae viva voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem et testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is responderit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat, quod ab actuario in actis adnotandum erit, et deinde depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius (can. 1780 §§ 1. 2).

Novum iusiurandum, subscriptio.

Iterati examinis facultas et modus.

38. - § 1. Actor poterit iterum ad examen vocari vel ad eius instantiam, vel exquirente defensore sacrae ordinationis, vel *ex officio* a iudice, audito eodem defensore; et pars atque testes etiam poterunt inter se *conferri* (italice *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes poterunt, parte aut defensore sacrae ordinationis id postulante, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito eodem defensore, denuo ad examen vocari, et circa ea quae iam testati sunt, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (can. 1772 §§ 2. 3).

§ 3. Quoties id expostuletur, iudicis est suo decreto, audito sacrae ordinationis defensore, eiusmodi postulationem

reiicere vel admittere, cauto potissimum, si admittat, ut omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (can. 1781).

§ 4. Cum actor vel testis novo examini submittitur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de partis et testium examine infra edicuntur.

Quanam lingua utendum.

39. - In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis quae fiunt aut decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum ab actore et a testibus praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt, dein in latinam vertenda.

40. - Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, *latine reddantur ad verbum*. Unde interrogationes et responsiones, quae lingua latina, italica aut gallica redactae non sint, in unam linguam latinam authentice atque ex integro vertantur. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a iudice, audito sacrae ordinationis defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice n. XX).

Caput VIII. — **De examine actoris**

VIII. *Actoris examen.*

41. - Primo actor audiendus, qui validitatem sacrae ordinationis aut onerum ei adnexorum impetit. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore sacrae ordinationis concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio*, si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius depromendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina prae oculis habeantur.

42. - Actori post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur, iuxta formulam in Appendice sub. n. XVIII relatam.

43. - Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito sacrae ordinationis defensore, *ex officio* actorem ad novum examen vocare iuxta praescriptum n. 38, in quo novae interrogationes seu contestationes proponentur.

44. - § 1. Iudex nunquam omittat interrogare actorem circa exsistentiam et factorum adiuncta, quibus innititur in sua actione instituenda.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verosimiliter praesumantur.

45. - § 1. Antequam perficiatur examen et praestentur, quae statuuntur n. 38, iudex ab actore petat ut exhibeat testes, si quos habeat, qui de intentionis defectu vel de illata coactione aut de alio vitio consensum afficiente referre possint.

§ 2. Sedulo quaerendum est ab actore ut indicare velit testes, qui cum sint de istius familia aut vicinia, aut eius res domesticas cognoscant, vel sint Seminarii contubernales aut moderatores, probabiliter utile testimonium praestare valent.

Caput IX. — De testibus aliisque probationibus exhibendis

IX. *Testium qualitates.*

46. - § 1. In his causis testes fidem facere debent de probitate et praesertim de veracitate partis circa rem deductam in controversiam (can. 1975 § 1).

§ 2. Testes eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia,* et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex actore aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra, n. 54), didicisse ipsum caruisse voluntate sacros suscipiendi ordines, et, quod magis interest, ipsum sacram ordinationem vel onerum susceptionem explicite exclusisse.

§ 3. Testibus hisce iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes ab actore inducti, tres tantum aut quatuor sint; vel ad rei veritatem illustrandam, etsi plures, insufficientes sint.

47. - Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valeant.

Revelatio nominum.

48. - § 1. Si actor petat sibi pandi nomina testium *ex officio* productorum, iudex, audito sacrae ordinationis defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iudicis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem, quoadusque testes suam reddiderint attestationem.

Caput X. — De examine testium

X. *Testium examen.*

49. - Inchoatur horum testium examen ab iis, qui inducti sunt ab actore, et quidem a parentibus proximioribus, qui

praesumuntur magis instructi (cf. in Appendice n. XXI); postea audiantur extranei, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, in actis notetur; si vero eo, ubi tribunal cogitur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 15 et 16 statutas.

50. - In testibus examinandis iudex, delatis iureiurando et interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes, sibi a sacrae ordinationis defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in specimine Appendicis n. XXIII et XXIV.

51. - § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae ab actore, qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in eius attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert, quae verosimiliter actor non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, tunc quaedam tantum legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas interrogationes *ex officio,* vel curandi ut a defensore sacrae ordinationis opportunae contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 38.

52. - Expleto examine, legitur testi integra depositio: exinde rogatur an menti suae plene respondeat: postea, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis, et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 37, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius.

53. - In his testibus excutiendis maxime curandum est, ut, si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* id didicerint, ut pateat an tempore non suspecto idem cognitum habuerint (can. 1774). Causam enim valde iuvant confessiones extraiudiciales tempore non suspecto prolatae.

54. - Attestationes seu documenta respicere intelliguntur *tempus non suspectum,* cum exhibentur quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

XI. *De additis testibus.*

CAPUT XI. — **De testibus, praeter illos ab actore inductos, ex officio a iudice inducendis**

55. - § 1. Quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito sacrae ordinationis defensore, aut hoc instante, vel ad instantiam actoris.

56. - Testes *ex officio* erunt inducendi quoties prudenter dubitetur adesse collusionem inter actorem et parentes, aut inter testes et ipsum, vel ipsum testimonium insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde depromptis veritas evinci possit.

57. - Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, erunt a defensore sacrae ordinationis concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici non minus fas est alias interrogationes *ex officio* proponere.

CAPUT XII. — **De documentis**

XII. *Documentorum ratio et fides.*

58. - Inter documenta sunt accensendae medicorum attestationes de morbo aliquo, quem hereditarium vel atavicum vocant, si eo actor, praesertim ante susceptos sacros ordines, laboraverit.

Documenta autem privata communiter sunt epistolae ab actore scriptae ad parentes vel ad alios, scilicet ad praepositos et ad amicos ante sacram ordinationem.

59. - Utriusque generis documenta aliquando actor sponte exhibet, sed aliquando iudicis erit ea auctoritate sua perquirere, et super iis actorem vel testes in examine interrogare. Si actor aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito sacrae ordinationis defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti traditio facienda sit (can. 1824).

61. - § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem perinde ac attestatio seu confessio extraiudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 54.

60. - Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris sacrae ordinationis aut actoris, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

Caput XIII. — **De indiciis et praesumptionibus**

XIII. *Indicia et praesumptiones.*

62. - § 1. Sacra ordinatio praesumitur valide recepta, nisi contrarium probetur.

§ 2. Ad declarandam vero nullitatem sacrorum ordinum in casu de quo agitur, requiritur ut defectum intentionis adfuisse probetur.

63. - Iudicis et defensoris sacrae ordinationis officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere nullitatis sacrae ordinationis probationes, et, si agatur de onerum nullitate, cuinam asserta coactio tribuenda sit, quod est res magni momenti, et praeterea facta et circumstantias inquirere, quae vim vel metum indicant ac determinant.

64. - Externa vitae clerici ratio et circumstantiae, ex quibus ad defectum intentionis vel voluntatis adstruendum argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesumptionibus* appellatur. Indicia et praesumptiones possunt esse *levia, gravia* et *gravissima*, pro minore vel maiore necessitudine cum nullitatis sacrae ordinationis vel onerum causa.

Caput XIV. — **De ratihabitionis defectu comprobando**

XIV. *Quaenam ratihabitio attendatur.*

65. - Intentio accusatoris erit per sententiam excludenda non solum quando probationes desint circa assertum defectum intentionis aut circa illatam coactionem alteriusve vitii exsistentiam consensum afficientis; verum etiam, si lis tantummodo super nullitate onerum versetur, metu aut alio consensus vitio exsistente, quando ex actis et allatis praesumptio oriatur seu probatio, adfuisse in casu recepti ordinis ratihabitionem (can. 214). Haec quidem habetur cum quis, cessante metu aut alio vitio consensum afficiente, ratam habet sacram ordinationem cum adnexis oneribus, intendens, etiam tacite per exercitium sacri ordinis, se obligationibus clericalibus subiicere, quas non suscepisse saltem confuse percepit.

66. - Ratihabitio non praesumitur pendente causa nullitatis; attamen, hac iudicialiter definita per sententiam, quae declara-

tioni nullitatis refragetur, aut per non interpositam appellationem aut per absolutam appellationis instantiam, ipsius ratihabitionis praesumptio exsurgit, si clericus vel sponte et libenter resumat sacri ordinis exercitium, vel in eo rite exercendo perseveret, quin suam libertatem acquirere conetur, cum id assequi ei haud difficile foret, ex eo quod non obstent impedimenta seu incommoda.

67. - Sed haec quoque praesumptio destrui potest contrariis indiciis aut probationibus, quae clare manifestent ratihabitionis voluntatem nullimode adfuisse, non obstante externa quadam factorum seu circumstantiarum specie.

Caput XV. — De examine physico actoris

XV. *Physicum actoris examen.*

68. - Ad explorandum actorem physice, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979 § 1) qui, praestito iureiurando, de munere fideliter implendo et de secreto servando monendi erunt, ut artis praesidiis utantur ad dignoscendum statum actoris, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta, quae sacrorum ordinum vel onerum validitatem ex defectu mentis in actore adstruere aut excludere videatur.

Caput XVI. — De processus conclusione

XVI. *Conclusio processus.*

69. - § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius sacrae ordinationis defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc audito actore.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente perpendat, actoris ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam haud absoluta aut contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, audito sacrae ordinationis defensore, actorem aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declaranda sunt, exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat, sacrae ordinationis defensor actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum regularum (cf. in Appendice n. XXV).

Varia post clausum processum praestanda.

70. - § 1. Clauso processu, sacrae ordinationis defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debet,

in primis animadvertens an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde iudex, iuxta can. 1993 § 1, ad *disciplinae tramitem*, proferat sententiam de sacrae ordinationis vel saltem onerum eidem inhaerentium validitate aut nullitate, prae oculis habito in hoc secundo casu canone 214; et quidem, non constituto trium iudicum tribunali collegiali requisito a can. 1576 § 1 n. 1 in processibus iudicialibus, ipse, qui processum instruxit, pronunciet de merito petitionis actoris, expositis rationibus tum iuris tum facti.

Praeterea, si non ipse Episcopus sed alius vices gerens processum instruxerit, hic det suum votum circa meritum quaestionis, quod votum addendum erit processui.

§ 3. Neque iudex addere omittat parochorum attestationes de honestate, religiositate et veridicitate testium; itemque per se de testibus sacerdotibus sacram Congregationem edoceat. Quo vero ad parochorum attestationes, si quid habeat quod animadvertat, referat.

§ 4. Demum acta omnia una cum voto scripto Episcopi (can. 1985), vel sede vacante, Vicarii Capitularis vel Administratoris Apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices gerentis (can. 429 et 431), et defensoris sacrae ordinationis, transmittantur ad H. S. Congregationem.

Regulis praecepta obtemperatio. Quid si non nullae non sint observatae?

71. - Praesentes regulae in instruendis eiusmodi processibus semper erunt adamussim observandae, et si quando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de hac re rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

72. - His regulis obtemperatio Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum erit, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito sacrae ordinationis defensore, removere. Si quando his remediis fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

Transmissio actorum.

73. - § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642) transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§. 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad H. S. C. transmittere, Curiae fas erit exhibere ipsa acta originalia, dum-

modo fuerint exarata latino, vel gallico, vel italo sermone, atque iis cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

Causae bis ex officio tractantur.

74. - § 1. *Probe sciant et animadvertant R.mi locorum Ordinarii huiusmodi causas « ex officio » pertractari tum penes dioecesanam Curiam, cum apud H. S. C., quae procedit iuxta proprium stylum, praehabitis solummodo R.morum Consultorum votis.*

Summa pro expensis deponenda.

§ 2. *Iidem locorum Ordinarii praeterea moneant actorem aliquam summam, ad minus quingentarum libellarum, deponendam esse im arca ipsius S. C. pro expensis solvendis, antequam eidem transmittantur acta processus.*

Dies (9 iun. 1931).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 9 Iunii 1931.

† M. Card. LEGA, Ep. Tusculan., *Praefectus.*

L. ✠ S.

D. JORIO, *Secretarius.*

II.

APPENDIX SEU FORMULAE (1)

PRAECIPUORUM ACTORUM UTILITER ATQUE OPPORTUNE HIS IN CAUSIS ADHIBENDAE.

I. — MONITUM

Gravis sanctio sententiae pronunciatae sine fundamento pro nullitate.

Illud alte insidere debet in animo iudicis et testium ac praesertim partis declarationem nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium postulantis, videlicet, si res aliter se habeat ac ab actore asseritur, idest, si sacra ordinatio aut onera eidem adnexa in suo robore ac firmitate consistant, et veritas in processu non detegatur vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partis et testium, *declarationem nullitatis forte pronunciatam, utpote suo fundamento destitutam, nullius esse valoris:* quodsi nihilominus actor audeat se sacro vinculo solutum existimare atque ad saecularia vota transire, bene perspectum habeat se sacrilegiorum ac censurarum paene inextricabilibus vinculis implicari. Hoc proinde est solemniter praemonendum *ab ipso Ex.mo Episcopo (si ipse processum peragat, secus a Iudice instructore)* antequam iusiurandum

---

Usus formularum pro altis sacris ordinibus

(1) Documenta in hac Appendice relata casum moderantur ordinis presbyteratus; sed, congrua congruis referendo, eadem valere dicendum est etiam pro ceteris sacris ordinibus.

praestetur, et animo reputandum ab omnibus, qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a parte, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.

II. — SUPPLEX LIBELLUS ACTORIS

Formulae.

Supplex libellus actoris.

Beatissime Pater,

N. N., filius..., conditione..., e dioecesi..., natus die..., domicilium habens..., et munus modo exercens..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, quae sequuntur exponit.

Annum agens... in Seminario... collocatus fuit, ut studia... perageret. Ibi manens, assiduis suasionibus, instigationibus contra suam voluntatem, ut studia conficeret sacra, a parentibus impulsus fuit, ea ratione ut sacrum exinde susciperet presbyteratus ordinem. Quamvis ipse omnem moverit lapidem ut sacros ordines declinaret... importunis tamen precibus, suasionibus, instigationibus et minis... ad eosdem sacros ordines suscipiendos coactus, hos suscepit invitus, quin coactioni obsistere potuerit.

Iisdem initis ordinibus, per annos... ipsos exercuit, munus gerens... quin tamen onerum susceptionem ratam habuerit uti par esset, bonumque exemplum praebuerit. Exinde sentiens se nullimode oneribus in sacra ordinatione susceptis satisfacere posse, de petenda declaratione nullitatis sacrae ordinationis vel onerum sacris ordinibus adnexorum ob allatas causas cogitavit. Ad hanc autem nullitatem demonstrandam testium elenchum, exhibet ». — [Hunc libellum, a S. C. ad Ordinarium exinde transmittendum, actor particularibus circumstantiis, si opus fuerit, additis, fusius, nec tamen sobrietate posthabita, conficere poterit].

Et Deus, etc.

Datum..., die... mense... anno...

N. N. (Subscriptio facienda manu ipsius actoris).

III. — LITTERAE ORDINARII AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM POST PERACTAM HUIUS IUSSU PRAEVIAM INQUISITIONEM CUM SUO VOTO.

Litterae Ordinarii ad S. C. post praeviam inquisitionem.

E.me ac R.me Domine,

Transmitto ad E.m Vestram Rev.mam adnexum libellum et documenta ex praevia inquisitione habita circa petitionem sa-

cerdotis *N. N.* Beatissimo Patri exhibitam, et fidem facio testes extraiudicialiter auditos fidem mereri. Mihi videtur easdem oratoris preces probabili fundamento inniti, saltem quod spectat onerum nullitatem, attentis circumstantiis antecedentibus... concomitantibus... et subsequentibus... assertam actoris coactionem in susceptis sacris ordinibus et ratihabitionis defectu. Mea proinde opinio haec est...

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum... ex Curia... die... *N. N.*

[Hisce Ordinarii litteris receptis, S. C. eidem praebere solet facultatem conficiendi iudiciali forma processum, sive etiam oeconomica forma, prouti circumstantiae requirunt, iuxta canonem 1993].

Subdelegatio et officialium deputatio.

IV. — ACTUS SUBDELEGATIONIS PERACTAE AB ORDINARIO ET DEPUTATIONIS OFFICIALIUM.

Cum E.mus ac Rev.mus Dominus..., S. R. E. Card. Praefectus S. C. de disciplina Sacramentorum, litteris datis die..., Nos instructos fecisset de mandato ab eadem S. C. Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, servatis normis can. 1995 et seq., et Instructione a Sacra Congregatione die 9 Iunii 1931 edita pro asserta ab actore coactione in susceptis sacris ordinibus, expresse addita potestate subdelegandi; Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum iudicem subdelegamus Rev.mum *D. N.*, qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis iuris canonici et iuxta citatam Instructionem, necnon iuxta peculiares normas pro hac causa datas ab eadem S. C. Simul autem eligimus ac deputamus:

Defensorem sacrae ordinationis R. D. *N.*

Actuarium R. D. *N.*...

Datum... ex aedibus Nostris, die... mense... anno...

N., Episcopus.

L. ✠ S. *N.*, Cancellarius.

[Si gravitas causae vel alia difficultas id suadeat, eodem decreto, vel in causae decursu, simili forma eliguntur, qui vice iudicis subdelegati fungatur, necnon defensor sacrae ordinationis et actuarius *substituti*].

V. — TRIBUNALIS CONSTITUTIO

Tribunalis constitutio.

Dioecesis *N.*

Nullitatis sacrae ordinationis vel onerum ei adnexorum

Sessio I

Anno Domini..., mense..., die..., hora..., in urbe..., in aedibus..., adsunt:

Iudex subdelegatus Rev.mus D. *N.*

Defensor sacrae ordinationis Rev. D. *N.*

Actuarius Rev. D. *N.*

Rev.mus Iudex communicat:

1) Litteras S. C. de disciplina Sacr., datas die..., quibus Ordinario *N.* committitur instructio processus in causa nullitatis sacrae ordinationis, vel onerum in sacra ordinatione susceptorum a sacerdote *N. N.*

2) Litteras Rev.mi Ordinarii *N.*, datas die..., quibus *(nisi ipse per se gerat suum munus)* subdelegat officium iudicis eidem Rev.mo D. *N.;* nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem sacrae ordinationis Rev. D. *N.*..., et ut actuarium, Rev. D. *N.*.

3) Supplicem libellum *N.*, pro instituendo processu.

Tunc Iudex instructor *(nisi sit ipse Episcopus,* cf. *Regulas,* n. 11*)* ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis qua exstant in Appendice *Regularum* S. C. (v. infra nn. VI, VII et VIII).

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii.

Item Iudex constituit mensem... diem..., horam..., et aedes... pro tribunalis proximo conventu, in quo actor examini subiicietur, mandans ut idem citetur; ac D. *N.* deputat ut cursorem, qui schedas citationis deferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Rev.mo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.

Loco, die, mense et anno ut supra.

N., Iudex subdelegatus.
N., Defensor sacrae ordinationis.
N., Actuarius.

Iusiurandum iudicis subdelegati.

VI. — IUSIURANDUM PRAESTANDUM A IUDICE SUBDELEGATO.

Ego *N.*, a Rev.mo D.no Ordinario *N.*, subdelegatus iudex instructor *(vel deputatus ut vices geram iudicis instructoris)* in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum a sacerdote *N.* susceptorum, iuro me officium iudicis instructoris rite ac fideliter impleturum, servatis quantum per me fieri poterit, praescriptionibus Cod. iur. can.. ac potissimum *Regulis* a S. C. de disciplina Sacramentorum editis, quavis personarum acceptione posthabita, et secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.

Iusiurandum defensoris.

VII. — IUSIURANDUM DEFENSORIS SACRAE ORDINATIONIS.

Ego *N.*, a Rev.mo Domino Ordinario *N.* defensor sacrae ordinationis legitime deputatus *(vel defensor substitutus)*, pro instruendo processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum ei inhaerentium sac. *N. N.*, iuro me, munus mihi collatum diligenter incorrupte expleturum, iuxta prascriptiones Cod. iur. can. et *Regulas* a S. C. de disciplina Sacramentorum editas; et omnia voce ac scriptis prolaturum, quae ad validitatem sacrae ordinationis huiusque onera tuenda, conferri poterunt, posthabito omni humano respectu, atque officii mei secretum religiose servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

Iusiurandum aliorum officialium.

VIII. — IUSIURANDUM AB ALIIS OFFICIALIBUS PRAESTANDUM.

Ego *N.*, iuro me munus actuarii *(seu actuarii substituti)* in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum ei inhaerentium sac. *N. N.* mihi ab Ill.mo et Rev.mo Domino Ordinario *N.*, commissum, rite ac fideliter, iuxta praescriptiones Cod. iur. can. atque *Regulas* S. C. de disciplina Sacramentorum. in omnibus expleturum, et de rebus, quas ratione mei officii cognovero, secretum omnimode servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

Decretum pro citatione actoris

IX. — DECRETUM PRO CITATIONE ACTORIS

Anno Domini..., die... mensis..., in aedibus palatii episcopalis..., coram Rev.mo D. *N.* defensore sacrae ordinationis, meque infrascripto actuario;

Visis litteris Sacr. Congr. de disciplina Sacramentorum diei..., quibus R.mo Ordinario... facultas tribuitur conficiendi

processum super nullitate sacrae ordinationis *N. N.* vel onerum in sacra ordinatione susceptorum;

Attentis litteris Rev.mi Ordinarii... diei, quibus Rev.mum *N.* subdelegat ad eiusmodi processum instruendum;

Idem Iudex subdelegatus, audito sacrae ordinationis defensore, ad examen actoris procedendum esse decrevit ideoque dictum actorem citari mandat, ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius sacri Tribunalis, in via..., num..., anno..., mense..., die..., hora..., ut examen subeat in causa a se intenta.

Simul nuncium dat defensori sacrae ordinationis ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata actori proponenda; atque ut examini loco, die et hora ut supra, intersit.

Loco, die, mense et anno ut supra.

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

Pertes actuarii.

[De his quae mandat et iubet iudex, in actis actuarius referat; et hoc semel pro semper advertisse sufficiat.

Similiter, mutatis mutandis, conficitur decretum pro citationibus testium.

Citati testium.

Insuper iudex mandat, ut interea a parocho actoris, ac testium qui sunt excutiendi, sin minus a Curia, exquirantur litterae testimoniales seu documenta, quibus, accuratiore, quo fieri possit, modo et sub secreto, significentur notae de honestate, religione et veracitate ipsius actoris ac testium, necnon alia referantur, quae necessaria et opportuna ad eorumdem depositiones aestimandas videantur].

Exquirendae litterae de probitate, etc. actoris et testium.

Litterae Iudicis ad parochum actoris.

X. — LITTERAE IUDICIS AD PAROCHUM ACTORIS PRO INFORMATIONE SUPER PROBITATE ET CREDIBILITATE IPSIUS ET TESTIUM.

(*Sub secreto*)

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum diei..., mensis... atque anni... et ex subdelegatione Rev.mi Ordinarii huius dioecesis, in hoc Tribunali instruatur causa super nullitate sacrae ordinationis vel onerum in sacra ordinatione susceptorum a sac. *N. N.*, necesse est, ad normam *Regularum* eiusdem S. C. diei 9 Iunii 1931, ut sedulo investigetur et legitimum testimonium praebeatur de eiusdem ac testium qui inducuntur credibilitate.

Quapropter infrascriptus Iudex instructor in eadem causa, praesentibus mandat R. D. *N.* parocho, ut pro pastoralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirat, et distincte huic Tribunali significet notas de religione et honestate dicti sacerdotis ac testium qui inducuntur, videlicet...: an praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant, et an eis credi debeat, etiam cum deponunt de rebus, quae ipsorum intersunt.

Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de omnibus aliis, quae ad ipsius actoris ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut plenum testimonium ad praefatam Sacram Congregationem transmitti possit, circa rem de qua iudicium instituitur.

Quod si testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones peragat, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum, vel alius prudentis personae sibi bene visae, et quidem sub secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Datum ex aedibus... die... mense... anno...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius

Quid si testes et actor sint in diversis paroeciis vel si magis alibi cogniti. Testimonium de fide peritorum.

[Si testes et actor in diversis paroeciis commorentur, horum parochi sunt rogandi.

Quod si actor ac testes, potiusquam ubi in praesentiarum degunt alia in paroecia magis cogniti fuerint, informationes ab illo parocho opus est exquirere, vel etiam ab utroque parocho utriusque commorationis.

Quoad etiam peritos, si quidem eis opus erit, et ipsi probitatem quidem et credibilitatem praeseferre debent ac proinde etiam testimonium erit exquirendum de fide eis praestanda].

Informatio parochi respondentis.

XI — INFORMATIO PAROCHI

(Specimen responsionis a parocho dandae, si informationes sint respective actori aut testibus favorabiles, factis in textu litterarum necessariis mutationibus, pro subiecta materia).

Quod attinet ad informationes a Rev.mo Iudice instructore in causa... expetitas litteris diei..., infrascriptus parochus Ecclesiae *N.* pro suo munere respondet, se *N.*, actorem, in finibus huius paroeciae commorantem, pluribus abhinc annis cognitum habere; ac praesentibus litteris (quatenus sibi constiterit), spondet eumdem religione et honestis moribus imbutum esse,

ac bona existimatione gaudere, ita ut de veritate in testimonio perhibendo dubitari nequeat [vel etiam, iis dotibus deficientibus, talis sit, ut mendacio haud obnoxius existimetur]. Quibus attentis, actor incapax periurii putatur, et credibilis apparet quoad assertiones suas. Ceterum cum idem parochus, occasione porrecti libelli pro huius causae introductione, rogatus a Rev.mo Ordinario, investigationes peregerit, et cum praefato sacerdote colloquutus fuerit, censuit eumdem sincerum et veridicum esse.

In fidem.

Ex paroecia..., die... mense... anno...

L. ✠ S. *N.*, Parochus.

[Ex adverso, si informationes non sint favorabiles, parochus iis utatur verbis, quae a veritate minime deflectant, quaeque prudentia pro diversis casibus suggeret.

Si parochus actorem vel testes vel peritos non probe noverit, neque certas de iisdem informationes aliunde, pro sua conscientia, colligere queat, idipsum iudicem in sua responsione, adductis rationibus, aperte doceat.

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas, per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret].

XII — LITTERAE IUDICIS AD ORDINARIUM (QUOTIES HIC NON SIT IUDEX, ET EIUS OPERA UTILITER POSTULETUR) PRO EXQUIRENDIS INFORMATIONIBUS.

Litterae iudicis ad Ordinarium pro informationibus.

Ill.me ac Rev.me Domine,

In causa nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem adnexorum *N. N.*, quae ex subdelegatione facta ab A. T. die..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus actoris (*vel testium... vel peritorum...*) apposite rogatus, responderit se eum *vel testes... vel peritos...*) haud bene cognitum sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit; A. T., pro sua ampliore auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate actoris (*vel testium vel peritorum*), ita ut depositiones seu relationes tuto aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum..., die... mense... anno... Addictissimus famulus

N., Iudex subdelegatus

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

XIII — LITTERAE ORDINARII AD ALIENAE DIOECESIS IUDICEM UT EXTRAORDINARIAE INFORMATIONES COLLIGANTUR.

Litterae Ordinarii petentes extraordinarias informationes.

(*Sub secreto*)

Ill.me ac Rev.me Domine,

Cum ex facultate S. Congr. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam sacerdotis *N.*, instruatur causa super nullitate eius sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, cumque Nobis non satis constiterit de religione et probitate vitae, nec non de personarum ac rerum adiunctis, et contra noverimus tibi praefatum sacerdotem (*vel testis aut periti personam*) cognitum esse, praesentibus te litteris rogamus ut, pro caritate et obsequio, quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dicti sacerdotis (*vel testis vel periti*), praesertim in iudiciali et iurata relatione circa assertum... (v. g.) metum, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide dignus habendus sit necne.

Interim, etc.

Datum..., die... mense... anno...

N., Ordinarius.

L. ✠ S. *N.*, Cancellarius.

Citatio actoris.

XIV — CITATIO ACTORIS

De mandato Rev.mo *N.*, Iudicis instructoris in processu de nullitate sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, actor *N. N.* in causa, personaliter compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via..., num..., anno..., mense..., die..., hora..., ut iuratum examen subeat in causa a se intenta.

Datum..., ex aedibus..., die... mense... anno...

N., Iudex.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

[Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori remittendum actori, iuxta praescriptum can. 1717; alterum asservatur in actis et in calce eiusdem cursor refert ea quae peregit].

XV — RELATIO INTIMATIONIS A CURSORE PERACTAE FACIENDA IN EXEMPLARI IN ACTIS ASSERVATO.

Intimatio a cursore facienda.

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Rev.mae Curiae Episcopalis *N.*, hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis secerdoti *N. N.*, in ipsius domicilio, via..., num..., tradendo praefatum exemplar manibus eiusdem (vel personae de eius familia aut famulatu) et ad normam can. 1721.

In fidem, etc. Die... mense... anno...

N., Cursor deputatus.

[Similiter exaratur scheda citatoria et fit relatio intimationis pro aliis in ius vocandis].

XVI — DEFENSOR S. ORDINATIONIS EXHIBET INTERROGATORIA ACTORI PROPONENDA.

Exhibitio interrogatoriorum.

Infrascriptus *N.*, in causa nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, defensor vinculi legitime deputatus, exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata et nonnisi in actu examinis a ludice aperienda, atque instat ut super iisdem examinetur actor *N.*, in causa a se intenta, servata forma a iure statuta; alioquin protestatur, etc.

Haec cum facultate alia addendi, delendi, corrigendi, etc.

Datum..., die... mense... anno...

N., Defensor sacrae ordinationis.

[Item exhibentur interrogatoria pro examine testium ac peritorum].

XVII — IUSIURANDUM PRAESTANDUM AB ACTORE AC TESTIBUS DE VERITATE DICENDA.

Iusiurandum actoris et testium.

[Iudex gravibus verbis actorem ac testes antea moneat de sanctitate iurisiurandi et de gravissimo delicto quod admittunt peieratores ostendens peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et *periurii funestissimos effectus*, et, prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periurii noxii fiunt in foro Ecclesiae, quaeque recoluntur in cap. VII *Regularum* sub n. 31].

[Deinceps iudex actorem vel testem alloquitur]:

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis, tactis sanctis Evangeliis, sequenti formula:

Ego *N.* iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eamdem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter ipsam expositurum, quin aliquid addam, omittam vel immutem. Sic me Deus adiuvet, etc.

Examen actoris.

XVIII. — EXAMEN ACTORIS

Sessio...

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini..., mense..., die..., hora..., in urbe..., in aedibus..., coram, R. D. *N.*, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. *N.*, defensore sacrae ordinationis, et infrascripto actuario, comparuit D. *N.*, actor in causa receptae sacrae ordinationis, pro hac die et hora rite citatus.

Iudex eumdem in primis monet, quod in re tanti ponderis, quoties ea quae adducuntur haud veritati sunt consentanea, declaratio nullitatis sacrae ordinationis vel onerum huic adnexorum taliter obtenta, nullum sortitur effectum (iuxta *Monitum* in Appendice relatum n. I); deinde iusiurandum ab actore petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptum *(prout sub n. XVII)*.

Deinceps, postulante defensore sacrae ordinationis, Iudex schedam, quam idem defensore clausam exhibuerat, continentem interrogatoria oratori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen actoris, qui ad singulas quaestiones respondet ex ordine, ut sequitur.

Interrogationes generales

Iudex actorem interroget circa suum nomen, cognomen, nomen parentum, aetatem, conditionem familiae, dioecesim, cui inscriptus est, domicilium (urbem, viam, paroeciam), et locum hodiernae commorationis.

Tum Iudex mandat actuario ut legat, pro norma actoris, nomina iudicis et ministrorum tribunalis.

Deinde prosequitur:

Interrogationes particulares actori faciendae

1. Utrum confirmet necne supplicem exhibitum libellum in singulis partibus?

2. Ubinam studia peregerit, et an in Seminarium ingressus sit libera voluntate; qua aetate, quo tempore, quamdiu in ipso permanserit, et an propositum revera haud habuerit statum clericalem ineundi.

3. Quaenam fuerit causa incitamentorum, saevitiarum, vel coactionis, pro eodem clericali amplectendo statu, et a quibus incitamenta, saevitias, vel coactionem passus sit.

4. Quinam fuerint specifici actus eorumdem incitamentorum et coactionis, praesertim tempore proximo sacrae ordinationi.

5. Quaenam indoles parentum et sua.

6. Quaenam ipse peregerit ut coactionem vitaret per se, et an opera aliorum ad hunc finem sit usus, et quinam isti.

7. Num in Seminario degens, studiis theologalibus libenter operam dederit et an fuerit impeditus quominus alia studia perageret, et a quibus.

8. Num sive in Seminario sive extra defectum suae voluntatis pro suscipiendis sacris ordinibus, vel aversionem patefecerit, quando et quibus.

9. An ipse, deficiente voluntate sacros suscipiendi ordines, id Seminarii Superioribus, Ordinario, vel spiritus moderatori (qui tamen eius confessarius non fuerit) manifestaverit, et quatenus negative, cur suam contrariam voluntatem ei non significaverit: quinam iste fuerit.

10. Quando accesserit ad sacrum ordinem subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus; qualem revera interius habuerit animum in actu sacrae ordinationis; et an communis iucunditatis tunc particeps fuerit.

11. An officium recitaverit divinum, et Missam celebraverit, vel etiam alio modo sacrum ministerium exercuerit.

12. Num contentiones adfuerint, et quales in specie, inter ipsum et parentes, aliosque, qui eum impellere potuerint ad suscipiendos sacros ordines, et num notae in loco ubi idem degebat, et quinam sint qui eas confirmare valeant.

13. Num ipsi etiam nota fuerint ante sacrorum ordinum susceptionem onera eis inhaerentia, ac praecipue quae coelibatus lex exigat.

14. Quomodo sese gesserit post sacerdotium initum, et quae ministerii officia peregerit, quoties, quomodo, quanto tempore, et quibus in locis.

15. Num sacri ministerii exercitio rata habere sacrae ordinationis onera intenderit. An sibi praesto sint documenta exhibenda; uti litterae a parentibus vel ab aliis scriptae ante susceptos sacros ordines, ad confirmandam illatam coactionem.

16. Quosnam alios testes ipse praeter exhibitos in elencho inducat sive consanguineos, sive affines, sive familiares, vel extraneos, qui de cunctis circumstantiis certiores facti, plene et sincere referre possint.

17. An unquam contra sacram ordinationem et huius adnexa onera reclamaverit; et unde factum sit ut causae introductionem aut continuationem ad haec usque tempora distulerit.

[Exinde contestationes peragendae, si opus erit, inter ea quae actor asseruit, atque illa quae ipse in supplici libello retulit].

Absoluto examine, de mandato ludicis integra depositio clara voce legitur actori, et ludex eumdem interrogat:

An habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Dein petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. infra n. XIX).

Ac, praestito iuieiurando, subscribunt actor, iudex, defensor vinculi et actuarius.

N., Actor.
N., Iudex instructor.
L. ✠ S. *N.*, Defensor sacrae ordinationis.
N., Actuarius.

[*Adnotatio.* — Quoties alicuius sacerdotis sacra peracta sit ordinatio post Instructionem, quae a Sacra Congregatione de Sacramentis edita fuit 27 Decembris 1930, idemque contendat se gravi coactum metu sacros suscepisse ordines, ea ordinato erunt obiicienda, quae de pandita ab ipso voluntate iurata et scripta declaratione confirmavit. Ii pariter erunt interrogandi, qui examinibus adfuere, iudiciumque pro sacra actoris ordinatione emiserunt].

Iusiurandum de veritate et de secreto.

XIX. — IUSIURANDUM DE VERITATE DICTORUM ET DE SECRETO SERVANDO.

Ego *N.* iuro me solam ac totam veritatem dixisse, et nunquam antequam praesens causa penitus absolvatur, evulgaturum sive propositas interrogationes, sive responsiones datas. Sic me Deus adiuvet, etc.

XX. — IUSIURANDUM AB INTERPRETE PRAESTANDUM

Iusiurandum interpretis

Ego *N.*, a Rev.mo ludice in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium sacerdotis *N. N.* deputatus interpres, iuro me dictum munus fideliter impleturum, acta et documenta processus de verbo ad verbum diligenter et adamussim reddendo, ac simul secretum de omnibus quae in processu acceperim, servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXI. — IUDICIALE EXAMEN PARENTUM ACTORIS

Examen parentum actoris

[Cum praeterea super iis, quae actor in suo examine deposuit, sit ex testibus, quos iudex satis instructos reputaverit, percontandum, ut exinde illius assertiones aut confirment, aut corrigant, aut respuant, referantque utrum facta asserta sibi sint nota, formali examini, adstante sacrae ordinationis defensore, erunt ipsi subiiciendi, atque in primis *parentes et affines actoris*, a quibus haec erunt exquirenda, praehabito iuramento ac delato monito de quo in Appendice n. I].

1. Interrogandus pater, vel mater, circa nomen, cognomen, originem, aetatem, religionem, conditionem familiae, et domicilium.

2. Quot filios et filias genuerint: quae fuerit indoles actoris et quae exstiterit eius propensio ad clericalem ineundam vitam.

3. Num ipsi eum impulerint ad eumdem finem ut Seminarium ingrederetur, quamvis contrariam suam voluntatem patefecerit.

4. Quomodo ipsum illexerint ut sacrae theologiae studiis incumberet, et ad sacros ordines accederet.

5. Quaenam fuerint adhibitae ab ipsis sollicitationes, instigationes, vel minae, et quoties: an istae usque ad sacram ordinationem fuerint productae.

6. Num ipsi aliorum etiam operam adhibuerint ad flectendam filii voluntatem pro ineundo sacerdotio; et quaenam ad hunc finem experti sint.

7. Num certiores facti fuerint ab aliquo de voluntatis defectu filii, et quinam hi sint; an pertinaciter impulerint eum; an a filio scriptis de voluntatis carentia edocti fuerint an eadem servent, quo casu ea exhibeant.

8. Num ipsi Seminarii superiores vel ipsum Episcopum sollicitare studuerint et quomodo, ut filius in sacerdotium reciperetur; et an sciant excommunicatione ipso facto plecti eos, qui quoquo modo filios ad sacros ordines suscipiendos cogant iuxta can. 2352.

9. Num sacra properante ordinatione filius contrariam suam voluntatem manifestaverit et quomodo.

10. Num eidem renuenti ad sacros ordines accedere restiterint et quomodo.

11. Quaenam ipse in sacra ordinatione signa praebuerit, an scilicet laetitiae vel displicentiae; et quaenam indicia pariter ostenderit post peracta primitus solemnia, laetantibus aliis.

12. Num ipse postea, susceptis sacris ordinibus, acquieverit, vel negligens in sacro ministerio exercendo exstiterit, Missam litare vel officium recitare omittens, atque aversionem in his ostenderit.

13. Num profano more vitam degere cooperit, aliisque studiis incubuerit.

14. Num ipsi minas eidem ante sacrorum ordinum susceptionem illatas, videlicet exheredationis, derelictionis, eiectionis e domo et eiusmodi, exsecutioni mandaverint vel exsecutioni mandare intenderint.

15. Num pravam aliquam consuetudinem fovere coeperit ordinatus sive ante sive post sacram ordinationem susceptam, et usque dum in sacerdotio permanserit.

16. Num sacrum ministerium exercuerit timore ipsorum pressus, quomodo, et quanto tempore.

17. An in familia infirmitatis alicuius indicia sive mentis sive pravorum morum adfuerint, atque an aliquid adsit, quod atavismum redoleat.

18. [Heic contestationes, si opus fuerit, peragendae erunt inter ea quae actor asseruit, atque illa quae a parentibus fuere prolata, si dissona ipsorum testimonia appareant].

19. An ordinum sacrorum exercitio ratam ipse habere intenderit sacram ordinationem; et cur in eodem exercitio perrexerit.

20. His absolutis interrogationibus, ad plene suum absolvendum munus, alias iudex ex officio interrogationes peragat, ab expletis responsionibus eruendas.

Absoluto examine, etc. uti in n. XVIII.

Citatio testium ab actore inductorum.

XXII. — DECRETUM CITATIONIS TESTIUM AB ACTORE INDUCTORUM

Rev.mus *N.*, Iudex instructor in causa..., audito sacrae ordinationis defensore, testes ab actore inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari videlicet:

1. *N.* (patrem eiusdem actoris).
2. *N.* (matrem, etc.).
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...

.....

Datum..., die... mense... anno...

N., Iudex instructor.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

[Praeter autem testes ab actore inductos, necesse prorsus est alios ex officio induci.

Alligentur litterae testimoniales, quae obtentae sint circa testium excutiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, uti in causis matrimonialibus, mutatis mutandis, et similiter fiat intimatio].

XXIII. — IUDICIALE EXAMEN TESTIS *N.*, AB ACTORE INDUCTI

Iudiciale examen testis.

Sessio...

Servantur formae ut pro examine actoris. Iudex testi defert monitum, de quo in Appendice n. I, ac iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia : 1. Testis interrogatur circa nomen, cognomen, nomen parentum, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis actoris, et quo gradu.

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit actorem.

4. Quaenam sit ipsius indoles et an mereatur fidem in iis quae ipse protulit.

5. Quinam fuerint mores eiusdem et propensiones ad studia.

6. Num ab eo edoctus fuerit, et quando, ipsum coactionem a parentibus vel ab aliis passum esse.

7. An parentes ipsos testis noverit, horum conditionem, artem quam exercent et exploratam habuerit eorum indolem et agendi rationem erga actorem.

8. An in Seminario degens actor, pietatis indicia exhibuerit et ad sacram confessionem et sacram Synaxim saepe et devote accesserit.

9. Num ad sacros peragendos ritus se prodivem exhibuerit.

10. Quibus potissimum studiis in Seminario fuerit deditus; num inhonestos sermones proferre solitus fuerit.

11. Num ad sacra exercenda ministeria alienum se praebuerit, et contrariam voluntatem ostenderit in suscipiendis sacris ordinibus.

12. Quaenam ipse peregerit ut eos vitaret.

13. Num in Seminario commorans demissionem et obsequium superioribus exhibuerit.

14. Num familiaritates inhonestas foverit, scripta exaraverit minus honestati consona, et clericalem habitum invite gestare visus sit.

15. Num pravis perlegendis libris fuerit deditus, sacraque studia neglexerit seu fastidiverit.

16. Num, in loquendo, de Ecclesia eiusque doctrina ac de ipsius rectoribus detraxerit.

17. Num in Seminario punitionibus ob pravam ipsius agendi rationem fuerit affectus; vel alios ad prava illexerit.

18. Num ad profana capienda oblectamenta se pronum manifestaverit, iis posthabitis, quae ad pietatem fovendam inserviunt.

19. Quaenam sit publica de ipsius vocatione opinio.

20. Num per se vel ab aliis testis sciverit parentes eum ad sacerdotium ineundum coegisse, quando, quanam de causa, et quinam hi sint.

21. An circumstantias noscat de illata coactione et quaenam fuerint.

22. An revera parentes talis fuerint severitatis, ut merito timeri posset ipsos minas esse exsecuturos, et an actor indolis adeo timidae et pusillanimis exstiterit, ut eiusmodi minis aut saevitiis deterritus, ad sacros ordines, gravi metu coactus, accesserit, quin eas vitare potuerit.

23. An ordinationis sacrae tempore ipsum moerentem aspexerit et quomodo.

24. An ex ipso sciverit ante sacram ordinationem eundem fore huic consensum suum denegaturum.

25. An in sacra ordinatione vel ea expleta, iucunditatis vel moestitiae iudicia praebuerit.

26. An testis quaedam habeat documenta scripta eiusmodi coactionem onerumque ratihabitionem confirmantia et an sciat revera actorem per exercitium ordinis tacite voluisse obligationibus clericalibus se subiicere.

27. Quaenam sit modo agendi ratio actoris.

Exinde iudex integram depositionem peractam ab actore, qui testem induxit, eidem testi legi iubeat ac petat:

28. An asserta in ea depositione veritati respondere in omnibus censeat, utrum eadem ex scientia propria perspecta habeat, an potius ex suggestione actoris et utrum facta ab eo asserta sint nota aliis, et quinam hi sint.

29. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum.

30. Iudex testi alias interrogationes praeter supra allatas proponere poterit, si rerum adiuncta id requirant.

Quod si iudici non videatur opportunum integram legi actoris depositionem, se gerat iuxta *Regulas* n. 51 § 2.

Dein testi leguntur depositiones ab ipso viva voce prolatae, quas actuarius scripto redegit, ac ulterius rogatur:

31. An haec relatio responsiones redditas plene complectatur.

32. Petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. supra n. XIX).

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius.

N., Testis.
N., Iudex instructor.
L. ✠ S. *N.*, Defensor sacrae ordinationis.
N., Actuarius.

[Simili modo agendum est quoad ceteros testes qui producuntur vel ad instantiam actoris, vel *ex officio*, praesertim si in instructione processus appareat adesse aliquem vel aliquos de re bene edoctos: tunc enim iudex eos citari curabit ut examini subiiciantur, eadem servata methodo].

XXIV. — ORALE EXAMEN PERITI

Orale examen periti.

Anno, etc., coram Iudice, etc., adstantibus etc., comparuit D. *N.*, etc. (ut in aliis sessionibus).

Iudex instructor, perito defert monitum, de quo in Appendice n. I, iusiurandum de veritate dicenda et de secreto servando, ac dein reserat schedam obsignatam, ubi continentur articuli concinnati a defensore sacrae ordinationis, quos iste praesertim eruerit ex relationibus ab iisdem peritis scripto antea exhibitis, iuxta generales et peculiares circumstantias et difficultates, quae in actu inspectionis sunt quidem animadvertendae.

Praemissis interrogationibus generalibus, iudex articulos perito defert, qui esse poterunt ut infra, quibus *ex officio* alios, prout casus ferat, adiicere debet, attentis etiam dubiis et ambiguitatibus, quae ex ipso interrogatorio emerserint.

1. An perito aliqua sit necessitudo cum actore.

2. Quonam tempore et quomodo eum noverit.

3. An confirmet per omnes partes relationem, quam de medicali examine scripto exaravit.

4. An in eadem relatione aliquid addendum habeat, vel corrigendum, vel mutandum.

5. An peritus tum physicum examen tum etiam relationem seorsim ab altero perito, si exstet, confecerit.

6. Quanam via et ratione peritus in peragendo medicali examine processerit.

7. An actor aliquo morbo hereditario vel defectu laboraverit, qui influxum habere potuerit in errata electione status; et utrum curari queat, an non.

8. Quidnam peritus perspexerit de actoris temperamento et de statu psychico.

9. *(Si casus ferat):* Quomodo conciliari possit sententia periti com contraria opinione alterius periti vel doctoris.

[*Nota.* Relationes a medicis confectas iudex alterius peritioris examini subiicere poterit, si id opportunum existimaverit].

10. An, praemissa lectione depositionis, peritus aliquid habeat addendum, demendum, corrigendum, vel mutandum.

Praestito iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, sequuntur subscriptiones, ut de more.

Absoluta processus instructione, iudex, nisi opportunum duxerit actorem vel alium e testibus ad novum examen revocare contestationes peragendi causa, alliget in processu informationes parochi aut alterius idoneae personae attestationem de fide, quam actor et singuli testes merentur.

Conclusio instructionis.

XXV. — CONCLUSIO INSTRUCTIONIS PROCESSUS

In processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum sacris ordinibus inhaerentium sacerdotis *N. N.*,

Interrogatis tum actore tum testibus, qui responderunt se nihil aliud habere quod deducant; tum defensore sacrae ordinationis, qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse;

Perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritorum depositionibus, relationibus et adnexis documentis;

Cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum *voto scripto Ex.mi ac Rev.mi Episcopi*, et *defensoris* sacrae ordinationis animadversionibus ac sententia, transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Ex aedibus..., die...

N., Iudex.

L. ✠ S.

N., Actuarius.

XXVI. — TESTIFICATIO DE AUTHENTICITATE EXEMPLARIS ACTORUM

Testificatio de authentia exemplaris actorum.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius Tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fideli transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Datum... die... In fidem, etc.

N., Iudex.

L. ✠ S. *N.*, Actuarius.

ADNOTANDA

Commendatur Rev.mis Ordinariis diligentia.

Curent Rev.mi Ordinarii ne sive praevia inquisitio, quae ab hac Sacra Congregatione expeti primum solet, sive confectio processus canonici, qui ab ea in his causis exinde iubetur, diutius differantur. Saepe enim contingere solet, ut, ob nimiam in eodem praesertim peragendo processu cunctationem, testes diem obeant supremum, ac proinde magni momenti probationes deficiant, maximo cum detrimento causae: etenim actori ipso naturali iure competit, argumentis, quae proferre potest assertum ab eo intentionis defectum aut illatam coactionem aliudve vitium consensum afficiens in susceptis sacris ordinibus probare, ut ab oneribus hisce adnexis solvatur. — In transmittendis autem ad hanc Sacram Congregationem processus actis, haud profecto necesse erit omnia et singula transcribere, quae in originalibus actis fuere iuxta traditas regulas inserta, cum sufficiat ut Rev.mi Ordinarii in exhibenda scripta relatione seu voto, referant de rite constituto tribunali iuxta praestitutas normas, de citationibus rite paractis, de praestito ab efformantibus tribunal atque a parte et testibus iuramento, et de fide istis praestanda; quin proinde singula, quae in singulis sessionibus habita fuere, in exemplari transcribantur actorum ne tempus inutiliter teratur, impensaeque augeantur, modo interrogatoria et testimonia integre sint transcripta, aliaque documenta causam attingentia referantur, addito indice actorum. Nec ab Actuario ipse scribendi modus negligatur, iuxta can. 1644 § 3, ut facile in actis adducta legi possint — qui proinde plus aequo in iisdem perlegendis ob deformes litteras, tempus insumatur, neve ambiguitatibus locus fiat — atque ideo ab adeuntibus S. Sedem honor huic debitus etiam in scribendo servetur.

Facilior ratio transmittendi acta indicatur.

Actuario commendatur ipsa calligraphia.

ANNOTATIONES

I. — Instructio ista, praeter quam quod sollicitudinem S. Sedis demonstrat ut causae tanti momenti accurate examinentur, simul revelat non ita raro huiusmodi processus faciendos esse. Quare etiam probat opportunitatem Instructionis 27 dec. 1930, Huius S. Cong. de scrutinio Ordinandorum (*Per.* XX, 245) quo lamentabiles isti casus fiant rariores.

II. — Observes gravissimam sanationem nullitatis (ipso facto) sententiae qua sine fundamento ordinatio vel onera declarata sint nulla.

III. — Dum regulae sunt praeceptivae (non exclusa tamen rationabili excusatione), formulae sunt tantum ad commodiorem usum propositae.

---

35. — S. Poenit. Apostolica (*Officium de Indulgentiis*)

Decretum 20 oct. 1931

DE INDULGENTIIS PIO « VIAE CRUCIS » EXERCITIO ADNEXIS

(A. A. S., 26 dec. 1931)

DECRETUM

Dubitationem de indulgentiis pio viae crucis exercitio concessis tollere volens, S. Pontifex, in audientia 17 iul. 1931,

Pium Viae Crucis exercitium, quo iter Ss.mi D. N. I. C. a praetorio ad Calvariae locum eiusque Passionis memoria recolitur, inde a remotis temporibus ubivis Ecclesiae, magno cum fidelium spirituali emolumento, usu receptum, a Summis Pontificibus pluribus indulgentiis cumulatum fuisse nemo est qui ignorat; deperditis tamen iniuria temporum nonnullis authenticis documentis, quae et quot reapse hae sint, pro certo affirmare non licet.

Ad omnem igitur dubitationem in posterum auferendam, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, instante infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore, in audientia die 17 mensis Iulii currentis anni eidem impertita, abrogatis, suprema Sua

auctoritate, omnibus et singulis indulgentiis hac in re antea concessis, benigne decernere dignatus est ut:

abrogatis qui busvis aliis indulgentiis in hac re has decernit lucrandas a fidelibus singulis vel in comitatu, supposita legitima viae crucis erectione:

Fideles omnes qui, sive singulatim sive in comitatu, saltem corde contrito, pium exercitium *Viae Crucis*, legitime erectae, ad praescripta Sanctae Sedis, peregerint, lucrari valeant:

a) Indulgentiam plenariam toties quoties ipsum pium exercitium compleverint;

a) *Plenariam toties quoties:*

b) Aliam plenariam pariter indulgentiam si eodem die quo memoratum pium exercitium peregerunt, vel etiam si infra mensem ab eodem decies peracto ad sacram Synaxim accesserint.

b) *Alteram plenariam;*

c) Indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum pro singulis stationibus, si forte incoeptum exercitium, quavis rationabili causa, ad finem non perduxerint.

c) *Indulg. partialem.*

Huiusmodi vero indulgentias idem Ss.mus Dominus Noster ad eos quoque extendi voluit ad quos spectant peculiaria in re Decreta diei 8 Aug. 1859 (1) et 25 Martii anni curren-

Extensio ad impeditos et infirmos.

---

(1) URBIS ET ORBIS

Ut universi utriusque sexus Christifideles Passionis Domini Nostri Iesu Christi facilius memoriam agant, eodemque tempore omnes et singulas indulgentias pio ac salutari Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint et valeant, delatae fuerunt preces Summo Pontifici Clementi XIV tenoris ut infra: « Gl'infermi, i naviganti, carcerati e quelli dimoranti nelle parti degl'infedeli, o legittimamente impossibilitati di poter visitare la S. *Via Crucis*, prostrati ai suoi Santissimi Piedi supplicano la Santità Vostra della consolazione di poter guadagnare le Indulgenze delle dette Stazioni ritrovandosi negli stati delle suddette tribolazioni col recitare 14 *Pater* ed *Ave*, ed infine cinque altri *Pater* ed *Ave* in memoria della divina Passione, col tenere in mano un Crocifissetto di ottone, benedetto però da qualche Guardiano o Superiore maggiore soggetto al Padre Reverendissimo Generale di tutto l'Ordine di Aracoeli. Che della grazia, ecc. ». Quas quidem preces idem Summus Pontifex clementissime excepit ac in Audientia diei 26 Ianuarii 1773 benigne annuit pro gratia iuxta petita. Contrariis non obstantibus, etc.

Iam vero circa hanc concessionem duo exorta sunt dubia; primum scilicet: an quatuordecim tantum *Pater* et *Ave* et iterum quinque *Pater* et *Ave*, ut supra expositum est, recitanda sint, vel, iuxta formam Rescriptorum Sacrae huius Congregationis, corde saltem contrito ac devote viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria*, unum nempe pro qualibet statione, quinque in Sanctorum Domini Nostri Iesu Christi vulnerum memoriam ac unum iuxta mentem Sanctitatis Suae recitari debeant; alterum vero: an per verbum « ottone » exclusa reputanda sit quaecumque alia materia, ex qua crucifixi conficiantur

Facta itaque de praefatis dubiis Ss.mo D. N. Pio Pp. IX per infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretarium relatione in Audientia diei 8 Augusti 1859, Sanctitas Sua benigne respondit: quoad 1m, servandam esse eiusdem Sacrae Congregationis consuetudinem; et quoad 2m declaravit: per verbum « ottone » intelligendam esse exclusam materiam fragilem dumtaxat.

Haec autem omnia Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita typis edi iussit, ut utriusque sexus Christifideles, qui a visitandis

tis, (1) ita tamen ut qui ex rationabili causa omnes praescriptos *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitare nequiverint, pro indulgentia plenaria, indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum consequantur pro singulis *Pater* cum *Ave* et *Gloria* recitatis; et si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in Crucifixum ad hoc benedictum, non vero addere precem iaculatoriam, indulgentiam plenariam consequi non impediatur.

Praesentibus absque Brevis expeditione in perpetuum valituris contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 20 Octobris 1931.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. — Nemo est qui ignoret, inter pia exercitia christianae devotionis, nobilissimum locum tenere illud quod Viae Crucis dicitur: Huius zelantissimus praeco exstitit S. Leonardus a Portu Mauritio, ex ordine Minorum S. Francisci, qui 572 Vias Crucis variis in locis ipse erexit, et auctor fuit ut Summus Pontifex Benedictus XIV Stationes erigeret in amphitheatro Flavio Urbis, ibique conciones habuit in sollemni earum erectione die 27 Decembris anni 1750 habita. Etiam S. Benedictus Ioseph Labre valde assiduus fuit in peragendo hoc pio exercitio; et Summi Pontifices saepissime eiusdem usum in publicis documentis commendarunt, et ad eum fideles valde adhortati sunt.

In sensu proprio, Via Crucis est via Ierosolimitana, quam Redemptor Noster, Crucem baiulans, per-

---

sacrae Viae Crucis stationibus legitime impediti, istiusmodi Crucifixis, facultate a Summis Pontificibus tributa, benedictis utentur, noverint praesens Decretum ab omnibus esse servandum, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Datum Romae, 16 Septembris 1859.

(Decreta authentica S. C. Indulgentiarum N. 387).

(1) Cfr supra pag. 167 (vel *Per.* XX, p. 260).

currere debuit a tribunali Pilati, ubi ad supplicium damnatus est, usque ad Calvarii summitatem, ubi crucifixus est. Iam inde a primis saeculis haec loca, a doloribus Salvatoris Nostri sanctificata, magno in honore habita sunt; attamen solum post Cruciatas, et postquam peregrinatio ad Loca Sancta vitae et passionis Domini Nostri, frequens evasit, haec Via Crucis, per plures stationes divisa, universaliter cognita fuit et a peregrinis magna cum devotione frequentata. Hi in patriam reduces, aliis vivide describere solebant quae in Locis Sanctis visitaverant et viderant, et, cum non omnibus fidelibus commoditas praesto esset ut ad illa Loca transirent, coeptum est, uti connaturale est, reproduci in crucibus, in picturis, etc., in oratoriis et aliis locis piis publicae venerationi expositis, facta Christi patientis, quae Ierosolomis in vera via ad Calvarium evenerant, et fideles ibi venerabantur. Primus, qui has reproductiones faciendas curaret, videtur fuisse Beatus Alvarus ex Ord. Praedicatorum, vita functus circa annum 1420, qui in Conventu sui Ordinis prope civitatem Cordubensem in Hispania, varia oratoria construxit, in quibus sub forma distinctarum Stationum expressit acta Christi ad Calvarium properantis.

Qui vero magno cum successu attenderunt ad evulgandum pium hoc exercitium inter fideles variarum regionum, fuerunt fratres Minores S. Francisci, qui ab anno 1312 custodiae Locorum Sanctorum Ierusalem praepositi fuerant. Per plura saecula tum nomen, tum numerus, tum etiam ordo stationum, quibus Via Crucis componitur, diversa in diversis locis fuerunt; et solum circa finem saeculi XVII vel initium XVIII uniformitas, quae nunc viget, ubique obtenta est. Certum est quod haec uniformitas lege statuta est a Clemente XII per Decretum latum die 3 Aprilis anni 1731, in cuius N. 3. haec leguntur: « Erigendae sunt in forma consueta et hucusque adhibita in supramemo-

rato Ordine S. Francisci de Observantia, i. e. ut stationes sint numero quatuordecim, et cruces repraesentent mysteria Passionis ». (Cf. *Decreta authent. S. C. Indulg.* Vol. I. n. 100).

Cum autem anno sequenti, nempe 1732, ab Ordinario Viennensi in Delphinatu preces S. C. de Indulgentiis porrectae fuerint, ut plenariam indulgentiam concedere vellet visitantibus Viam Crucis apud oppidum Romoni, 36 tamen stationibus constantem, S. C. die 15 novembris non solum negavit lucrari posse indulgentias solitas Viae Crucis, sed ne peculiarem quidem indulgentiam plenariam prouti supplicatum fuerat, concedendam censuit. (Cf. *Decr. Authent. S. C. Indulg.* Vol. II. 88).

Non solum facultas erigendi Vias Crucis privative pertinebat ad Fratres Minores tam de Observantia quam Reformatos, uti constat ex N. 1. supradicti Decreti Clementis XII diei 3 aprilis a. 1731, sed praeterea, iuxta primaevas concessiones, erigi tantum poterat in Ecclesiis vel aliis locis ad praedictos Religiosos pertinentibus. Tractu tamen temporis etiam in aliis Ecclesiis memorato Ordini non subiectis concessum est ut erectio Stationum fieri posset, sicut patet ex Brevi Clementis XII: « Exponi Nobis » diei 16 ianuarii 1731, et praesertim ex Brevi Benedicti XIV; « Cum tanta » diei 30 augusti 1741, cum aliqua tamen limitatione, ut nempe erigi non posset in locis ubi a Fratribus Ordinis Minorum in suis Ecclesiis vel alibi iam erecta reperiretur, nisi itineris longitudo vel viae asperitas Christifidelibus graviter incommodum aut impossibilem accessum ad illa loca redderet. Altera praeterea limitatio addita videbatur, ut nempe iis in locis in quibus Via Crucis iam erecta reperiretur, alia erigi non liceret. Hanc limitationem, instante S. Leonardo a Portu Mauritio, abstulit ipse Benedictus XIV, qui per Rescriptum *S. C. Indulg.* diei 10 Maii

1742 concessit, et hortatus est, ut in omnibus paroeciis Via Crucis erigeretur, quin ullus haberetur respectus maioris vel minoris distantiae inter unam et aliam. (Cf. *Decr. Auth. S. C. Indulg.* Vol. I. n. 133). Tandem Pius IX, per Decretum eiusdem *S. C. Indulg.* diei 14 Maii 1871, abstulit etiam priorem limitationem, et concessit ut erigi possent Stationes Viae Crucis cum adnexis indulgentiis etiam in locis, ubi Conventus praefati Ordinis Minorum exsistunt, nulla habita itineris vel distantiae ratione. (Cf. *Decr. Auth. S. C. Indulg.* Vol. I, n. 429).

2. A multis iam saeculis Summi Pontifices thesaurum gratiarum spiritualium aperuerant fidelibus qui in civitate Ierusalem Viam dolorosam Christi patientis pie percurrerent. In pluribus narrationibus peregrinorum saeculi decimi quarti, mentio fit multarum Indulgentiarum *a culpa et poena* et plurium adhuc partialium septem annorum, vel quadragenarum. Sed Frater Quaresmius, commissarius Apostolicus in Palestina, in manuscripto circa annum 1459 exarato testatur: « De Indulgentiis Terrae Sanctae nullam apud Fratres bullam apostolicam haberi, sed tantummodo aliquas reperiri tabulas antiquas, in quibus continetur, quod, ad petitionem Constantini et S. Helenae, Papa Silvester solemnissimas Indulgentias contulerit locis Terrae Sanctae ».

Primus Pontifex de quo certe constet Indulgentias concessisse pro Locis Sanctis Ierusalem, est Sixtus IV, qui, in Brevi diei 30 aprilis anni 1480, Indulgentias plenarias largitur visitantibus oratorium S. Thomae in Monte Sion, oratorium S. Helenae in Ecclesia ad Christi Sepulchrum, et oratorium S. Mariae Magdalenae Bethaniae. Paulo post Innocentius VIII duas alias Indulgentias plenarias largitus est in favorem duarum stationum in horto Olivarum Gethsemani. Pius IV omnes Indulgentias a suis praedecessoribus concessas con-

firmavit, atque, si opus esset, renovavit: sed elenchus non datur ut quaenam essent hae indulgentiae clare constaret. Tandem Sixtus V concessit plenariam Indulgentiam visitantibus sacrum Christi Sepulchrum et montem Calvariae.

Quod ad reproductiones Viae Crucis extra Ierusalem, prima concessio Indulgentiarum reperitur in Brevi Ap. Innocentii XI diei 6 novembris 1686; concessio tamen ista erat solum ad septennium; Innocentius XII, paucos post annos, nempe die 24 decembris a. 1692 (Brev. « Ad ea per quae »), perpetuam concessit indulgentiam. Haec tamen concessio non respiciebat omnes fideles, sed erat solum pro utriusque sexus personis Ordinis S. Francisci de Observantia, et pro fidelibus Societatum in eorundem Ecclesiis erectarum. Idem Summus Pontifex per Litt. Ap. 5 decembris a. 1696, declaravit quod in Constitutione Innocentii XI die 5 septembris 1686 data, quae communicationem privilegiorum et Indulgentiarum concesserat Ecclesiis, domibus, confraternitatibus, locis, etc. oboedientiae Ministri Generalis Minorum S. Francisci de Observantia subiectis, comprehendebantur etiam loca et Ecclesiae Terrae-sanctae necnon pia loca Viae Crucis seu Calvarii nuncupata extra Ierusalem a personis praedicti Ordinis erecta.

Haec omnia clarius approbata et confirmata fuerunt a Benedicto XIII anno 1726 in Const. « Inter plurima » diei 3 Martii (Cf. *Decr. Auth. S. C. Indulg.* Vol. I, Append. n. V. p. 448 e sqq.), in qua haec leguntur: « Declaramus Fratres, Moniales ac personas superius memoratas (id est, subiectas oboedientiae aut directioni Ministri Generalis FF. MM. de Observantia), exercitium Viae Crucis huiusmodi peragentes, de privilegiis et indulgentiis etiam plenariis sub generali, mutua et reciproca communicatione per Sedem Apostolicam concessis, vere communicare et participes

fieri, proptereaque frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent » (ib. n. 5). Concessit praeterea (Cf. ib. n. 6) ut iisdem Indulgentiis frui possent omnes fideles, etiam nullo modo praedicto Ministro generali subiecti, qui exercitium Viae Crucis peragerent: 1°) eisdem modo et forma quae a Fratribus praedictis peragitur, 2°) in eorum Ecclesiis, etc. exclusive. Tandem Clemens XII, per Br. « Exponi Nobis » diei 16 ianuarii 1731, concessit: « loca pia Viae Crucis, seu Calvarii in ecclesiis, oratoriis, monasteriis, hospitalibus et aliis itidem piis locis ipsi Ministro Generali non subiectis, nec ab eo dependentibus per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, et in posterum erigenda, eisdem indulgentiis ac privilegiis fruantur, et gaudeant, quibus fruuntur et gaudent erecta in ecclesiis, et locis Ordinis praefati, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, ac quatenus opus sit, de novo concedimus et indulgemus; ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda, modus et forma serventur, quibus eiusmodi erectiones in ecclesiis et locis Ordinis praedicti hactenus fieri consueverunt et accedat licentia Ordinarii loci ac consensus parochi et Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit ».

Cum autem in vulgandis his indulgentiis non omnia recte procederent, idem Clemens XII, in *Monitis ad recte ordinandum devotum exercitium Viae Crucis,* latis eodem anno 1731 die 3 Aprilis, statuit n. 9: « Non publicetur ex pulpitis, aut alia forma, multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum, quia pluries innotuit, indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut aequivocatione sive ex de-

votionis impetu alterari ac confundi; et propterea sat erit dicere, quemcumque Dominicae Passioni meditandae hoc sancto exercitio daturum operam ex concessione Summorum Pontificum consequuturum easdem indulgentias, quas consequeretur si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Ierusalem ». (Cf. *Decr. Auth. S. C. Indulg.* Vol. I, n. 99).

Haec postrema verba alicui dubio originem dederunt. Nam Benedictus XIII, in Bulla saepius memorata « Inter plurima », dixerat: « frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices locis Sanctis ac illorum stationibus intra et extra Ierusalem largiti fuerunt ». Verba: « et extra » desunt in monitis Clementis XII. *Sacra Congregatio de Indulgentiis,* de hac re interrogata, anno 1881 respondit: « Standum declarationi Brevis Benedicti XIII editae ex mandato Clementis XII sub die 3 aprilis anni 1731, ad n. 9. » Hinc numerus Indulgentiarum lucrandarum restrictus est ad concessas pro stationibus Viae Crucis Ierosolimitanae, non autem ad concessas pro aliis piis locis sive intra sive extra Ierusalem, ad Viam Crucis non pertinentibus.

Pluries S. Congregatio de Indulgentiis interrogata fuerat ut ex documentis clarum elenchum edere vellet indulgentiarum quas Summi Pontifices per saecula locis sanctis Ierosolimitanis concesserant, ut ex illis elenchus indulgentiarum pio exercitio Viae Crucis adnexarum confici posset. Sed S. Congregatio semper respondit oratores remittens ad prohibitionem latam a Clemente XII, quam paulo superius citavimus. Et ratio huius responsionis eruenda est ex defectu documentorum, quae certam fidem mererentur: diuturna enim et nimis laboriosa crisis instituenda fuisset. Tentamen aliquod fecisse videtur S. Congregatio, sed animus ei defecit cum responsionem accepit a Patriarcha Ierosolimitano, cui curam commiserat ut documenta super hanc rem colligeret: hic enim candide testabatur se de

authenticitate et valore documentorum, quae invenire poterat, nullam rationabilem probationem invenire potuisse (Cf. BERINGER, *Les Indulg.* Vol. I, n. 750).

Dubium ergo apud omnes vigebat circa numerum indulgentiarum huius devoti exercitii; praeter hoc dubium, alterum insuper insolutum manebat: utrum nempe toties in die acquiri possent indulgentiae Viae Crucis, quoties exercitium illud iteraretur. Et S. C. interrogata, anno 1883 responderat: « Ex documentis non constat indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari quoties praefatum exercitium iteretur ».

3. Res igitur in hoc statu per annos et saecula manserant, usque ad novissimum decretum a S. Poenitentiaria Apostolica latum. Decretum hoc, intactas et incertas quoad numerum adhuc relinquens Indulgentias concessas visitantibus loca Sancta et stationes Viae Crucis in ipsa civitate Hierosolimitana, quod ad exercitium Viae Crucis in se sumptum statuit quod una tantum indulgentia plenaria acquiritur, et quidem solum cum integrum pium exercitium peragitur. Omnes igitur indulgentiae partiales ablatae sunt; item indulgentiae plenariae pro singulis stationibus. Loco vero plurium indulgentiarum plenariarum, quae unico quidem exercitio, sed semel tantum in die acquiri poterant, compensatio, et quidem larga, habetur in novo Decreto; conceditur nempe ut indulgentia plenaria adnexa pio exercitio toties acquiri possit quoties illud peragitur; ergo pluries etiam in die. Hoc autem omnino extraordinarium est, et si excipias indulgentias Portiunculae et alias quae ipsas imitantur et quae proinde *Toties quoties* vocantur, nullum aliud pium opus habetur in Ecclesia, quod semper ac peragitur, indulgentia plenaria pluries in die ditet fideles.

Alteram praeterea indulgentiam plenariam acqui-

rere valet fidelis, si eodem die quo hoc pium exercitium peragit ad S. Communionem accedit; vel si non accedit illo eodem die, cum decies memoratum exercitium peragit, et infra mensem ad sacram synaxim accedit.

Cum autem accidere possit ut, postquam aliquis pium exercitium incoeperit, ob aliquam rationabilem causam, ad finem non possit illud perducere, tunc nullam acquirit indulgentiam plenariam, sed indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum pro singulis stationibus, quas percurrere potuerit.

Ut indulgentiae Viae Crucis acquiri possint, necessarium est, si singulatim fit, percurrere localiter singulas stationes; si cum comitatu, adesse in loco ubi stationes Viae Crucis legitime erectae sunt: haec condicio impedit quominus acquirere possint tam pretiosas indulgentias illi qui nequeunt accedere ad locum, ubi Via Crucis erecta est. Hinc Clemens XIV, anno 1773, precibus Ministri Generalis Fratrum Minorum annuens, concessit ut fideles qui impedimento aliquo prohiberentur quominus Viam Crucis percurrant, sive impedimentum sit physicum, ut contingit carceratis, infirmis, itinerantibus, etc. sive sit morale tantum, ut contingit quando nonnisi cum incommodo mediocriter gravi accedere possint ad locum ubi Via Crucis erecta est, possint omnes indulgentias Viae Crucis lucrari si, manu tenentes Crucifixi imaginem, ad hoc specialiter benedictam a sacerdote facultatem habente, cum animo contrito et in memoriam dominicae Passionis, recitent quater et decies Pater et Ave, additis quinque aliis in honorem vulnerum Christi. (Cf. BERINGER, *Les Indulg.*, Vol. I, n. 869). Cum autem in posterioribus rescriptis S. Poenitentiariae sermo esset non de decem et novem, sed de viginti, et non tantum de Pater et Ave, sed etiam de adden-

da semper oratione Gloria Patri, Pius IX, anno 1859, declaraverat requiri viginti Pater, Ave et Gloria, unum nempe pro qualibet statione, et deinde quinque in Christi vulnerum memoriam, ac tandem unum iuxta mentem Summi Pontificis. (Cf. *Decr. Auth. S. C. Indulg.* Vol. I, n. 387).

Ulteriores adhuc concessiones elargiti sunt Summi Pontifices. Leo XIII, anno 1884, ad tramitem indulti iam concessi pro recitatione sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, benigne annuens precibus ei expositis, indulsit ut si e pluribus personis impeditis una tantum imaginem Crucifixi manu teneret, reliquae omnes indulgentias lucrari valerent, dummodo, ceteris curis semotis, se componerent pro oratione facienda, nempe pro recitatione praescriptorum viginti Pater, Ave et Gloria una cum persona quae tenet crucifixum. (Cf. *Acta S. Sedis*, XVII, 402).

Tandem, Minister Generalis Fratrum Minorum facultatem obtinuerat a S. Sede reducendi adhuc preces pro personis quae gravi infirmitate impediantur quominus vicies Pater, Ave et Gloria recitent: et ipse statuerat ut hae possent indulgentias Viae Crucis lucrari eliciendo semel coram Crucifixo benedicto vel actum contritionis cum memoria Passionis, vel orationem iaculatoriam: *Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Sed Leo XIII, dum renovationem concedebat facultatis Ministro Generali (Brev. diei 9 Sept. 1890), nonnullas modificationes introduxit in praefatas condiciones: nempe 1) ut aegrotus esset in impossibilitate vicies recitandi Pater, Ave et Gloria; 2) ut actum contritionis vocaliter recitaret, et postea praedictam orationem iaculatoriam: « Te ergo quaesumus etc. »; 3) ut saltem mentaliter se coniungeret alii personae ter Pater, Ave et Gloria recitanti; 4) ut his orationibus durantibus, memoriam foveret passionis Christi.

Haec facultas concessa erat Ministro Generali Fratrum Minorum, cum facultate eam aliis communicandi, et in pagella qua ipse sacerdotibus concedebat facultatem benedicendi imagines Crucifixi pro indulgentiis Viae Crucis, illam commutationem semper commemorabat. Novus vero Minister Generalis renovationem facultatis semper petere debebat a S. Sede, quia facultas cessabat cessante munere; sed mense martio anni praeteriti (i. e. 1931) Summus Pontifex, nunc feliciter regnans, generalem et ampliorem in perpetuum concessit facultatem infirmis, ad minimas omnino reducendo condiciones requisitas. Benigne scl. concedere dignatus est: « ut infirmi qui pium exercitium Viae Crucis nec in forma ordinaria nec in forma statuta a Clemente XIV die 26 Ianuarii 1773, per recitationem scilicet viginti Pater, Ave et Gloria, absque gravi incommodo vel difficultate peragere valeant, omnes et singulas indulgentias, eidem pio exercitio quomodocumque adnexas, lucrari possint vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et mortis Iesu Christi Domini Nostri ». (Cf. *A. A. S.*, XXIII. p. 167, vel *Per.*, XX, p. 260).

Nunc autem, in novissimo decreto nuperrime lato, statuitur, ut qui, ob impedimentum, nequit peragere pium Exercitium in forma consueta, sed manu tenens Crucifixum ad hoc benedictum recitet vicies Pater, Ave et Gloria, omnes indulgentias plenarias acquirere possit ac si in forma ordinaria viam crucis perageret; quod si ex rationabili causa omnes praescriptos Pater, Ave et Gloria recitare nequiverit, consequi possit indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum pro singulis Pater cum Ave et Gloria recitatis.

Infirmi vero qui neque in forma ordinaria neque in forma viginti Pater, Ave et Gloria hoc pium exercitium peragere valent, sed tantum in forma illa reductissima osculi vel intuitus in imaginem Crucifixi cum prece iaculatoria, non excluduntur ab acquisitione indulgentiarum; immo, iis nova adhuc reductio conditionum conceditur, quae maximam ostendit benignitatem Sanctae Matris Ecclesiae in infirmos; dicitur enim quod si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in Crucifixum ad hoc benedictum, cum affectu et animo contrito, non vero addere orationem iaculatoriam, indulgentiam plenariam pariter consequi valeat. Dici posse videtur quod nullus alius casus habeatur, quo, tam modico pretio, acquiri possit tam magnum bonum, nempe indulgentia plenaria.

4. Superest nunc ut breviter in memoriam revocemus principaliora quae servanda sunt in obeundo hoc pio exercitio in forma ordinaria, ut indulgentiae ei adnexae acquiri possint.

1) Requiritur ut singulae stationes singillatim visitentur, nisi adsit impedimentum. Igitur transeundum est ab una statione ad aliam, quantum permittit multitudo populi, aut angustia loci. Corporis motus de loco in locum requiritur etiam cum Ecclesia repleta est fidelibus; sed si motus iste perturbationem excitare potest, et exercitium publice fit simul ab omnibus, tunc sufficit ut, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis vel cantoribus singulas stationes percurrat, et recitet consuetas preces.

2) Requiritur ut quatuordecim stationes sine notabili vel morali interruptione visitentur. Diuturna interruptio per actionem religiosam, puta ad audiendum Sacrum, ad communionem vel confessionem faciendam, non obest. Aliter dicendum est si per actionem profanam interruptio fiat: tunc deest moralis unio.

3) Requiritur ut instituatur meditatio, quamvis brevis, Passionis Christi. Non requiritur autem ut singularum stationum argumentum meditando consideretur; sufficit ut de Passione Christi meditatio fiat.

4) Non requiritur ut genibus flexis ante stationes maneamus; neque ut actus contritionis eliciatur, vel ullae orationes vocales recitentur; neque aliae condiciones requiruntur, quae solitae sunt pro indulgentiis plenariis, nempe visitatio Ecclesiae vel oratorii, et preces ad intentionem Summi Pontificis, atque accessus ad sacramenta confessionis et communionis.

AUG. TESIO S. I.

Quaesita varia de istis indulgentiis cfr in priore parte p. 117.*

---

36. — Secretaria Status

Epistola 29 oct. 1931

AD R. P. WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, PRAEPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU.

(A. A. S., 9 nov. 1931, XXIII, 452)

Quomodo sit SS. D. paterne ad S. I. affectus in praesenti procella Hispanica.

Rev.mo Padre. — Mi gode l'animo nel comunicare alla Paternità Vostra Rev.ma, per incarico ed in nome del Santo Padre, i sentimenti del Suo cuore paterno verso la Compagnia di Gesù, fatta segno speciale di contraddizione nelle presenti circostanze, ond'è travagliata la nobilissima Nazione spagnuola.

In mediis doloribus gratulatur Societati Iesu

Pur nell'afflizione che Gli cagionano i dolorosi avvenimenti e le molteplici ferite inflitte ai sacrosanti diritti della Chiesa, i quali, come l'Augusto Pontefice diceva nel Suo Messaggio, (1) sono i diritti di Dio e delle anime, Egli sente di

---

(1) Il Santo Padre ha incaricato il Nunzio Apostolico di Madrid di fare al più presto conoscere agli E.mi Signori Cardinali, Arcivescovi, Vescovi, Sacerdoti secolari e regolari e a tutti i fedeli figli della Chiesa di Spagna quanto appresso:

1. Che come Egli è stato con loro in questi ultimi tempi, così lo è più

doversi rallegrare e congratulare con Vostra Paternità e con tutta la Compagnia, la quale sa formare figli così fedeli e devoti al Vicario di Gesù Cristo, da vederli designati e presi di mira (direbbesi anzi, con linguaggio moderno e in senso glorioso per i soldati di Cristo, « citati all'ordine del giorno ») in un'Assemblea legislativa, perchè professano al Papa, per voto speciale ed esplicito, quella obbedienza che tutti i cattolici, ed in modo anche più preciso i religiosi, Gli devono.

causam ob quam patiantur,

E tanto più si rallegra il Santo Padre, in quanto Gli consta che l'essere per così nobile causa designati a particolare persecuzione è stato preso con santa fierezza da tutti i figli della Compagnia; dei quali perciò si può ripetere che « se ne vanno contenti dal cospetto del Consiglio, per essere stati fatti degni di patire contumelia per il Nome di Gesù » e del suo Vicario in terra.

gaudet quod id sibi honori ducant.

E ciò, non per sottoscrivere alla qualifica quasi di non legittima Autorità, attribuita al Padre Comune dei fedeli; anzi per protestare il contrario, trattandosi di un Potere spirituale e soprannaturale il più proprio per i cattolici di ogni Paese, ed estendendosi il divino mandato di Gesù Cristo alla sua Chiesa, in una con la potestà del suo Vicario, dappertutto ove si estende l'autorità di Cristo Re. Ed è questa considerazione ben più valevole di quella allegata da un celebre uomo di Stato, il Principe di Bismarck, la quale pure, umanamente parlando, ha il suo valore; e cioè, che non può essere riguardato come estraneo al Paese un Potere, cui obbediscono tanti milioni di cittadini del Paese stesso.

Nullatenus Vicarius Christi extranea dici potest auctoritas.

---

che mai in questi giorni, dividendo con loro i danni e le pene del presente, le minacce, i pericoli dell'avvenire.

2. Che con tutta l'energia voluta dal Suo ministero apostolico altamente protesta contro le molteplici offese inflitte ai sacrosanti diritti della Chiesa, che sono i diritti di Dio e delle anime.

3. Che avendo Egli con recente Lettera Enciclica invitato l'Episcopato ed i fedeli dell'Orbe cattolico a pregare per gli universali bisogni del momento, e proponendosi di associarsi alle comuni preghiere ed offrire a tale intenzione il Santo Sacrificio nella Basilica Vaticana, la Domenica di Cristo Re, invita pure tutti quanti ad unirsi fra loro e con Lui nella speciale intenzione che cessi la grande tribolazione che affligge a chiesa ed il fedele popolo della diletta Nazione spagnuola. Il Santo Padre confida che con l'aiuto divino e mercè il concorso di tutte le buone energie e per le vie giuste e legittime non solo saranno riparati i danni già sofferti, ma sarà scongiurato quello che sarebbe di tutti il più grave, di vedere cioè oscurarsi e venir meno gli splendori della avita fede, unica salvezza dai pericoli che anche in Ispagna minacciano lo stesso civile consorzio.

Vota Pontificis.

Il Santo Padre adunque fa voti ardenti all'Altissimo, perchè si degni muovere i cuori e illuminare le menti, affinchè gli stessi Legislatori ritornino su le loro deliberazioni, considerando quale immensa rovina sarebbe, non soltanto per la Religione, ma per la stessa coltura e civiltà nella Spagna, privarla dell'opera apostolica e civile dei suoi Religiosi, e di quell'Ordine in ispecie che è sua particolare gloria nazionale, la Compagnia di Gesù.

Profitto ben volentieri dell'incontro per raffermarmi con sensi di distinta e sincera stima

della P. V. Rev.ma
Dal Vaticano, 29 Ottobre 1931.

aff.mo nel Signore
E. CARD. PACELLI.

ANNOTATIO

I. Latine vertendas putamus § 2. 3. 4 istius epistolae hac ratione:

« Dum animo affligitur propter dolorosa eventa et plura vulnera sacrosanctis Ecclesiae iuribus inflicta, quae iura, sicut Pontifex in suo nuntio (1) dicebat, iura sunt Dei et animarum, se coactum experitur ad laetandum cum Vestra Paternitate et omni Societate, eique gratulandum quae tam fideles et devotos Vicario Jesu Christi filios effingere novit, ut eos videat designatos et ad ictum destinatos (seu potius, lingua moderna et gloriose pro Christi militibus, diceres honoris causa memoratos) in concilio legumlatorum, quia voto speciali et explicite eam Papae oboedientiam profitentur quam catholici omnes ac modo magis definito religiosi ei praestare debent.

Et cum in comperto habeat omnes Societatis filios sibi honori duxisse quod pro tam nobili causa pecu-

(1) Apostolicus Nuntius iussus est Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, sacerdotibus et cunctis fidelibus Ecclesiae Hispaniae notum facere..... S. Pontificem omni vi cum suo ministerio Apostolico congruente, elate reclamasse multis offensionibus iurium sacrosanctorum Ecclesiae, quae sunt iura Dei et animarum.

liari vexationi obnoxii fuerint, Beatissimus Pater ideo magis laetatur: de ipsis ideo iterum dicere licet « illi quidem eunt gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » et pro eius Vicario in terra.

Hoc tamen minime ut rata habeatur nominatio quasi non legitimae auctoritatis, tributa Patri communi fidelium, immo ut contrarium proclametur, cum agatur de Potestate spirituali et supranaturali maxime propria catholicis omnis regionis, et cum mandatum divinum quod Iesus Christus dedit suae Ecclesiae, simul cum potestate eius Vicarii, se extendat quocumque auctoritas Christi Regis se extendit. Quae consideratio multo plus valet quam haec alia quam celeber vir politicus Princeps de Bismarck protulit, non destitutam, humano modo loquendo, valore; i. e. fieri non posse ut extranea regioni perhibeatur Potestas cui tot milies milium civium ipsius regionis obtemperant ».

ACTA SUMMATIM RELATA

37. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Enc. Litterae « Lux veritatis » de oecumenica Ephesina synodo quindecim ante saeculis celebrata, summarie relatae.

A. *Ex encycl. litt. « Lux veritatis » de Conc. Ephesino.*

Non solum per bina consilia a se constituta S. Pontifex, quod proposuerat, obtinuit ut fere ubique dignissime recoleretur quindecies saeculare anniversarium oecumenici Concilii Ephesini, sed etiam, sub celebrationis exitum, sollemnes encyclicas litteras de tam laeto eventu scribere statuit, sperans fore ut id ipsum ad perducendos dissidentes ad unum Christi ovile et unum Pastorem contribueret. Porro de tribus potissimum dogmatibus quae in Ephesina synodo plena luce perfusa sunt ex ordine agere statuit, i. e. de una Christi persona; de B. Virgine vera Dei Genitrice; de suprema, nullique obnoxia, in omnes et singulos christifideles Romani Pontificis auctoritate.

I. *Historica facta et Rom. Pont. auctoritas.*

I. *De historicis factis et suprema Romani Pontificis auctoritate.* In ea parte varia vitae Nestorii stadia per quae is ad Constantinopolitanam sedem occupandam pervenit Pontifex enarrat, ac dein praecipua eius haeresis capita attingit. Postea refert quomodo S. Cyrillus, praecipuus haeresis oppugnator, frustra tentata haeretici ad veritatem reductione, iudicium Sedis Apostolicae postulaverit. Dum Alexandrinus Episcopus per se controversiam dirimere noluit, Caelestinus, contra, coacta Romae synodo haeresim reprobavit et diem Nestorio ad errores abiurandos statuit. Quam sententiam Alexandrino Episcopo exsequendam commisit. Refutata obiectione petita ex eo quod Oecumenicum Concilium videretur retractasse et sua auctoritate finivisse causam iam a Papa iudicatam, adducit Philippum, ex suis legatis presbyterum, praeclare de Romanae Ecclesiae primatu sine ulla Patrum reclamatione, disserentem, cum in damnando Nestorio ipsi se epistola Caelestini coactos professi sint. Hoc loco dolet Pontifex S. Augustinum morte praeventum esse quominus Concilio interesset. Subinde calumniam revincit eorum qui Nestorium de haeresis labe purgare conantur et S. Cyrillum iniquae simultatis accusant.

II. *Una Christi persona.*

II. *De unitate personae Christi.* In altera parte dogmata quae Oecumenica Synodus professa est altius investigat: unam Christi personam, de quo dogmate effert momentum, studiosam in vera Ecclesia conservationem, adulteratam paulatim a sectis haereticis notionem: quae occasio est Pontifici paterne hortandi omnes ut catholicam unitatem, in una tantum petra innixam et consistentem maximi faciant. Monet demum ut in praesenti rerum perturbatione a Christo remedium petant.

III. *De divina Maternitate.* Quam logice dogma istud cum divina Christi persona cohaereat S. Pontifex ostendit; popularem laetitiam de lato iudicio memorat, quaenam inde Mariae profluat gratia et dignitas demonstrat, et sibi solacio esse fatetur non nullos etiam Novatores hodie melius de isto dogmate sentire. Hinc commotus, observat Mariam ex quo Mater est Redemptoris qui nos fratres habere voluit, esse quodammodo omnium nostrum matrem; atque effuso animo consequentem devotionem in eam celebrat et excitat, peculiare beneficium exoptans ab omnibus implorari ut Orientales dissidentes ad ipsum redeant, ut in Basilica Liberiana possit ipse cum redeuntibus B. Virginem venerari.

III. *Divina B. V. maternitas.*

Huius dogmatis corollaria.

Quae autem de sanctitate matrimonii et de christiana educatione scripsit eximium habent, sic Pontifex, in divinae maternitatis munere et in Nazarethana familia exemplum quod fideles imitentur. Mariam suspiciant istae Matres quae vel prolis vel coniugalis vinculi pertaesae, susceptum a se officium prostratum violatumque habent.

Renovata domestica societate, remedium procul dubio afferri poterit « formidoloso illi, quo conflictamur, malorum discrimini » atque continget ut optatissimum Christi regnum, foederatis animis viribusque, ubique gentium feliciter constabiliatur.

Ne liturgicum saecularis huius commemorationis monumentum desideretur, S. Pontifex iussit ut S. Rituum Congregatione « *Officium ac Missa de divina Maternitate edantur, ab universa Ecclesia celebranda* ».

Indicitur festum divinae Maternitatis B. M. V.

(A. A. S., XXIII, 493-517).

B. Epistola *Felix faustumque,* 1 maii 1931, ad tres Cardinales ceterosque archiepiscopos et episcopos Germaniae directa, pleno septimo saeculo ab obitu S. Elisabeth, Sanctissimus Dominus laudes texit istius Sanctae quae « castissima puella fuit et mater tenerrima, dives et pauper, humillima et nobilis virtute magis quam potentia ». Celebrat eius opera caritatis atque effert simul perpetuam ferventis eius animi cum Deo coniunctionem. Hoc enixe imitandum commendat quotquot provehendae catholicae rei operam navant: « dum enim pro vera Ecclesia Dei sollerter laborant, non eis negligenda est praeclare affecta mens in Dei cultum, ex qua, tamquam ex fonte, *actio catholica* manare debet; siquidem quo ferventior spiritualis vita erit, eo efficacior opera evadet ». In fine precatur « ut quantocius dies illucescat optatissima, quo populi omnes, tranquillatis rebus, in caritate Christi regenerentur fiatque *unum ovile et unus Pastor* » (A. A. S., XXIII, 525).

De centenaria celebratione S. Elisabeth Hungariae.

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex Libris.*

Alexius Henricus M. Card. Lépicier (O. S. M.) *Institutiones Theologiae Speculativae ad textum S. Thomae concinnatae.* 2. Vol. (15 × 22,5), Taurini, Marietti, 1931 et 1932.

Tom. I., LXVII-511 pag. Lit. 25: I. de Sacra Doctrina - II. de Deo Uno, Pars 1ª - III. Pars 2ª - IV. de Sanctissima Trinitate - V. de Angelis, Pars 1ª - VI. Pars 2ª - VII. de opere sex dierum - VIII. de prima hominis formatione - IX. de gubernatione rerum.

Tom. II., LVI - 421 pag. Lit. 25: X. de Virtutibus et Donis - XI. de peccato originali - XII. de Gratia - XIII. de Incarnatione Verbi, Pars 1ª - XIV. Pars 2ª - XV. de Beatissima Virgine Maria Matre Dei - XVI. de Sancto Ioseph Sponso Beatissimae Virginis Mariae.

Fr. Gerardus M. Paris (O. P.) *Divisio Schematica Summae Theologicae S. Thomae Aquinatis ac ad tertiam partem supplementi ad usum Professorum atque Studentium.* Vol. (21,5 × 29), 73 pag. Taurini, Marietti, 1931. Lit. 5. Continet 34 Tabulas.

Moritz Meschler (S. I.) *Das Leben unseres Herrn Jesu Christi des Sohnes Gottes in Betrachtungen.* - Neubearbeitet von B. van Acken S. I. - 3 Vol. (11 × 18), Freiburg im Breisgau, Herder, 1932.

Ester Band, XX - 560 pag.: Vorrede des Verfassers - Vorwort des Herausgebers - Einleitung - Adventsbetrachtung - Vorleben Iesu. 1. Im Schobe des Vaters - 2. Leben Iesu im Schobe der Verheissungen - Zeitliches Leben Iesu. 1. Das Iugendleben Iesu - A. Die Menschwerdung - B. Offenbarung der Menschwerdung - C. Das verborgene Leben Iesu - 2. Das öffentliche Leben Iesu - A. Nächste Vorbereitung auf das öffentliche Leben - B. Das öffentliche Leben Iesu vom ersten bis zum zweiten Osterfeste - C. Das öffentiche Leben Iesu vom zweiten bis zum dritten Osterfeste.

Zweiter Band, 534 pag.: (Fortsetsung) D. Das öffentliche Leben vom dritten Osterfeste bis zum Laubhüttenfeste - E. Das öffentliche Leben vom Laubhüttenfest bis zum Tempelweihfest - F. Das öffentliche Leben vom Tempelweihfest bis zum Leiden - G. Rückblick über das öffentliche Leben Iesu.

Dritter Band, 453 pag.: 3. Das Leben des Leidens und der Tod Iesu - Das glorreiche Leben Iesu - 1. auf Erden - 2. im Himmel - Mystisches Leben Iesu in der Kirche.

Abbé Étienne Carton De Wiart. *L'Église: Sa nature - Sa hierarchie - quelques leçons.* Vol. (12 × 19), 181 pag. Bruxelles, Éditions de la Cité Chrétienne, 1931. 12 fr.

Préliminaires - La mission gouvernementale et doctrinale de l'Église. Les Apôtres et les Évêques - Saint Pierre et le Pape - Son extension. Questions complémentaires - La mission priante et sanctifiante de L'Église - L'Église corps mystique du Christ - Une page de Saint Augustin.

Em. Georges. *Ame de Prêtre.* Vol. (12 × 19), 242 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 10 fr.

« A vous maman, le coeur de votre petit prêtre! » - Une vocation qui se précise - Jésus par Marie et rien de plus! - Dans la lumière de Rome - Père Spirituel à 27 ans - Dans la tourmente - Le rayonnement d'une âme sacerdotale - La dernière messe.

F. Cimetier. *Pour étudier le Code de Droit Canonique.* Introduction générale - Bibliographie - Réponses et décisions - Documents complémentaires - Premier supplément (1927-1931). Vol. (12 × 19), 64 pag. Paris, Lecoffre, 1931.

Règles générales - Des personnes - Des choses - Des procès - Des délits et des peines.

Eugene A. Dooley (I. C. L.) *Church Law on Sacred Relics.* Vol. (15 × 23), IX-143 pag. Washington, The Catholic University of America, 1931.

The Cult of Relics Before the Code of Canon Law - The Nature of Relics - History of Legislation on the Cult - Legislation in the Code of Canon Law - The Cult and Care of Relics - Canons 1283-1286. The Authentication and Approval of Relics - Canon 1287. The exposition of Relics - Canons 1289 and 2326. Sale of Relics is forbidden - Appendix.

P. Ioseph Palombo (C. SS. R.) *De dimissione Religiosorum: Commentarium Theoretico - Practicum ad tit. XVI libri II Cod. Iuris Can.* Vol. (12,5 × 20,5), XVI - 296 pag. Torino, Marietti, 1931. Lit. 12.

Prolegomena - Finis dimissionis - Conspectus historicus dimissionis - De dimissione per sententiam - per Decretum - « ipso facto » habita - De effectibus dimissionis - Formulae in processu dimissionis adhibendae.

Marius Pistocchi. *De Bonis Ecclesiae Temporalibus.* Vol. (13 × 20), VIII - 489 pag. Torino, Marietti, 1932. Lit. 15.

Notae prooemiales - Can. 1495: De Iure Ecclesiae ad bona temporalia - Can. 1496: De Iure ea exigendi a fidelibus - Can. 1497: Quae sint bona ecclesiastica - Can. 1498: Quid venit hoc loco nomine Ecclesiae - De bonis ecclesiasticis acquirendis - administrandis - De contractibus - De piis fundationibus.

Iames B. Roberts (Rev.) *The Banns of Marriage.* Vol. (15 × 23), XIV - 140 pag. Washington, The Catholic University of America, 1931.

Preliminary discussion - Matrimonial publication in pre - Christian legislations - Before the introduction of the banns - The first period of the legislation on the banns - The later history of the banns - The publication of the banns before mixed marriages - The obligation to publish the banns - The form of the publications - The parishes in which the publications must be made - The circumstances of publication - Exceptions to the obligation of publication - The obligation of revealing impediments - The duties of Pastors after completing the publications - Appendix: The banns in other legislations.

Egidio Tosato. *Le leggi di delegazione.* Vol. (18 × 25,5), 200 pag. Padova, C E D A M, 1931. Lit. 25.

Concetto delle leggi di delegazione - Fondamento e limiti delle leggi di delegazione - Efficacia delle leggi di delegazione.

E. Duplessy (Ch.) *Cours de Religion en forme de petits prônes.* Vol. (12 × 18.5), VIII-160 pag. Paris, Téqui, 1932. 6 fr.

Préambule - Dieu - Existence - Perfections - Providence - La Sainte Trinité - Les créatures de Dieu - L'Ange - L'homme - Notre Seigneur Jésus-Christ - L'incarnation - La Vie - L' Église - Les Fins dernières.

Henri Morice (Dr.) *La vie mystique de Saint Paul.* Vol. (12 × 19), XIV-250 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 10 fr.

Les états mystiques de Saint Paul - La mystique des Sacrements - Le possédé du Christ.

Elie Maire. I. *Le Christ total.* - II. *L'Église.* Vol. (12 × 19), XI-164 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 5 fr.

Les Apôtres - Le chef - La Pentecôte - Premiers développements - Saint Paul - L'Église romaine - Les Pasteurs - Les Prêtres - L'Église enseigne, gouverne, sanctifie les âmes - Le sacrement de pénitence - La confession - L'eucharistie sacrifice, sacrement - La messe - Le mariage - L'extrême onction - Le culte et la liturgie - L'année - La liturgie de la S. Vierge et des Saints - Des édifices et des cérémonies - Épilogue.

Continuabitur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

38. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutio 12 febr. 1932

HABITA IN SACROSANCTA PATRIARCHALI BASILICA VATICANA POST PERACTAM SOLLEMNITER CAPPELLAM PAPALEM, DIE CORONATIONIS SANCTITATIS SUAE, XII FEBRUARII MDCCCCXXXII.

(A. A. S., 5 mart. 1932, XXIV, 65).

Ad Christi fideles universos

Commemoratio decem annorum Pontificatus.

È piaciuto (1) alla divina Bontà e Misericordia di farci pervenire ancora una volta, dopo dieci anni di pontificato, a questo anniversario che il vostro pio concorso e devoto contegno rendono a Noi tanto più solenne e consolante, dolce e prezioso sollievo all'enorme peso di gratitudine e di responsabilità di cui il compiuto decennio Ci costituisce debitori verso Dio e verso gli uomini.

E dispose la divina Provvidenza che tutto questo avvenisse in un momento di universale angustia, di così gravi sofferenze per le masse dei popoli, di così gravi preoccupazioni per i loro reggitori, di così angosciosa ricerca di pace e dei mezzi che valgano ad assicurarla.

(1) Priorem allocutionis partem sic latine reddimus:

« Placuit divinae Bonitati et Misericordiae ut post decennalem Pontificatum denuo perveniremus ad istum diem anniversarium quem pius vester concursus et devotus habitus magis sollemnem et solacii plenum nobis efficiunt: dulcis et pretiosa levatio immensi ponderis gratitudinis et religionis cuius decem transacti anni nos Deo et hominibus debitores constituunt.

« Ac divina Providentia ita res ordinavit ut haec omnia evenirent cum omnes angustiis premuntur, multitudo populorum tanta patitur, eorum gubernatores tantis sollicitudinibus vexantur, et tanta anxietate de pace et mediis eam securam faciendi inquirunt.

Votum multorum catholicorum et aliorum

Sappiamo che appunto per l'incontro di cotali circostanze molti dei Nostri figli della grande famiglia cattolica, anzi, dell'intera umana famiglia, desiderano udire pur da lontano sull'onde eteree, come voi da vicino, la voce del Padre, ed avere dal Vicario di Cristo una parola di luce e di conforto. La Ss.ma Vergine Immacolata, della quale ieri celebravamo la tanto benefica Apparizione a Lourdes, Ci ispirava di soddisfare al pio desiderio, invitando tutti, vicini e lontani, a rivolgersi con la preghiera a Dio, Creatore, Signore e Supremo Reggitore del mondo e delle genti, ricordando e deplorando in ispirito di penitenza i peccati nostri che armano la divina Giustizia, rappresentando le nostre tribolazioni alla Sua infinita Misericordia, a Lui ed alle Sue ispirazioni chiedendo quella pace e di essa quei mezzi che sembrano sfuggire alle ricerche degli uomini.

exaudiens Pontifex,

prope et longe audientes ut secum haec orent invitat.

Vi invitiamo a farlo colle parole stesse che nella Sacra Liturgia la Santa Chiesa, incomparabile Maestra di preghiere, ci mette sul labbro e nel cuore, e raccomanda alla nostra meditazione.

Preghiamo, dunque, in perfetta unione delle menti e dei cuori — questa la pace prima e la più necessaria — preghiamo. *Oremus!*

« *Oremus: Deus refugium nostrum et virtus; adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.*

« *Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.*

« Novimus, ipsis istis occurrentibus adiunctis multos nostrae amplae familiae catholicae filios, immo totius humanae familiae, moveri ut a longe, super ethereis undis vocem Patris sicut vos ex propinquo audire cupiant, et verbum illuminans et confortans a Vicario Christi obtineant. Sanctissima Virgo Immaculata, cuius tam beneficam Apparitionem in Lourdes heri celebrabamus nobis consilium iniecit pium desiderium exaudiendi, dum omnes, prope et longe invitaremus ad adeundum oratione Deum, Creatorem, Dominum et Supremum Gubernatorem mundi et gentium, memorando et deplorando, in spiritu paenitentiae, peccata nostra quae divinam Iustitiam armant, nostras tribulationes infinitae Eius Misericordiae exponendo, ab Ipso eiusque inspirationibus deprecando eam pacem eiusque consequendae media quae hominum indagationibus se subducere videntur.

« Invitamus vos ut id praestetis ipsa verba usurpantes quae, in Sacra Liturgia, Sancta Ecclesia, singularis Magistra orationum, in ore et corde nostro ponit nostraeque meditationi commendat.

« Oremus igitur, perfecte mente et corde coniuncti, — quae est prima et maxime necessaria pax. Oremus.

« *Deus, qui nullum respuis, sed, quantumvis peccantibus, per poenitentiam pia miseratione placaris : respice propitius ad preces humilitatis nostrae, et illumina corda nostra ; ut tua valeamus implere praecepta.*

« *Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas ; et a poenis, quas pro his meremur, eripias.*

« *Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem : sed, propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus.*

« *Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis ; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.*

« *Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint, tua protectione, tranquilla. Per Dominum nostrum* ».

---

39. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve « Hac Alma » 26 april. 1932

S. CAROLUS BORROMEUS ET S. ROBERTUS BELLARMINUS, PATRONI OPERUM INSTRUCTIONIS RELIGIOSAE.

(A. A. S., 1 iun. 1932, XXIV, 196).

PIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam

Postulatum archisodalitatis a Doctrina christiana.

Hac Alma in Urbe frugifera exstat canonice erecta in templo Sanctae Mariae a Lacrymis, vulgo « del Pianto », Archisodalitas a Doctrina Christiana nuncupata. Nunc autem eiusdem Archiconfraternitatis moderatores, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Nostro in Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali amplissime suffragante, Nos enixe humiliterque rogant ut tamquam coelestes Patronos pio eidem instituto Sanctum Carolum Borromeum, Episcopum Confessorem, et Sanctum Robertum Bellarminum, Episcopum Confessorem atque Eccle-

Opportunitas petitionis.

siae Doctorem, concedere dignemur. Nil vero magis opportunum videtur quam ita sacerdotibus ceterisque omnibus qui in doctrinam Christianam tradendam incumbunt, conspicua praebere exempla eorumdem Sanctorum, quos in sacris explendis muneribus atque in populo Christiano religiose edocendo insignes Ecclesia dilaudat. Sanctus enim Mediolanensium Praesul non modo utilissimum parochorum catechismum, qui etiam « Catechismus Romanus » appellari solet, conficiendum atque in lucem edendum curavit, sed illas quoque in dioecesi sua et finitimis in dioecesibus instituit atque opportunis statutis instruxit celeberrimas doctrinae Christianae scholas, quae usque ad nostram vigent aetatem. Sanctus vero Controversiarum Magister, praeter ea praeclarae sapientiae documenta, quibus exstat insignis in Ecclesia Dei, aureum illum composuit Catechismum, qui Summorum Pontificum et plurimorum Episcoporum iudicio atque trium fere saeculorum usu ita est commendatus et comprobatus, ut catechesis exemplar recte habendus sit. Conlatis igitur consiliis cum dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, Sanctum Carolum Borromeum, Episcopum Confessorem, et Sanctum Robertum Bellarminum, Episcopum Confessorem atque Ecclesiae Doctorem, coelestes Patronos non modo memoratae Urbanae Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae sed omnium quoque ceterorum instructionis religiosae Operum ubique terrarum exsistentium, constituimus et declaramus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec, ad spirituale omnium tum catechesis magistorum tum discipulorum bonum ubique terrarum provehendum concedentes, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pectant, sive spectare poterunt, amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Quid S. Carolus Borromeus;

Quid S. Robertus Bellarminus pro doctrina diffundenda praestarint.

Quare audito Em. Card. S. Rit. Cong. Praefecto,

SS. D. motu proprio et certa scientia ambos sanctos archisodalicii praefati et cetorum instructionis religiosae operum patronos in perpetuum renuntiat, ad spirituale magistrorum et discipulorum bonum provehendum.

Litterarum firmitas.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Aprilis anno MCMXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies (26 april. 1932).

E. Card. PACELLI
a Secretis Status

ANNOTATIO

Canone 711 § 2 locorum Ordinarii curare debent « ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates SS. Sacramenti ac Doctrinae christianae; quae, legitime erectae, ipso iure aggregatae sunt eisdem archiconfraternitatibus in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis. Ex resp. C. I. C. sufficit ut Ordinarii piam Unionem instituant. Sed haec beneficio aggregationis non fruetur. Cfr *Per.*, XVI, 55. ss.

---

40. — SS. D. N. Pius PP. XI

Bulla « Incolarum numero » 15 dec. 1932

ERIGENS IN URBE PAROCHIAM REGULAREM

(A. A. S. 1 apr. 1932, XXIV, 105).

URBIS - DE S. MARIAE LIBERATRICIS PAROECIAE DISMEMBRATIONE ET NOVAE S. SABBAE PAROECIAE ERECTIONE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Occasio et exempla erectarum novarum paroeciarum in Urbe.

Incolarum numero in hac alma Urbe Nostra in dies succrescente, pro sedùla Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum sollicitudine, Nostraque quidem opera, novae, potissimum extra pomerium, paroeciae postremis hisce annis constitutae sunt; quas inter cl. mem. Leo Papa Tertiusdecimus in Montis Testacei regione anno millesimo octingentesimo octuagesimo septimo in ecclesia S. Mariae de divina Providentia paroeciam iam pridem erexit, quam postea s. m. Pius Papa Decimus in ampliorem ac magnificentiorem tum aedificatam aedem S. Mariae Liberatricis, sub huiusmodi nomine ac titulo, anno millesimo nongentesimo nono transtulit et Piae Societati S. Francisci Salesii concreditam voluit. Cum autem in latissimo

huius paroeciae territorio tanta esset frequentia civium, ut ii praesertim qui procul ab ecclesia paroeciali suum haberent domicilium, difficilius spiritualibus unius vel studiosissimi Pastoris frui possent subsidiis, ipse Antecessor Noster Pius Pp. X, prae oculis habens in Aventini minoris regione, circa pervetustam S. Sabbae Abbatis ecclesiam plurimas aedificatas esse domos et familias constitutas, rei sacrae fidelium ibi degentium procurandae iam tum per vicarios coadiutores sub iurisdictione S. Mariae Liberatricis parochi consulere voluit. In praesens vero, incolarum numero in ea regione quam maxime aucto, Nos, ad maius eorum spirituale bonum, collatis cum dilecto filio Nostro Francisco, titulo S. Mariae Novae, S. R. E. Presb. Cardinali Marchetti Selvaggiani, Nostro in Urbe Vicario in spiritualibus Generali, consiliis, ad novae in regione illa paroeciae iuridicam erectionem deveniendum censuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, a S. Mariae Liberatricis paroeciae territorio partem seiungimus circa S. Sabbae ecclesiam sitam, et novam ac distinctam ex illa paroeciam suprema Nostra auctoritate erigimus et constituimus, S. Sabbae nuncupandam, cuius limites ab eodem Cardinali in Urbe Vicario definiendos volumus. Istius autem novae paroeciae ecclesiam paroecialem decernimus ac declaramus quod supra memoravimus S. Sabbae templum, cui propterea eiusque pro tempore parochis omnia concedimus iura, privilegia et praerogativas, quibus ceterae paroeciales Urbis ecclesiae earumque parochi iure communi vel legitima consuetudine fruuntur; eisque pariter onera omnia et obligationes imponimus, quibus ceteri Urbis parochi subiiciuntur. Ut vero parochus animarum curam facilius ac utilius exercere valeat, ei onus praecipue imponimus unum saltem coadiutorem habendi, qui in pastoralibus muneribus obeundis validum ipsi praestet adiumentum. Pro eiusdem vero S. Sabbae paroeciae dotatione ac honesta parochi eiusque coadiutorum sustentatione congruam eis dotem Nos ipsi assignabimus, ac eorum sedem et domicilium in continenti ecclesiae domo constituimus, quae Pontificio Collegio Germanico-Hungarico pertinet, cui usque ab eius erectione Societatis Iesu Patres sapientissime praesunt. Hanc autem noviter erectam paroeciam eidem Societati Iesu, tot tantisque in Ecclesiae bonum et maiorem Dei gloriam promeritis praeclarae, pleno iure tribuimus; derogantes propterea, quatenus opus sit, regulis vel specialibus constitutionibus, quibus eiusdem Societatis alumnis beneficia ecclesiastica acceptare vetitum est. Rebus itaque ut supra dispositis, ad omnia

Collatis cum Card. Vicario consiliis,

suppleto quantum opus sit eorum quorum intersit consensu, seiuncta parte paroeciae S. Mariae Liberatricis, novam constituit paroeciam S. Sabbae, cuius limites a Card. Vicario definientur, ecclesia erit S. Sabbae templum cum omnibus iuribus et oneribus paroeciarum Urbis.

Parocho saltem unus coadiutor adesse debet.

Congrua dos a Pontifice assignabitur.

Domus paroecialis, continens ecclesiae.

Derogans proprio Societatis iuri eam ipsi pleno iure tribuit.

Exsecutio Card. Vicario committitur.

exsecutioni mandanda deputamus quem supra memoravimus dilectum filium Nostrum Franciscum Cardinalem Marchetti Selvaggiani, Nostrum in Urbe Vicarium in spiritualibus Generalem, cui propterea necessarias et opportunas concedimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in officio vel ecclesiastica dignitate constitutum, atque omnes dirimendi controversias in exsecutionis actu quomdodolibet orituras, facto insuper eidem onere peractae exsecutionis fidem authentica forma exaratam redigendi illamque in Vicariatus Urbis tabulario religiose adservandi. Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus.

Fides transumptis adhibenda.

Derogatio contrariorum.

Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo primo, die quinta mensis Decembris, in festo S. Sabbae, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dies (15 dec. 1931 in festo S. Sabbae).

Fr. A. Card. Frühwirth
Cancellarius S. R. E.

F. Card. Marchetti Selvaggian[1]
Vic. Gen. S. S.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Cancellaria Apostolica, Vol. XLIV, n. 72. - M. Riggi.

Annotatio

Ut in his Periodicis exemplum sit constitutae verae paroeciae regularis, praesentem Bullam inserendam esse duximus.

41. — Suprema S. Congr. S. Officii

Decreta 20 febr. et 8 april. 1932

PROSCRIPTIO LIBRORUM

(A. A. S., 5 mart. 1932, XXIV, 71)

A. — DECRETUM 20 feb. 1932

DAMNATUR LIBER LEONIS DAUDET CUI TITULUS « LES BACCHANTES »

Dies consessus.

Feria IV, die 17 Februarii 1932

E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, in ordinario consessu, habito feria IV, die 17 Februarii 1932, audito DD. Consultorum voto, ad praescriptum canonis 1399 § 9 Codicis iuris canonici; ipso iure damnatum esse declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum quam maxime obscenum Leonis Daudet, cui titulus « *Les Bacchantes*. Roman contemporain. Ernest Flammarion, Éditeur ».

Liber ipso iure damnatus declaratur et in Indicem inserendus mandatur ut maxime obscenus.

Approbatio Pontificis et mandatum publicandi.

Et sequenti feria V, die 18 dicti mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (20 feb. 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 20 Februarii 1932.

A. Subrizi, *Supremae S. Cong. S. Officii* Notarius

B. — DECRETUM 8 apr. 1932

DAMNATUR LIBER FELICIS SARTIAUX, CUI TITULUS « JOSEPH TURMEL, PRÊTRE, HISTORIEN DES DOGMES

(A. A. S., 2 maii 1932, XXIV, 145)

Feria IV, die 6 Aprilis 1932

In conventu generali 6 ap. 1932.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito Feria IV, die 6 Aprilis 1932, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Liber damnatur.

Felix Sartiaux, *Joseph Turmel, prêtre, historien des dogmes.* Paris, Les Editions Rieder.

Et sequenti Feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit. *Confirmatio Pontificis et mandatum publicandi.*

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 8 Aprilis 1932. *Dies (8 apr. 1933).*

L. ✠ S. A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

---

42. — S. Cong. Consistorialis

Decretum 5 feb. 1932

TRANSLATIO IURISDICTIONIS IN ABBATIAM S. MAURITII AGAUN.

(A. A. S., 1 Apr. 1932, XXIV, 119)

Nullius seu S. Mauritii Agaunensis - Iurisdictionis

DECRETUM

Cum omnes dioeceses in Helvetia a Sacrae Congregationis Consistorialis iurisdictione dependeant, opportunum visum est ut etiam abbatia *nullius* S. Mauritii Agaunensis, in Valesia inferiore, hactenus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiecta, ratione unitatis ecclesiastici regiminis et disciplinae, iurisdictioni eiusdem Sacrae Congregationis Consistorialis subiiceretur. Porro Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, rei opportunitate mature perpensa et audito E.mo ac Rev.mo Domino Card. Praefecto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, praesenti Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, statuit ac decrevit ut memorata abbatia *nullius* S. Mauritii Agaunensis a iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide subtrahatur, et iuri ac potestati Sacrae Congregationis Consistorialis committatur. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Ut unitati regiminis ecc.ici in Helvetia consulatur*

abbatia Nullius, *a S. C. de Prop. Fide transit, pro subiectione, ad S. C. Consistorialem.*

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 5 Februarii anni 1932. *Dies (5 feb. 1932).*

Fr. R. C. Card. ROSSI, *a Secretis.*

L. ✠ S. V. SANTORO, *Adsessor.*

---

43. — S. Cong. Concilii

Instructio 25 feb. 1932

DE LIBERO MUSICAE SACRAE USU IN ECCLESIIS

(A. A. S., 5 mart. 1932, XXIV, 72).

Occasio instructionis: exacta pecunia pro liturgico musicae usu in ecclesiis.

Da qualche tempo, senza tener conto del carattere proprio della musica sacra che si eseguisce nelle chiese per uso liturgico, si è preteso da alcuni di assoggettarla, come qualunque altra musica, ad una percentuale a titolo di diritti di autore e di editore.

Il che, oltre disdire al decoro della casa del Signore, ha dato luogo a non poche controversie ed anche a fatti spiacevoli.

Inde normae directivae Ordinariis locorum datae.

Allo scopo pertanto di rimuovere ogni motivo e pretesto di difficoltà e questioni al riguardo, questa Sacra Congregazione del Concilio ha creduto opportuno di dare agli Ecc.mi Ordinari diocesani le seguenti istruzioni:

1. Solae, in ecclesiis dum sacrae fiunt functiones adhibeantur musicae quas fide scripta constat esse immunes ab istis taxis.

1. Gli Ordinari, finchè si accamperanno i detti diritti di autore e di editore su la esecuzione della musica sacra nelle chiese durante le funzioni liturgiche, cureranno che nelle stesse chiese si eseguiscano soltanto quelle composizioni moderne di musica sacra, i cui autori ed editori dichiarino in iscritto che la esecuzione delle loro composizioni non è soggetta a diritti di autore e di editori.

Del resto l'osservanza di questa norma non potrà privare le sacre funzioni della musica sacra. Infatti:

Ceterum plurima sunt taxis istis exempta;

a) Oltre il canto gregoriano e la polifonia classica, esistono molte e rinomate composizioni antiche di musica sacra che, essendo passate nel dominio pubblico, si possono liberamente eseguire nelle chiese, qualora esse siano trovate conformi alle prescrizioni del *Motu proprio* del S. P. Pio X del 22 Novembre 1912;

plures moderni auctores liberum usum permittunt.

b) Molti e ottimi compositori moderni ed editori hanno dichiarato che le loro composizioni di musica sacra sono di libera esecuzione, senza cioè diritti di autore e di editori.

2. Selectio fiat opera Commissionis dioecesanae.

2. Per la scelta, poi, di tali composizioni, gli Ordinari si varanno dell'opera della Commissione diocesana di musica sacra, istituita a norma del suddetto *Motu proprio* di Pio Pp. X,

salvo rivolgersi, ove occorra, al Pontificio Istituto di musica sacra in Roma per le opportune informazioni al riguardo.

Roma, 25 Febbraio 1932.

G. Card. SERAFINI, *Prefetto.*

L. ✠ S. G. BRUNO, *Segretario.*

musicae sacrae. Opportunae dandae notitiae praesto est Pontific. musicae sacrae Institutum Romanum.

Dies (25 Feb. 1932).

ANNOTATIO

Ex notis marginalibus satis perspicitur quo spectet praesens Instructio ut latina eius versio nobis superflua visa sit.

---

44. — S. Congr. de Religiosis

Instructio 1 dec. 1931

AD SUPREMOS RELIGIONUM ET SOCIETATUM CLERICALIUM MODERATORES: DE FORMATIONE CLERICALI ET RELIGIOSA ALUMNORUM AD SACERDOTIUM VOCATORUM, DEQUE SCRUTINIO ANTE ORDINUM SUSCEPTIONEM PERAGENDO.

(A. A. S., 5 mart. 1932, XXIV, 74)

1. **Quantum Religiones** omnes ac Societates clericales (1) ad salutem conferant populorum, sive hi iam Christi fide sint regenerati, sive adhuc in idololatriae tenebris et in mortis umbra sedeant, vix poterit verbis edici. Eorum quippe alumni ii sunt qui, evangelica secuti consilia, atque mundo despecto, totos se divino servitio mancipantes, professionis suae virtute, aliud non quaerunt quam Dei regnum in terris promovere, prout non ita pridem Ss.mus Dominis Noster Pius XI testabatur: (2) « Ex hac igitur tanta religiosorum Ordinum varietate, quasi ex dissimilibus arboribus in agro dominico consitis, magna oritur et in salutem gentium provenit fructuum varietas; atque nihil sane pulcrius atque adspectu delectabilius quam harum complexus atque universitas Sodalitatum, quae, etsi ad unum atque idem denique spectant, habent tamen suum quae-

1. Laus Religionum

teste SS. D. N. Pio XI

(1) Supplemus hanc vocem, quae, ut liquet, in *Acta Ap. Sedis.* casu exidit.

(2) Ep. apost. *Unigenitus Dei Filius,* 19 Martii, 1924 (*A. A. S.*, vol. XVI, pp. 133-134).

que industriae et laboris campum, a ceteris aliqua ex parte distinctum. Fieri enim divinae Providentiae consilio solet, ut, quotiescumque novis est necessitatibus occurrendum, nova item religiosa instituta excitentur ac floreant ».

2. eiusque nuntio radiophonico.

2. Qui status, quam sublimis et nobilis sit, nuper eloquenter edisserebat idem Beatissimus Pater in nuntio radiophonico ad totum terrarum orbem transmisso, 12 Febr. 1931, dum religiosos omnes alloquens, quos « filios et filias praedilectionis Nostrae » nominabat, eos esse dicebat, « qui quaeve charismata meliora aemulantes, atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes, quanto pretiosiorem thesaurum gestatis, tanto diligentiorem adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis, verum etiam ut in vobis, tanquam in servis apprime fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et separationem aliquam inveniat pro infinitis offensionibus et negligentiis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt » (1).

3. Quantum ipsis noceant desertiones a statu religioso et a susceptis ordinibus sacris.

3. Cum ergo religiosorum status adeo praecellens sit, nihil mirum si humanae salutis hostis nullum non moveat lapidem, ut eos, qua perversis suasionibus, qua mundanarum voluptatum adlectu, qua denique passionum concitatione, ab eiusdem status sublimitate deiiciat. Re quidem vera, non desunt graves desertionum casus, nedum ab statu religioso, verum etiam ab ipsa sacra militia, in quam per ordinum susceptionem fuerant viri religiosi cooptati. Quod, quanto accidat eorumdem religiosorum, immo ipsius religionis, detrimento atque christifidelium scandalo, nemo est qui non videat. Quapropter, arrepta occasione

Inde instructio similis Instr. S. C. de Sacramentis, facto verbo cum SS^o^ ac de speciali eius mandato.

Instructionis, non ita pridem a Sacra Congregatione de Sacramentis ad locorum Ordinarios missae super scrutinio candidatorum instituendo antequam ad ordines promoveantur (2), Sacra haec Congregatio Religiosorum, ut muneri suo satisfaciat, facto verbo cum Sanctissimo ac de ipsius speciali mandato, haec quae sequuntur, in Moderatorum Religionum ac Societatum clericalium memoriam, revocare, atque, ub opus sit, praecipere decrevit.

(1) *A. A. S.*, vol. XXIII, p. 67.

(2) Instructio 27 Dec. 1930 (*A. A. S.*, vol. XXIII, p. 120).

I. I.

De formatione alumnorum ad ordines promovendorum.

Formatio ad ordines.

4. Ex ipsa rerum natura atque quotidiana experientia accipimus, Religionum prosperitatem ab alumnorum formatione, sicut a cultura pulcritudinem arborum potissimum pendere. Quod ita exponebat sanctae memoriae Pius IX (1): « Cum ex diligenti tyronum admissione atque optima illorum institutione latius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, vos summopere hortamur, ut eorum qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur ».

4. *Momentum institutionis.*

5. Enimvero, mature iam prudenterque delectis adolescentibus religiosae vitae candidatis, Superiores impense curabunt, ut eis una cum pietatis doctrina, ad aetatem eorum accommodata, inferiores quoque disciplinae tradantur, quae in gymnasiis tradi solent (2); « ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut aiunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat » (3), quo casu compleri debebit, antequam cursus philosophicus incipiatur.

5. *Una cum doctrina pietatis curanda studia gymnasia.*

6. Atqui imprimis, maxima diligentia, iam inde a primo candidatorum in Religionem ingressu, Superioribus adhibenda erit ut adolescentes, non gregatim, neve festinanter adsciscantur (4), sed ii soli, in quibus divinae vocationis indicia deprehenduntur, et spes affulget eosdem cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo addictum iri (5). Ampliores adhuc de candidatis notitias sibi procurent Superiores antequam alumnos ad novitiatum admittant (6), et testimoniales litteras forsan insufficienter acceptas, per alias accuratas investigationes a fide dignis personis habitas, suppleant. Neque negligant Superiores notitias sibi assumere de illorum familiarum moribus, utrum nempe parentes fuerint ab illis vitiis immunes, quae facile in

6. *Prudens cooptatio candidatorum.*

(1) Litt. apost. *Ubi primum,* 17 Iunii 1847.

(2) *Cod. iur. can.,* c. 589.

(3) Pius XI, Ep. ap. cit., p. 140.

(4) Pius X, Ep. *Cum primum,* 4 Aug. 1913, ad Mag. Gen. O. P. (*A. A. S.,* vol. V, p. 388. Cfr Pius XI, ibid.).

(5) Can. 1363 § 1.

(6) Can. 544-545.

Signa specialia vocationis clericalis requiruntur.

prolem redundare possent. Nimirum, in candidatis ad sacerdotium designandis, communia vocationis religiosae indicia minime sufficiunt, sed requiruntur praeterea signa specialia clericorum statui propria. Hac ergo de causa praecipiunt sacri canones, ut novitiatus alius pro clericis, alius pro conversis habeatur, adeo ut qui pro una classe expletus fuerit, pro altera non valeat (1).

7. Delectus domorum post peractum noviciatum,

7. Expleto novitiatu, alumni in iis domibus collocentur, in quibus plena legum observatio floreat, praesertim quod ad perfectam vitam communem (2), necnon ad paupertatem spectat, ubi, praeterea, cetera ita sint disposita, ut praescriptum philosophiae ac theologiae cursum fructuosius valeant peragere. Quo quidem tempore cavebunt Superiores ne iuvenes a virtutum certamine animos remittant, illos ab illorum librorum aut ephemeridum lectione, quibus a bonis studiis praepediri utcumque possent, arcentes, necnon, quod ad animi recreationem pertinet, ab illis quoque exercitationibus corporeis, quae clericos minime decent, iuxta gravissimum monitum Concilii Tridentini (3): « Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant ». Curabunt quoque Superiores ut Magistri spiritus, quorum speciali curae toto studiorum curriculo illi committuntur, eorum animos ad vitam religiosam et clericalem, qua opportunis monitis, qua instructionibus atque adhortationibus, informent (4): hac enim ratione, et non aliter, tandem aliquando solidam doctrinam praeferent cum sanctissima vita coniunctam.

Arcendi iuvenes a legendis libris et ephemeridibus quibus bona studia impediantur, et ab exercitationibus corporeis quae clericos minime decent.

Magistri spiritus naviter suo munere fungantur.

8. Assidua applicatio ad sacra studia.

8. Quod spectat ad sacrarum litterarum studia, gravissima verba semper prae oculis habeant ciusdem Ss.mi Domini Nostri Pii XI: (5) « Quam quidem rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae administros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt. Cum enim iis, qui se Deo consecraverint, aut unum aut certe praecipuum propositum sit orare Deum et divina

(1) Can. 558.
(2) Can. 587 § 2.
(3) Sess. XXII, c. 1., *De reform.*
(4) Can. 588 § 1.
(5) Can. 590.

contemplari aut meditari, quî igitur gravissimo eiusmodi fungantur officio, nisi fidei doctrinam plane cognitam habeant atque perspectam? Quod velimus eos imprimis attendere, qui umbratilem in caelestium rerum contemplatione vitam degunt; errant enim, si putant, theologicis studiis aut ante neglectis aut postea depositis, posse se, copiosâ illâ destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri atque evehi. Ad ceteros autem quod attinet, sive ii docent, sive contionantur, sive animis expiandis pro tribunali poenitentiae sedent, sive in sacras expeditiones dimittuntur, sive cum populo in cotidiana vitae consuetudine sermocinantur, nonne multiplex ista ministerii sacri exercitatio eo plus habitura est roboris atque efficacitatis, quo maiore eruditionis summa niteant ac polleant »?

9. *Se contineant in domibus ad studia destinatis.*

9. Quoniam vero haec iuvenum studiosa formatio compleri nequit ubi dissipationi locus detur, aut iuvenibus passim per diversas domos vagari, vel apud parentes commorari permittatur, ideo non absque iusta et gravi causa, de qua re Superiorum conscientia graviter onerata manet, eosdem itinera suscipere liceat, sed in domibus ad studia destinatis constanter permaneant; ibique, in exercitia pietatis ac scientiae, usque ad completum studiorum curriculum, incumbant assidue. Quod valet etiam, si quando eos, de licentia huius Sacrae Congregationis, ante completum quartum sacrae theologiae annum, presbyteratu insigniri contingat.

10. *Cura de neo-sacerdotibus.*

10. Cum autem maiores scopuli initio vitae sacerdotalis occurrere soleant, caveant Superiores ne post ordinationem et completo iam studiorum curriculo, iuvenes sibi ipsi relinquantur, sed per aliquod tempus sub speciali cura eosdem habeant. Quod ut facilius fiat, illos in domibus ubi perfecta viget regularis observantia assignent, speciale tyrocinium, pro uniuscuiusque captu, subituros. Interim studia prosequantur et in eis iugem profectum edant ad normam sacri canonis, praecipientis ut « religiosi sacerdotes,... post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis »: (1) de qua re, in quinquennali relatione Sacram hanc Congregationem edoctam teneant, simul rationem reddentes de causa motiva exemptionum, si quas ipsi dare censuerint.

(1) Ep. ap. cit., pp. 136, 137.

11. *Delectus personarum quibus iuvenes committantur.*

11. Haec autem omnia officia Superiores faciliore negotio adimplebunt, si in personis, quibus iuvenum institutio committitur deligendis, speciales impenderint curas, ut nonnisi viri prudentes, caritate ac pietatis observantia praestantes ad id muneris advocaverint. Ipsi vero spiritus Magistri necnon scientiarum Professores, alumnis suis, iam ab unguiculis, exemplo disciplinae religiosae et virtutum sacerdotalium esse satagant, scientes nonnihil verba, plurimum vero exempla ad animos iuvenum informandos conferre (1).

II.

De scrutinio ante susceptos ordines.

II.

De scrutinio ante susceptionem ordinum peragendo

12. *Memorato iure Superiorum, dandi dimissorias et conexa obligatione simili Episcoporum.*

12. Quod, vi canonicae legislationis, ad ordinationem religiosorum attinet, Superiores maiores vel concedunt litteras dimissorias Episcopis ordinantibus, (2) vel saltem alumnos ordinationi praesentant cum litteris testimonialibus. (3) Hisce testimonialibus litteris Superior religiosus non solum alumnos esse de familia testatur, sed etiam de studiis peractis, deque aliis in iure requisitis fidem facit (4). Hinc liquet, gravissimam illam obligationem qua tenentur Episcopi efformandi, probandi ac seligendi proprios subditos saeculares qui sacros ordines recipere volunt, eamdem prorsus Superioribus religiosis incumbere, quorum est suis subditis ad sacros ordines accessum permittere. Et licet Episcopi valeant ad normam iuris (5) testimonio Superiorum non acquiescere ac per sese religiosum ordinandum examinare, non tamen ad hoc tenentur; sed, coram Deo ac Ecclesia, Superiorum bono testimonio assentiri possunt, atque in ipsos plenam respondendi obligationem circa candidatorum formationem et dignitatem refundere (6).

13. *Sibi iniuncta existiment quae Episcopis inculcantur.*

13. Cum res ita sapienter ordinatae sint, tanquam sibi iniuncta Superiores existimare debent gravissima Apostoli verba, tam saepe inculcata, quibus Episcopi de strictissima obligatione admonentur, candidatos semel atque iterum probandi, antequam eos ad sacros urdines admittant: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (7)*: et*

(1) Can. 559 § 1; 588 §§ 1, 2.
(2) Can. 965 et 966 § 1.
(3) Can. 994 § 5.
(4) Can. 995 § 1.
(5) Can. 997 § 2.
(6) Can. 970, 995 § 2.
(7) *I Tim.*, V, 22.

hi autem (Diaconi) *probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes* (1). Priora verba commentans aiebat S. Ioannes Chrysostomus (2): *Quid est* cito? *Non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam; sed postquam saepius circumspexeris et accurate examinaveris.* Et Codex iuris canonici, Patrum Conciliorumque sententias perstringens, ait (3): *Episcopus sacros ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis certum sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis.*

14. Quae cum ita sint, sequentia ab omnibus religionum et societatum clericalium moderatoribus deinceps erunt observanda. Novitii, ante professionem votorum temporalium, quae omnino praecedere debet promotionem ad tonsuram et ad ordines minores, Superiori petitionem scripto deferant, in qua expressis verbis testimonium ferant de sua ad statum religiosum et clericalem vocatione, simulque firmum propositum pandant perpetuo se militiae clericali, in statu regulari, mancipandi (4): quae petitio et declaratio in archivo asserventur. Superiores vero quemquam ad ordines ascendere ne sinant, quamdiu de eiusdem moribus, pietate, modestia, castitate, ad statum clericalem propensione, in studiis ecclesiasticis profectu, necnon religiosa disciplina, sibi per accuratum scrutinium non constiterit (5). Ad quod certius obtinendum, testimonium exquirant Magistri spiritus aliorumque, quibus ob specialem cum alumnis frequentiam, horum vitam moresque pernoscere contigerit. Quae testimonia leviter ne recipiantur, sed sedulo ponderentur, habita ratione prudentiae, sinceritatis, iudicii maturitatis illa ferentium. De factis inquisitionibus deque scrutinii exitu, iustum condatur documentum in archivo asservandum. Denique, Superior ipse, vel per se, vel per alium scientia ac prudentia praeditum, sibique adolescentum fiduciae comparandae idoneum, hos interrogare curet, ut tandem aliquando certior reddatur, ipsos libere ac scienter ordines in statu religioso appetere.

14. *Nova praescripta moderatoribus religionum et societatum clericalium.*

Petitio noviciorum.

Accuratum scrutinium, ponderatis testimoniis.

Interrogatio adolescentum.

15. Quod ad ordinum maiorum susceptionem attinet, meminisse Superiores religiosos oportet, eos alumnos suos minime posse ad eosdem promoveri sinere, antequam professio-

15. *Quandonam possint ad sacros ordines promoveri.*

(1) Ibid., III, 10.
(2) *Homil. XVI*, n. 1.
(3) Can. 973 § 3.
(4) Can. 973 § 1.
(5) Can. 973 § 1.

nem sive perpetuam, sive solemnem emiserint (1). In Religionibus ubi perpetua vota non emittuntur, Superiores districte vetantur, alumnos ante triennium completum votorum temporariorum ad ordines sacros promovere: in Societatibus vero sine votis, — peracta, si adsit, perpetua seu definitiva cooptatione, — ante triennium item completum a prima post novitiatum cooptatione in ipsam Societatem.

16. *Nova inquisitio ante subdiaconatum.*

16. Antequam alumni ad subdiaconatum admittantur, novam Superiores inquisitionem de supradictis (2) instituere debent. Ad quod praestandum documenta inquisitionis iam peractae in archivo servata iterum videant, et nova testimonia de moribus, deque spiritualibus qualitatibus cum antiquis comparent; ut probe noscant quomodo iuvenes a prima professione. tum in disciplina religiosa, tum in profectu in studiis clericalibus sese exhibuerint. Quibus demum peractis, si digni et idonei inventi fuerint, nullaque adsit ratio canonica cur ab ordine recipiendo arceantur, Superiores litteras dimissoriales seu testimoniales pro ordinatione ipsis concedere possunt; iis servatis quae in iure canonico propriisque constitutionibus statuuntur.

17. *Iurata testificatio ordinandi.*

17. In omnibus vero Religionibus et Societatibus, Superiores antequam alumnos subdiaconatum praesentent, praeter inquisitionem supra praescriptam (n. 16), ab ipsis testificationem, intuitu subsecuturae, tempore suo, sacrae ordinationis, manu propria candidati subscriptam et iurisiurandi fide, coram Superiore, firmatam, exigere debent sequentis tenoris:

« Ego subsignatus *N. N.*, alumnus Ordinis vel Congregationis *N. N.*, cum petitionem Superioribus exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus ordine, diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor: 1. Nulla me coactione, seu vi, aut nullo impelli timore in recipiendo eodem sacro ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eumdem cum adnexis oneribus amplecti velle. — 2. Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ex eodem sacro ordine dimanantia, quae sponte amplector, ac Deo opitulante propono me toto vitae curriculo diligenter servare. — 3. Quae castitatis voto ac coelibatus lege praecipiuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo. — 4. Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam sacrorum canonum, obsequentissime obtemperaturum iis omnibus quae mihi a Praepositis, iuxta Ecclesiae

(1) Can. 964 §§ 3, 4.
(2) N. 14.

disciplinam, praecipientur, paratus virtutum exempla, tum opere, cum sermone, aliis praebere, adeo ut tanti officii susceptione retributionem a Deo promissam accipere merear. Sic testor ac iuro, super haec Sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.

... die ... mensis ... anni ....

N. N. manu propria ».

18. Notandum, in Ordinibus votorum solemnium, praedictam testificationem, manu propria religiosi subscriptam et iurisiurandi fide firmatam, emissioni votorum solemnium praemitti debere.

18. *Testificatio votis sollemnibus praemittenda.*

19. In dimissoriis litteris pro alumnorum ordinationibus, iuxta praescripta Codicis iuris canonici, concedendis, necnon in testimonialibus litteris, Superiores de his omnibus, onerata eorum conscientia, Episcopo ordinanti testentur; cui tamen liberum sit pro lubitu interrogationes etiam privatim alumnis ordinandis facere.

19. *Attestatio danda Episcopo ordinanti; huius ius.*

20. Licet pro diaconatus et presbyteratus ordine opus non sit informationes adeo amplas atque nova requirere testimonia, advigilent tamen Superiores et videant utrum, in intervallo ab unius et alterius ordinis sacri collatione, nova acciderint, quae vel patefaciant dubiam ad sacerdotium vocationem, vel nullam prorsus commonstrent. Hoc in casu, perscrutatione perquam diligenter peracta, adhibitoque virorum prudentum consilio, novi ordinis susceptionem penitus interdicant, remque ad hanc Sacram Congregationem referant, a qua, pro singulis casibus, quod opportunius in Domino visum fuerit, decernetur.

20. *Observanda ante admissionem ad Diaconatum et Presbyteratum.*

21. Haec omnia Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI in audientia diei 1ae mensis Decembris anni 1931, audita relatione ab infrascripto Card. Praefecto Sacrae Congregationis peracta, rata habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut praesens instructio omnibus Supremis Religionum et Societatum clericalium Moderatoribus notificetur, ab ipsis adamussim observanda, praecipiens etiam ut sub initio cuiuslibet anni religiosis clericis perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis Superiores in quinquennalibus relationibus Sacram hanc Congregationem edoceant.

21. *Approbatio S. Pont. cum mandata notificatione Superioribus, lectione, relatione.*

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausula.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno, ut supra.

Dies (1 dec. 1932).

Fr. A. H. M. Card. Lépicier O. S. M., *Praefectus.*

L. ✠ S.

V. La Puma, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Haec Instructio, non minus quam illa quam die 27 dec. 1930 (*Per.*, XX, 245 ss.) S. C. *de disciplina sacramentorum* de scrutinio ordinandorum promulgavit, tota quanta huc tendit ut praecaveatur inconstantia saepe lamentabilis et defectio eorum qui ordinibus sacris honorati sunt; et praecipue ut omnis occasio excusandi coactionem ipsis eripiatur.

Post quandam introductionem, binas partes complectitur, quarum altera de generali institutione seu praeparatione religiosorum ad ordines bene suscipiendos, sequendas normas commemorat, altera praescripta in posterum servanda de scrutinio ordinandorum accurate definit.

De introductione. In primis tribus paragraphis, cum bona religionum merita et praestantia vocationis, tum damna quae nimis saepe scandalosae desertiones religiosis ac Religioni afferunt commemorantur. Inde praesens Instructio summopere opportuna demonstratur.

I. *De Priore Parte. Generalis institutio.*

N. 6. Enucleate prudens iuvenum selectio, praeeunte matura deliberatione et diligenti investigatione, praecipitur.

a) Docemur, praeter communia vocationis religiosae indicia, signa peculiaris vocationis clericalis postulari.

Si quaeras quaenam sint haec peculiaria vocationis clericalis signa, videntur nobis consistere in firmo, motivis supernaturalibus fundato desiderio, non tantum vitae religiosae, sed etiam vitae sacerdotalis, coniuncto cum aptitudine ad superiora studia cum fructu peragenda. Addas, si religio fuerit apostolica, quandam iu-

dicii dotem ad prudenter exercenda ministeria sacra; quandam animi firmitatem quae, in variis adiunctis, per se in bono stare et proficere noverit. Etenim, cum sacerdotibus partes magis activae incumbant et ipsi facile in adiunctis periculosis versentur, non satis est ut passive in via virtutis et perfectionis perduci queant.

b) Necessitas istorum signorum specialium dicitur etiam causa esse cur alius pro conversis, alius pro clericis noviciatus praescribatur.

N. 7. Ex can. 587 § 2, Instructio praecipit ut expleto noviciatu, alumni in domibus bonae observantiae et perfectae vitae communis collocentur.

Praeterea vult ut ibi floreat paupertas, et cetera sint ita disposita ut superiora studia sacra fructuose peragi queant.

c) Libri et ephemerides ibi arcenda sunt quae bonos studiis sint impedimento. Libri isti, praeter pravos qui profecto excludendi sunt, intellegendi sunt etiam boni sed animum a studiis distrahentes; quae causa fuit ut Motu Proprio *Sacrorum Antistitum,* 1 sept. 1910, Pius X absolute prohibuerit, ne clerici in seminariis « diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima legerent » (1). Quod declaratio S. C. *Consistorialis* 25 sept. 1910 ad IV ad iuvenes regulares extendit (2). Litteris Em. Secretarii eiusdem Congregationis, prohibitio aliquantisper temperata est (*Per.,* V, 249.250).

d) Ex Conc. Tridentino colligitur esse quoque exercitationes corporales quae clericos minime decent et quae proinde ipsis vetandae sunt.

e) Positive praecipitur ut Magistri spiritus monitis, instructionibus et adhortationibus iuvenum animos ad vitam religiosam et clericalem informent.

N. 8. Verba usurpans SS. D. N. Pii Pp. XI (3),

(1) *Per.,* V. p. 199 Cfr Comment. p. 208. 209.

(2) *Per.,* V. 219.

(3) Ep. ap. *Unigenitus Dei Filius,* 19 mart. 1924, *De recta vitae religiosae ratione. Per.,* XIII, 1.

Instructio urget fervorem studiorum sacrorum, quae etiam religiosis vitae contemplativae addictis necessaria sunt.

N. 9. Agit de dissipatione vitanda ac proinde prohibendis multis excursibus, donec studiorum curriculum sit completum: idque etiam si religiosi antea facti sint sacerdotes.

N. 10. Instructio praecipit ut, suscepto sacerdotio, quasi in novo tyrocinio ut sacerdotes perficiantur, nec valedicant studiis. Commemoratur annuum examen a sacerdotibus religiosis per quinque annos praestandum.

N. 11. Denique maxime commendatur, ut quicumque in iuvenum institutione partes implendas habeant: Magistri spiritus, Professores, cum exemplo tum actione ad rectam institutionem a primis initiis collaborent.

N. B. Pars ista his notis discernitur: 1. Ex actis Pontificiis allegatis documenta hauriuntur. 2. Iterantur, addita ratione, plura anteriora praecepta, sed suaviore modo et abstinendo nimis strictis iussionibus particularibus.

Ita de studiis ante noviciatum requisitis, quanto rigore S. C. *de Religiosis,* decl. 7 sept. 1909 ad IV, gymnasialia studia ante philosophica et primaria ante gymnasialia exigebat, ita ut nec gymnasialia nec primaria censerentur legalia sine bene superato examine; dum nunc, secundum mitiorem Codicis dispositionem c. 589, mere postulatur ut ante philosophica studia « religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi forent » et exceptio ob gravem causam admittatur. Sic etiam Pius X, Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* 1 sept. 1910, absolute vetuerat, ut modo supra memoravimus, ne clerici in seminariis « diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima » legerent, dum nunc prohibitio coartatur ad libros et ephemerides quae bona studia impedirent.

II. *De altera Parte. Scrutinium.*

N. 12. Severe hic monentur Superiores, cum iure dandi litteras dimissorias ad ordines, conecti similia Episcoporum officia in vocandis iuvenibus ad ordines sacros.

N. 13. Hic praecepta Episcopis facta commemorantur.

His duobus numeris ad definita praecepta fit transitus. Id est:

1. *De ordinibus minoribus :*

a) Ante professionem votorum temporalium, novicii scriptam petitionem Superiori deferre debent, in qua, expressis verbis, testantur suam ad statum religiosum et clericalem vocationem, suumque firmum propositum « perpetuo se militiae clericali mancipandi ».

Itaque intentio quam Codex c. 488, 1^{0} in religiosis inesse supponit, iam expresse pandi debet.

Sicut S. C. *de Sacramentis* laudata instructione praecipiebat, id etiam praecipit S. C. *de Religiosis,* i. e. ut « expressis verbis testimonium ferant de sua ad statum religiosum et clericalem vocatione » ; sed quibus verbis id testari debeant non declaratur, dum in formula S. C. *de Sacramentis,* hanc suae voluntatis rationem dare debebant: « Cum experiar ac sentiam a Deo me esse re vera vocatum » (1). Quam subiectivam experientiam, quem sensum se experiri, plures etiam optimi asserere de se non audent, ita ut opus sit eosdem securos reddere, quod propria de vocatione persuasio etiam prudenti Moderatoris consilio et signis externis gigni queat. Difficultas huiusmodi ex verbis Instr. S. C. *de Religiosis* oriri nequit.

b) Superioribus debet per diligentem inquisitionem de qualitatibus candidati constare.

Hic, non paucis mirum visum est quod testimo-

(1) *Per.* XX, p. 253.

nium *Magistri spiritus* in primis exquirendum dicatur. Namque in pluribus iisque optime constitutis Seminariis « Magister spiritus » interesse prohibetur consilio in quo de admittendis ad ordinationes deliberatur. Qui usus prorsus laudandus est, ubi Director spiritus non est nisi spiritualis singulorum Moderator. Sed *Magister spiritus* quem Codex, 588 § 1 et 2 vult religiosis studentibus adesse distinguendus est a *Directore spiritus* quem c. 1358 et 1360 in seminariis ad confessarios addit. Magister spiritus religiosorum partes magistri noviciorum erga neo-professos continuare censetur. Monitis, instructionibus atque exhortationibus animos ad vitam religiosam informat (c. 588 § 2); atque in pluribus Institutis familiariter cum ipsis quasi continuo conversatur, non exclusa cura disciplinae exterioris. Quare, sicut ipse Magister noviciorum de noviciis, is de neo-professis rationem reddere potest et debet. Quae tamen iuvenes sive Magistro noviciorum sive Magistro spiritus de sua intima conscientia revelaverint, ambo isti gravissimo secreto commisso tegere debent et de sola sua exteriore observatione testimonium ferre possunt. Quare in Instruct. S. C. *de Sacramentis* nullatenus suadetur ut testimonium a Directore spiritus exquiratur.

Obtenta testimonia attente ponderanda sunt, et documentum de facta investigatione et de scrutinii exitu in archivo reponendum est.

c) Superior per se vel per alium fiduciae comparandae idoneum, adolescentes interrogare debet, ut certior reddatur ipsos libere ac scienter ordines in statu religioso appetere.

2. *De ordinibus maioribus.*

N. 15. Memoratur quaenam professionis ratio vel antiquitas has ordinationes praecedere debeat.

N. 16. Ante subdiaconatum, qua ratione ante ordines minores fieri iubebatur, eadem nova inquisitio a

Superioribus instituenda est. Hi documentum in archivo servatum cum novis testimoniis conferre debent. Qui digni reperti fuerint litteras dimissorias recipere poterunt.

N. 17. Attamen antequam ipsis tradantur, immo ante vota sollemnia (N. 18), debent religiosi propria manu iuratam testificationem scientiae et spontaneae voluntatis scribere et subsignare: tenor formulae est in Instructione contentus.

N. 19. Ipse Episcopus ordinans interrogationes ordinandis privatim facere permittitur.

Quisnam est Episcopus ordinans? Attento fine legis, hoc loco esse videtur cum Epicopus qui ordines re vera confert, tum Episcopus dioecesanus cuius nomine ordinatio peragitur.

N. 20. Ante diaconatum et presbyteratum, accurate inquirendum est utrum annon quaedam nova acciderint (vel etiam, ut putamus, anteriora revelata sint) quae vocationem ad sacerdotium dubiam vel nullam commonstrent. Quae res tunc ad S. Congregationem deferenda fuerit, prohibito interea accessu ad novum ordinem.

N. 21. Specialibus praescriptis cavetur de diligenti et constante exsecutione Instructionis.

A. VERMEERSCH S. I.

---

45. — S. Congr. Concilii

Resolutio 12 - 17 dec. 1931

DE PROVENTIBUS FODINARUM BENEFICIALIUM
(A. A. S., 2 maii 1931, XXIV, 147)

Romana et aliarum, 12 Decembris 1931

Dubium.

A nonnullis Ordinariis Italiae exhibitum est solvendum dubium quod sequitur: « Utrum proventus fodinarum pleno proprietatis iure ad beneficiarium spectent, an ad ipsum beneficium, ita ut beneficiarius ius habeat tantum ad fructus pecuniae ex fodinis perceptae ».

Quid in iure rom. de usufructuario.

ANIMADVERSIONES. — Ex iure romano fodinae, sive incoeptae sive noviter inventae in fundo, ad eius usufructuarium pertinebant. Hoc constat ex lege 9 ff. *de usufructu, et quemadmodum,* et ex lege 5 ff. eiusdem tituli. Quod usufructuarii ius leges modernae quodammodo temperarunt, cum usufructuariis inhibitum sit novas instituere fodinas.

Ex his videretur quod beneficiatorum favore cedere debeant commoda ex iisdem fodinis derivantia. Nam plures beneficiatum usufructuario aequiparant iuxta illud « clericus in beneficio usufructuario comparatur », et « beneficiarius censetur fructuarius in vita et usuarius in morte ».

Dubium de qualitate beneficiarii.

Verum non in omnibus beneficiatus usufructuario comparari potest. Tradit enim CASTILLO, *de usufructu,* cap. 79, n. 8: « Sed neque de iure communi praedicta aequiparatio usufructuarii et beneficiarii videtur secura, quoniam fructuarius libere de fructibus disponit, ut certissimum est, beneficiatus vero alio et diverso more ». Et quamvis in iure canonico expressa desideretur hac de re dispositio, haec saltem implicita deduci potest ex canone 1476, vi cuius beneficiarius habetur ut simplex administrator bonorum beneficialium, non autem verus usufructuarius, cum vi canonis 1473 libere ipse quidem frui possit fructibus beneficialibus qui ad eius sustentationem necessarii sint, sed obligatione teneatur fructus superfluos impendendi pro pauperibus vel piis causis.

Solutio Voet.

Casui ergo plene congruere videntur quae Voet scribebat, *ad Pandectas,* lib. VII, tit. I: « Magis est, ut tum metallorum, tum lapidum eductarum, tum cretae et arenae et terrae cespitosae aut fictilis effossae, proprietas proprietario cedat, fructuarius solo talium rutarum caesarumque pretio utatur, quamdiu vivit, aut ex eo foenori collocato usuras percipiat, finito usufructu pretium, deductis impensis, proprietario relicturus; sic ut tunc in rutis caesisque quasi usufructus fructuario intelligatur quaesitus, in quantum non ipsum illud, quod eductum est, sed eius aestimatio restituenda est ».

Solutio Aichner.

Inter alios, Aichner in *Compendio iuris eccles.,* § 232, n. 1, loquens de beneficiatis haec habet: « Ratione substantiae beneficii sui non habent dominium, sed hoc ad piam causam, scilicet ad ipsum beneficium spectat. Ad substantiam pertinent etiam emolumenta extraordinaria, v. g. thesaurus in fundis beneficialibus inventus, statuae aliaeque antiquitates pretiosae e solo erutae, magna et extraordinaria effossio lapidum, arenae, tophi, etc. Pecunia in eiusmodi rerum pretium soluta non ad beneficiatum spectat, sed favore beneficii investiri debet. Ete-

nim tales res e solo effossae non censentur esse in fructu beneficii, sed potius partes ex substantia separatae, quae frugiferae pro beneficiatis fieri possunt et debent ».

Praecedens solutio S. Cong. Ep. et Regul.,

His prae oculis habitis, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, in quadam causa circa pretium solutum a Societatibus pro viis ferreis ob lapidum effossionem in parte montana fundi a canonico poenitentiario possessi, die 6 Martii 1868, hoc responsum dedit: « Pecuniam solutam in pretium magnae et extraordinariae effossionis lapidum, arenae et cretae spectare beneficio et investiendum esse; et ad mentem »: quae fuit ut ex investiendo pretio subtraheretur congrua summa pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium.

S. Cong. Concilii.

Et Sacra Congregatio Concilii, respondendo ad dubia Episcopi Hildeshemien. circa erogationem pretii a quadam Societate soluti ob salem erutum ex fodinis beneficialibus, die 27 Iulii 1908 statuit: « Censum salis eruti spectare ad beneficium et investiendum esse in illius augmentum » (cfr *Acta S. Sedis,* vol. XLI, pag. 637).

Responsio in plenaria.

Resolutio. — Quaestio, ut supra proposita, in Comitiis plenariis diei 12 Decembris 1931 disceptata fuit, et E.mi Patres ad dubium:

An, et quanam mensura, proventus fodinarum beneficialium pertineant ad dotem beneficii vel ad beneficiarium, in casu;

responderunt:

Proventus fodinarum beneficialium pertinere ad dotem beneficii, detracta congrua summa pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium.

Approbatio Pontificis. Dies (17 dec. 1931).

Quam E.morum Patrum resolutionem Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, in Audientia diei 17 eiusdem mensis Decembris, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

Titius, beneficiatus, agrum, consueta ratione frugiferum, ut beneficium possidebat, quando in agro isto reperta est arenaria quam statim exercere coepit. Fuere forte etiam repertae lapicidinae vel venae metallicae. Sed dubium moveri coeptum est utrum proventus istarum fodinarum ad beneficiatum an ad beneficium pertineant. Haec ni fallimur species facti locum dedit prudenti solutioni S. C. Concilii.

Si *pro beneficiato* responderis, ipse, praeter omnem spem adauctos reditus percipiet. Si pro *beneficio*, proventus singulis annis dabunt capitale, cuius ad summum, usus vel foenus beneficiato obtinget. Ponamus, v. g. annuum proventum fodinae aestimari decem milibus libellarum. Si proventus addicantur beneficiato, huic quotannis ex fodinis redibunt decem milia libellarum; si vero beneficio tribuuntur, ipse quotannis decem milia libellarum beneficio servare debebit et solos civiles fructus summae decem milium libellarum, utputa (si foenus statuatur 5 p. c.) 500 libellas percipiet.

Consulamus ius civile, cuius in hac re magna est auctoritas. Si ab initio usus fructus fodinae exercebantur, proventus cedunt usufructuario. Beneficiatus autem in pluribus rebus usufructuario aequiperatur, nisi quod ipse est praeterea administrator, qui potest et quadantenus debet utilitati beneficii consulere. Cfr can. 1473. Si vero fodina non erat initio usufructus aperta, usufructuarius nullum ius habet eam aperiendi, quod naturam fundi quo frui potest mutaret. Cfr Pacifici-Manzoni, *Istituzioni di diritto civile italiano*, III, 2, n. 201. Quare nec ius habebit in illicite apertam fodinam.

Haec, ni fallimur, optime ad casum nostrum traduci possunt. Si ipsum beneficium consistat in exercita fodina (quae, v. g. fuerit legata), nulla ratio apparet cur proventus fodinae non sint ipsi fructus beneficii qui beneficiato cedere debent. In casu autem nostro, agitur de recens aperta fodina, et quidem industria beneficiati. Quare prudenter respondit S. Congr. proventus ad ipsum beneficium pertinere. Ex aequitate concessit tamen ut expensae factae a beneficiato et amissi fructus naturales (quos ante apertam fodinam ager ferebat) ipsis compensentur. — Pariter explices resolutiones in Animadversionibus allegatas.

A. Vermeersch S. I.

46. — S. Congr. De Religiosis

Notificazione 24 april. 1932

A TUTTI I SUPERIORI DI ORDINI E CONGREGAZIONI RELIGIOSE

(A. A. S., 2 maii 1932, XXIV, 149)

Significatio mox erigendi Officii *centralis pro scholis et Institutis catholicis Italiae.*

Per ottemperare agli augusti voleri del S. Padre, questa Sacra Congregazione con la presente Notificazione previene tutti i Superiori di Ordini e Congregazioni religiose o dipendenti da questo Sacro Dicastero, che presso la Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi, è in via di costituzione un *Ufficio centrale per le Scuole ed Istituti cattolici in Italia.*

De his adeunda erit S. C. de Semin. et Univers. studiorum.

Pertanto, affinchè vi sia maggior uniformità di indirizzo in tutti gli Istituti di istruzione ed educazione cattolici, maschili e femminili, di qualsiasi grado, anche affidati ad Ordini e Congregazioni religiose o dipendenti dall'autorità diocesana, Sua Santità si è degnata deliberare che d'ora innanzi essi facciano capo alla Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.

Ad officium spectabit licentia aperiendi scholas et instituta, eadem inspiciendi et providendi normis.

All'Ufficio centrale sopradetto spetterà concedere l'autorizzazione per l'apertura di nuove scuole ed istituti cattolici, provvedere ad opportune ispezioni per costatare il regolare funzionamento delle singole scuole ed impartire eventuali norme e direttive generali per il loro migliore sviluppo.

Dies (24 april. 1932).

Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Religiosi, 24 Aprile 1932.

A. M. Enrico Card. Lépicier O. S. M., *Prefetto.*

L. ✠ S.

V. La Puma, *Segretario.*

Annotatio

A generali provincia qua S. C. *de Religiosis* omnia religiosorum negotia sibi vindicat excipiuntur, sic volente SS. D., *in Italia* scholae et instituta instructionis catholicae quae religiosis commissa sint. Haec enim obnoxia erunt *Officio centrali* quod apud S. C. *de Seminariis et studiorum Universitatibus* constituitur.

47. — S. Poenitentiaria Apostolica

Decretum 16 feb. 1932

INDULGENTIAS B. M. VIRG. GUADALUPENSIS IMAGINEM VISITANTIBUS CONCEDENS

(A. S. S., 1 ap. 1932, XXIV, 129)

Dies (16 feb. 1932).

Die 16 Februarii 1932

Imago visitanda.

Sacra Poenitentiaria Apostolica universis christifidelibus, qui imaginem B. M. Virginis Guadalupensis in aliqua ecclesia vel publico oratorio expositam visitaverint, sequentes indulgentias benigne concedit: I. *Partialem*, saltem corde contrito lucrandam *a*) *trecentorum dierum* semel quocumque anni die; *b*) *septem onnorum totidemque quadragenarum* die 12 cuiuslibet mensis. II. *Plenariam* in festo Maternitatis B. M. Virginis, ultima Dominica post Pentecosten et die 12 mensis Decembris, si, confessi ac sacra Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Concessae indulgentiae.

Clausulae.

S. LUZIO, *S. P. Regens.*

L. ✠ S.

S. DE ANGELIS, *Substitutus.*

ANNOTATIONES

1. Ut verisimile est, miseranda rei catholicae vexatio in Mexicana re publica, causa fuit cur indulgentiis ditaretur imago B. Virginis quae sub titulo a Guadeloupe patrona est mexicanae dicionis. Spes est enim fore ut imaginem visitantes pro fidelibus Mexicanis divinam opem, intercedente Matre Dei, instantius et frequentius implorent.

2. Observes omissam esse mentionem « Sectio de indulgentiis » quae consueverat addi gratiis vel responsis quae indulgentias spectant.

ACTA SUMMATIM RELATA

48. — SS. D. N. Pius PP. XI

A. Bulla *Ad Christi nomen*, 14 iul. 1930, ab archidioecesi Verapolitana territorium seiungitur atque separatur, et in novam dioecesim de Vijayapuram nuncupatam erigitur, Carmelitarumque Provinciae Navarrae curis commissam, suffraganeam vero metropolitanae Ecclesiae Verapolitanae. Sedes et cathedra huius novae dioecesis in praefato vico de Vijyapuram constituitur et nova eiusque ecclesia princeps a fundamentis exstruenda ad cathedralis ecclesiae dignitatem evehitur (*A. A. S.*, XXIV, 67).

Nova dioecesis de Vijayapuram.

B. Bulla *Ad pastorale ministerium*, 26 mai. 1931, in Indiis Orientalibus territorium a Quilonensis dioecesis meridionali parte, ob nimiam vastitatem auctumque christifidelium numerum seiungitur et in novam ac distinctam dioecesim, Kottarensem nuncupatam, erigitur, metropolitanae Ecclesiae Verapolitanae suffraganeam: huius novae dioecesis sedes et episcopalis cathedra in vico *Kottar* constituitur et ecclesia, Deo in honorem S. Francisci Xaverii dicata, ad cathedralis dignitatem et fastigium extollitur (*A. A. S.*, XXIV, 33).

Nova dioecesis Kottarensis.

C. Bulla *Ad maius religionis*, 26 mai. 1931, e Kumbakonamensi et Mysuriensi dioecesibus et ex archidioecesi Pondicheriensi portiones continuae, civilem districtum *de Salem* efformantes, distrahuntur; ac territorium hoc ita constitutum in novam evehitur dioecesim nomine *de Salem* vocatam atque in urbe *Salem* sedes episcopalisque cathedra erigitur; metropolitanae vero Ecclesiae Pondicheriensis nova dioecesis constituitur suffraganea (*A. A. S.*, XXIV, 36).

Nova dioecesis de Salem.

D. Bulla *Quo salubrius*, 11 aug. 1931, pro meliore animarum regimine, suppressa ecclesiae S. Raphaelis, in urbe *Melo* exstantis, cathedralitate; episcopalis sedes dioecesis Melensis ex hac urbe in Urbem *Florida* transfertur. Ecclesia vero S. Raphaeli et ipsa dicata, in eadem urbe *Florida* exstans, ad cathedralis ecclesiae gradum et dignitatem extollitur, cum iisdem prorsus iuribus et privilegiis, honoribus et praerogativis, quibus ceterae in Uruguayana Republica cathedrales ecclesiae gaudent,

Translatio sedis episcopalis Melensis.

nec non cum omnibus oneribus et obligationibus eisdem adnexis. Dioecesis denique Melensis posthac *Floridensis et Melensis* nuncupabitur (*A. A. S.*, XXIV, 137).

De novae B. M. V. Perdolentis paroeciae in Urbe erectione.

E. Bulla *In Salaria huius*, 2 feb. 1932, ob tantam domorum ac civium frequentiam, et ad animarum regimen earumque salutem facilius atque uberius procurandam, aparoeciarum S. Ioseph ad viam Nomentanam et S. Teresiae territorio pars seiungitur circa B. Mariae V. Perdolentis templum sita et ex ea nova ac distincta paroecia, Ordini B. M. de Mercede concredita, erigitur et constituitur quae ab eiusdem templi nomine ac titulo B. Mariae Virginis Perdolentis nuncupatur (*A. A. S.*, XXIV, 139).

F. *Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Praefectura de Douala

1. Brevi *Apostolicum munus*, 31 mart. 1931, regio quae vergit ad occidentem et ad meridiem a Vicariatu apostolico Cameronensi seiungitur, et in novam erigitur apostolicam praefecturam cui nomen de Douala (*A. A. S.*, XXIV, 391).

Vicariatus ap.cus de Kisantu.

2. Brevi *Expostularunt a nobis*, 1 apr. 1931, ex apostolico vicariatu de Kwango occidentalis regio ob nimiam territorii amplitudinem atque ob incolarum numerum distrahitur, eademque in novum apostolicum vicariatum erigitur *de Kisantu* in Congo Belgico (*A. A. S.*, XXIV, 40).

Vicariatus Cameronensis, de Yaoundé nuncupatus.

3. Brevi *Sub anulo*, 3 apr. 1931, territorium vicariatus apostolici Cameronensis, parte novae praefecturae apostolicae de Douala exclusa, non Cameronensis sed de Yaoundé appellatur (*A. A. S.*, XXIV, 42).

Praefectura de Lintsing.

4. Brevi *Cum, aucto pastorum*, 5 apr. 1931, separato territorio quod tredecim civiles sub-praefecturas complectitur, e vicariatu apostolico de Tsinan, erigitur nova praefectura apostolica de Lintsing cleroque indigenae committitur (*A. A. S.*, XXIV, 42).

Missio de Gambia sui iuris.

5. Brevi *Noster Africae*, 6 mai. 1931, regio de Gambia a praefectura apostolica Senegalensi seiungitur, illaque in Missionem sui iuris de Gambia erigitur, iisdem cum finibus eiusdem coloniae anglicae (*A. A. S.*, XXIV, 44).

Missio independens de Kienning.

6. Brevi *Quae ad religionis*, 6 mai. 1931, territorium sex civiles sub-praefecturas complectens, ab apostolico vicariatu de Foochow dismembratur, et in sui iuris Missionem de Kienning erigitur (*A. A. S.*, XXIV, 45).

Praefectura apca de Lichow in Sinis.

7. Brevi *Cum, anno quintodecimo*, 6 mai. 1931, a vicariatu apostolico del Changteh sex sub-praefecturae civiles, nempe de *Lichow, Ansiang, Anfu, Chihmen, Tzeli, Tayung* separantur,

illaeque in novam constituuntur apostolicam praefecturam, Patrum ex Ord. Erem. S. Augustini curis concreditam, cuique nomen fit de Lichow in Sinis (*A. A. S.*, XXIV, 46).

Praefectura apca de Yochow.

8. Brevi *Ob nimiam*, 7 maii 1931, quattuor sub-praefecturae civiles e vicariatu apostolico de Changteh distrahuntur ac separantur, earundemque territorium in novam praefecturam apostolicam erigitur de Yochow, Patrum ex Ord. Erem. S. Augustini curis concessam in Sinis (*A. A. S.*, XXIV, 47).

Praefectura de Yutze in Sinis.

9. Brevi *Cum Minister Generalis*, 17 iun. 1931, a Vicariatu apostolico de Taiyuanfu territorium ob latitudinem atque incolarum multitudinem seiungitur, idemque in novam praefecturam apostolicam de Yutze in Sinis erigitur curis Patrum Ord. Fr. Minorum commissam (*A. A. S.*, XXIV, 109).

Praefectura de Tsitsikar in Sinis.

10. Brevi *Ex hac divi*, 17 aug. 1931, missio sui iuris de Tsitsikar in Sinis, quae labentibus annis ampliora incrementa feliciter suscepit, ad dignitatem praefecturae apostolicae evehitur curis Sacerdotum Soc. Missionum Exterarum de Bethlehem in Helvetia concreditae (*A. A. S.*, XXIV, 111).

Mytilene insula dioecesi aggregatur Chiensi.

11. Brevi *Quae catholico nomine*, 20 aug. 1931, insula Mytilene in mari Aegeo ab archidioecesi Smyrnensi canonice segregatur ac disiungitur, eademque ita separata ac seiuncta similiter canonice dioecesi adiungitur atque aggregatur Chiensi, cuius territorium intra fines Reipublicae Graecorum continetur (*A. A. S.*, XXIV, 112).

Vicariatus apcus de Nova Guinea Centrali.

12. Brevi *Quae rei sacrae*, 22 aug. 1931, praefectura apostolica de Nova Guinea Centrali, ob auctum numerum catholicorum et territorium, ad vicariatus apostolici gradum ac dignitatem evehitur (*A. A. S.*, XXIV, 113).

Restitutio monasterii Ord. Cisterc. a B. M. de Hardehausen.

13. Brevi *Paderbonensis dioecesis*, 8 sept. 1931, perantiquum Ord. Cisterciensis monasterium a B. Maria *de Hardehausen* sui iuris cum noviciatu constituitur et Prior regens cum proprio conventu nominatur. Deinde prioratum in Hardehausen, intra fines archidioecesis Paderbonensis canonice erectum in abbatiam elevatur et ipse conventus abbatia declaratur, atque Abbas Marienstattensis, administrator apostolicus statuitur (*A. A. S.*, XXIV, 114).

Praefectura apca de Sinu denominatur praefectura apca S. Georgii.

14. Brevi *Constitutione Apostolica*, 12 ian. 1932, praefectura apostolica de Sinu intra fines Reipublicae Columbianae erecta 12 mensis iunii an. 1924, in locum denominationis minus aptae « de Sinu », appellatur praefectura apostolica Sancti Georgii (*A. A. S.*, XXIV, 39).

G. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

Templum

1. Brevi *Budapestina in civitate*, 15 mai. 1931, templum

Budapestina in civitate S. Stephani Hung. Regis.

Budapestinum intra fines Strigoniensis archidioecesis, magnum operibusque pulcherrimis fulgens in honorem S. Stephani Hungariorum Regis Deo dicatum (*A. A. S.*, XXIV, 108).

Cathedrale templum Gnesnense B. M. V. in coelum Assumptae.

2. Brevi *Sanctae Romanae Ecclesiae*, 20 iun. 1931, cathedrale templum Gnesnense, magna antiquitate renidens, atque S. Adhalberti martyris reliquias ab a. D. millesimo servans, Beatae M. Virgini in caelum Assumptae in honorem Deo dicatum (*A. A. S.*, XXIV, 110).

49. — S. C. Consistorialis

I.

Dioeceses Fuldensis et Moguntina.

Decreto 5 dec. 1930, mutantur Fuldensis et Moguntinae dioecesis fines, pro utiliore fidelium regimine, necnon ut fines earundem dioecesium plene congruant cum respectivis finibus politicis, prout nunc exsistunt, inter Borussiam et Hassiam (*A. A. S.*, XXIV, 51).

Dioeceses Paderbonensis et Coloniensis.

Decreto 27 nov. 1931, mutantur fines Paderbonensis et Coloniensis dioecesis (*A. A. S.*, XXIV, 116).

Dioeceses Fuldensis et Paderbonensis.

Decreto 2 ian. 1932, a territorio dioecesis Fuldensis nonnulli vici avelluntur ut Paderbonensi incorporentur (*A. A. S.*, XXIV, 117).

Dioeces Botucatuensis et Sorocabana.

Decreto 5 febr. 1932 mutantur fines dioecesis Botucatuensis et Sorocabanae (*A. A. S.*, XXIV, 118).

Mutatio tituli dioecesis.

Decreto 22 mart. 1932, cum dioecesis Transilvaniensis in Conventione sollemni inita et confirmata inter Apostolicam Sedem et Romaniae Regnum, *Alba Iulia* vulgari lingua denominetur, statuitur ut diocesis *Transilvaniensis* posthac *Albae Juliensis* nuncupetur (*A. A. S.*, XXIV, 146).

II.

Monitum circa Sacerdotem Ioseph Marazzi.

Omnes monentur fideles: Sacerdotem Ioseph Marazzi, ex archidioecesi Salernitana, in civitate Neo Eboracensi commorantem, ab ipsa S. C. suspensum a divinis fuisse, atque excommunicatum declaratum et inhabilem ad omnia officia et beneficia ecclesiastica (*A. A. S.*, XXIV, 53).

III.

Designationes Ordinariorum pro appellationibus: Secundum Episcopi designationem appellabitur ad tribunal Emi Archiepiscopi Wratislaviensis a tribunali Episcopi Misnensis (rescr. 9 mart. 1932; *A. A. S.*, XXIV, 120).

Designatio tribunalis appellationis.

50. — S. C. pro Ecclesia Orientali

Decreto 16 mart. 1932, Congregatio Sororum a Ss. Cordibus Iesu et Mariae, cuius domus princeps sita est Berythi definitive approbatur, Constitutiones vero ad decennium (*A. A. S.*, XXIV, 120).

Sorores a Ss. Cordibus Iesu et Mariae.

51. — S. C. Rituum

A. *Causae canonizationis et beatificationis:*

1. *Neapolitana.* Decretum 16 dec. 1931, introductionis causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Ianuarii De Rosa, Can. Poenitentiarii maioris metropolitanae ecclesiae Neapolitanae *(A. A. S.*, XXIV, 82).

Ianuarius De Rosa.

2. *Romana.* Decretum 24 ian. 1932, super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Vincentii Pallotti, sacerdotis fundatoris Piae Soc. Missionum *(A. A. S.*, XXIV, 121).

Vincentius Pallotti.

3. *Sinarum seu Tusculana.* Decretum 28 febr. 1932, super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Assumptae Pallotta, sororis professae Instituti Sororum Franciscalium Missionariarum Mariae *(A. A. S.*, XXIV, 125).

Maria Assumpta Pallotta.

B. *Aliae res.*

Decretum 6 ian. 1932, de Officiis, Missis et Elogiis in festis Maternitatis B. M. V., S. Roberti Bellarmino, Ep. Conf. et Eccl. Doct., et S. Alberti Magni, Ep. Conf. et Eccl. Doct. *(A. A. S.*, XXIV, 151).

Officia, Missae, Elogia de novis Festis.

52. — S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae (1)

Anno 1931

I. *Causae iudicatae*

	Impedimentum	Allegatum	Admissum	Negatum
Nullitatis	Clandestinitas	4	3	1
	Condiciones appositae	4	1	3
	Consensus deficiens	10	2	8
	Defectus formae substantialis	1	0	1
	Defectus mandati procuratorii	1	1	0
	Dementia mulieris	1	1	0
	Impotentia mulieris	1	1	0
	» viri	3	1	2
	Intentio contra bonum prolis	8	3	5
	bonum sacramenti	3	1	2
	Vis et metus	26	13	13
Dispensatio		1	0	1
»	super rato	1	1	0
		64	28	36

ALIAE CAUSAE

Ceterae causae fuere ter *de Credito;* semel *de Titulo Nobiliari;* semel *de Exsecutione sententiae arbitralis;* semel *de Poenis.*

II.

Causae quae eodem anno 1931 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	Impedimentum	Allegatum
Nullitatis.	Amentia viri	1
	Defectus consensus	2
	Error	2
	Exclusio sacramenti	1
	Impotentia	1
	Intentio contra bonum prolis	1
	Ligamen	1
	Reiecto libelli	2
	Vis et metus	10
		21

(1) Quaedam capita simul allegata fuere.

ALIAE CAUSAE

Diffamationis, Crediti, Iurium, Pensionis, Iniuriarum, finem habuere sine definitiva sententia.

53. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt :

29 oct. 1931, R. P. D. Ioannes Gregorius Murray, ex ep. Portlandensi, Metropolitanae Ecclesiae S. Pauli de Minnesota. *S. Paolo di Minnesota (U. S. A.).*

27 nov. 1931, R. D. Aloisius Guizar, Cathedrali Ecclesiae Campecorensi. *Campeche (Messico).*

11 dec. 1931, R. P. D. Rodericus Villeneuve, ex ep. Gravelburgensi, Metropolitanae Ecclesiae Quebecensi. *Quebec (Canadà).*

16 dec. 1931, R. P. D. Carmelus Cesarano, ex arch.-ep. Campaniensi, servato titulo Archiepiscopi ad personam, Cathedrali Ecclesiae Aversanae. *Aversa (Italia).*

18 dec. 1931, R. P. D. Alexander Pasquel, Cathedrali Ecclesiae Ibarrensi. *Ibarra (Equatore).*

18 dec. 1931, R. D. Stanislaus Bona, Cathedrali Ecclesiae Insulae Grandis. *Grand Island (U. S. A.).*

18 dec. 1931, R. D. Guillelmus Lee, Cathedrali Ecclesiae Cliftoniensi. *Clifton (Inghilterra).*

19 dec. 1931, R. P. D. Elia Dalla Costa, ex ep. Patavino, Metropolitanae Ecclesiae Florentinae. *Firenze (Italia).*

15 ian. 1932, R. P. D. Ioannes Bapt. Peruzzo, ex ep. Oppidensi, Cathedrali Ecclesiae Agrigentinae. *Agrigento (Italia).*

29 ian. 1932, R. P. D. Pius Leonardus Navarra, ex ep. Eugubino, Cathedralibus Ecclesiis Terracinensi, Setinae et Privernensi. *Terracina, Sezze e Priverno (Italia).*

29 ian. 1932, R. D. Alexander Gonzalez, Cathedrali Ecclesiae Matagalpensi. *Matagalpa (Nicaragua).*

30 ian. 1932, R. D. Carolus Agostini, Cathedrali Ecclesiae Patavinae. *Padova (Italia).*

6 febr. 1932, R. P. D. Gabriel Vettori, ex ep. Pistoriensi et Pratensi, Metropolitanae Ecclesiae Pisanae. *Pisa (Italia).*

22 febr. 1932, R. D. Petrus Tagliapietra, Cathedrali Ecclesiae Sancti Severini, cum administratione perpetua Ecclesiae Treiensis. *San Severino (Italia).*

2 mart. 1932, R. D. Iosephus Franciolini, Cathedrali Ecclesiae Cortonensi. *Cortona (Italia).*

Tarquinia e Civitavecchia (Italia).

3 mart. 1932, R. D. Aloisius Drago, Cathedralibus Ecclesiis Tarquiniensi et Centumcellarum.

Gubbio (Italia).

30 mart. 1332, R. D. Beniaminus Ubaldi, Cathedrali Ecclesiae Eugubinae.

Oppido Mamertina (Italia).

4 apr. 1932, R. D. Nicolaus Colangelo, Cathedrali Ecclesiae Oppidensi.

Angola e Congo (Portogallo).

7 apr. 1932, R. P. Moyseu Alves de Pinho, Cathedrali Ecclesiae Angolensi et Congensi.

Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt:

Coimbatore (India).

12 ian. 1932, R. D. Ludovicus Iosephus Tournier, Cathedrali Ecclesiae Coimbaturensi.

Rockampton (Australia).

12 ian. 1932, R. D. Romualdus Hayes, Cathedrali Ecclesiae Roekhampctonensi.

Santorino (Grecia).

12 ian. 1932, R. P. Georgius Raymundo, Cathedrali Ecclesiae Sanctoriensi.

54. — Nominationes

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

Sikkim (India).

17 iul. 1931, R. Iulius Douénel, Praefectus Apcus de Sikkim

Gambia (Africa).

16 oct. 1931, R. D. Ioannes Meehan, Superior ecclesiasticus Missionis de Gambia.

Ubanghi Belga (Congo Belga).

16 oct. 1931, R. P. Basilius a Brugis O. F. M. Cap., Praefectus Ap.cus de Ubanghi.

Wuchow (Cina).

30 oct. 1931, R. D. Franciscus Meyer, Superior ecclesiasticus Missionis de Wuchow.

Tali (Cina).

13 nov. 1931, Ioannis B. Magenties, Superior ecclesiasticus Missionis de Tali.

Curaçao (Piccole Antille).

15 nov. 1931, R. P. Innocentius Verriet O. P. Episc. elect. Eleuthernensis, Vicarius Ap.cus Curacaensis.

Langson e Caobang (Indocina).

20 nov. 1931, R. P. Felix Hedde O. P., Praefectus Ap.cus de Langson et Caobang.

Sinkiang (Cina).

20 nov. 1931, R. P. Ferdinandus Loy, Superior ecclesiasticus Missionis de Sinkiang.

Norvegia Settentrionale (Norvegia).

5 dec. 1931, R. D. Ioannes Starcke, Superior districtus ecclesiastici Norvegiae Septemtrionalis.

Goajira (Colombia).

21 dec. 1931, R. P. Benvenutus a Chilches O. M. C, Episc. elect. Castoriensis, Vicarius Ap.cus de Goajira.

Siwantze Cina).

21 dec. 1931, R. P. Leo Desmet, Episc. elect. Adraënus, Vicarius Ap.cus de Siwantze in Sinis.

Nyeri (Afr. centr.).

21 dec. 1931, R. P. Carolus Re, Episc. elect. Hadrumetinus, Vicarius Ap.cus de Nyeri in Africa Centrali.

Ningsia (Cina).

21 dec. 1931, R. P. Gaspar Schotte, Episc. elect. Petinessensis, Vicarius Ap.cus de Ningsia in Sinis.

21 dec. 1931, R. P. Renatus Graffin, Episc. elect. Mosynopolitanus, Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Apostolici de Yaoundé in Africa Centrali. *Yaoundé (Afr. Centr.).*

18 ian. 1932, R. P. Georgius Weld S. I., Episc. elect. Mallotanus, Vicarius Ap.cus Guyneae Anglicae. *Guyana (Am. mer.).*

18 ian. 1932, R. P. Arsenius Turquetil, Episc. elect. Ptolemaidensis in Phoenicia, Vicarius Ap.cus Sinus de Hudson. *Baia di Hudson (Canadà).*

18 ian. 1932, R. D. Ioannes Tchang, Episc. elect. Antipyrgensis, Vicarius Ap.cus de Chaoshien in Sinis. *Chaoshien (Cina).*

B. *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt:*

16 nov. 1931, R. D. Ioannes Odendahl C. M., Praeses Pont. Operis a Propagatione Fidei pro Honduras in America centrali. *Honduras (Am. centr.).*

23 nov. 1931, R. I. M. Van Oers, Praeses Pont. Operis a Propagatione Fidei in Hollandia. *Olanda.*

55. — Necrologium

5 iun. 1931, D. Crescentius Errazuriz y Valdivieso, archiepiscopus S. Iacobi de Chile. *Santiago del Chile.*

29 nov. 1931, D. Ioannes Victor Aemilius Chesnelong, archiepiscopus Senonensis. *Sens (Francia)*

7 dec. 1931, D. Carolus Fritz, archiepiscopus Friburgensis. *Freiburg im Breisgau (Germania).*

15 dec. 1931, D. Petrus Paulus XIII Tertian, patriarcha Ciliciae Armenorum. *Ciliciae Armenorum.*

18 dec. 1931, D. Gustavus Waffelaert, episcopus Brugensis. *Bruges (Belgio).*

24 dec. 1931, D. Elia Petrus Huayek, patriarcha Antiochenus Maronitarum. *Antiochia.*

25 dec. 1931, D. Aloisius Scarano, episcopus Tiburtinus. *Tivoli (Italia).*

2 ian 1932, D. Riccardus Carlesi, episcopus Cortonensis. *Cortona (Italia).*

11 ian. 1932, D. Maria Desideratus Hippolytus Paget, episcopus Valentinensis. *Valence (Francia).*

22 ian. 1932, D. Salvator Scanu, episcopus S. Marci et Bisianensis. *S. Marco e Bisignano (Italia).*

28 ian. 1932, D. Isidorus Sain, episcopus Fluminensis. *Fiume (Italia).*

15 febr. 1932, D. Martialis Lopez y Criado, episcopus Gadicensis. *Codice (Spagna).*

26 mart. 1932, D. Laurentius Ioseph Ant. Hubertus Schrijnen, episcopus Ruremondensis. *Roermond (Olanda).*

26 mart. 1932, D. Sigismundus Lozinski, episcopus Pinskensis. *Pinsk (Polonia).*

21 apr. 1932, Emus D. Card. Gustavus Fridericus Piffl, archiepiscopus Vindobonensis. *Wien (Austria).*

27 apr. 1932, D. Nicolaus Rotoli, episcopuse Aserniensis et Venafranus. *Isernia e Venafro (Italia).*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex Libris.*

Il XL Anniversario della Enciclica « Rerum Novarum ». Scritti commemorativi pubblicati a cura della Università Cattolica del S. Cuore con il contributo dell'Unione Cattolica per le scienze sociali. Vol. (17 × 25.5), XV-640 pag. Milano, Soc. Ed. « Vita e Pensiero » 1931. Lit. 50.

P. A. Gemelli (O. F. M.), Milano: *Prefazione* - Litterae Encyclicae « Quadragesimo anno » SS. D. N. Pii Pp. XI — **Severino Aznar,** Madrid: *La Enciclica « Rerum Novarum » y el salario familiar* — **A. Boggiano Pico,** Genova: *I presupposti dottrinali dell' Enciclica « Rerum Novarum »* — **Theodor Brauer,** Köln: *Die Bedeutung der Enziklika « Rerum Novarum » für Deutschland.* — **P. A. Brucculeri** (S. I.), Roma: *L'organizzazione professionale nella « Rerum Novarum ».* — **Ferdinand Graf Degenfeld-Schonburg,** Wien: *Die sozialpolitischen Forderungen der Enzyklika und ihre Erfüllung.* — **Eugène Duthoit,** Lille: *De « Rerum Novarum » à « Quadragesimo anno ». Nouvelles clartés sur la propriété.* — **Louis Duval-Arnould,** Paris: *L'Encyclique « Rerum Novarum » et les droits de la morale sur l'économie politique.* — **P. Valère Fallon** (S. I.), Louvain: *Les allocations familiales en Belgique.* — **Georges Goyau,** Paris: *Pour le quarantième anniversaire de l'encyclique « Rerum Novarum ». Léon XIII et Pie XI.* — **Dietrich von Hildebrand,** München: *Die Stellung des Menschen zu Beruf und Arbeit im Sinne der Enzyklika « Rerum Novarum ».* — **Heinrich Lechtape,** Münster: *Die Enzyklika und das Problem der sozialen Klassen.* — **George Legrand,** Belgique: *Autonomie et collaboration dans la ligne de l' Encyclique « Rerum Novarum ».* — **Federico Marconcini,** Milano: *L'unità del pensiero economico di Gioachino Pecci negli scritti anteriori e posteriori alla « Rerum Novarum ».* — **Mario Marsili Libelli,** Milano: *L'Enciclica « Rerum Novarum » e la idea di solidarietà.* — **Étienne Martin Saint-Leon,** Paris: *L'Encyclique « Rerum Novarum » et l'organisation professionnelle en France.* — **Iacopo Mazzei,** Firenze: *Principî etici ed economia.* — **P. Albert Muntsch** (S. I.), St. Louis University (U. S. A.):

The teaching of Leo XIII on the family and private property in the light of modern ethnology. — **P. Oswald von Nell-Breuning** (S. I.), Frankfurt a. M.: *Die Familie und ihre wirtschaftliche Sicherung in Vermögen und Einkommen nach der Enzyklika « Rerum Novarum ».* — **George O' Brien,** Dublin: *« Rerum Novarum » and the neo-classical Theory of Wages.* — **Frank O. Hara,** Washington: *The Encyclical as a solution of our agricoltural problem.* — **P. Leo O' Hea** (S. I.), Oxford: *The work of the Catholic Social Guild and Catholic Workers' College.* — **René Pinon,** Paris: *L'application de l'encyclique dans les colonies.* — **Otto Schilling,** Tübingen: *Die deutsche Sozialpolitik und die Enzyklika « Rerum Novarum ».* — **P. A. D. Sertillanges** (O. P.), Paris: *A quelles conceptions et à quelle structure sociale se rattachent les enseignements de l'Encyclique « Rerum Novarum ».* — **Henry Somerville,** London: *The catholic social movement in England.* — **Iakob Strieder,** München: *Die sozialgeschichtliche Bedeutung des Hl. Franciscus.* — **Peter Tischleder,** Münster i. W.: *Eingriffsrecht und Eingriffspflicht der Staates zur Lösung und Hinderung der sozialen Frage nach dem Rundschreiben « Rerum Novarum ».* — **Max Turmann,** Fribourg: *Léon XIII, les catholiques sociaux et les origines de la législation internationale du travail.* — **P. Albert Valensin** (S. I.), France: *L'Encyclique « Rerum Novarum » et les clauses ouvrières du Pacte de la Société des Nations.* — **P. A. Vermeersch** (S. I.), Roma: *La justice dans la « Rerum Novarum ».* — **Francesco Vito,** Milano: *Lo sviluppo della politica sociale in Germania e le direttive della « Rerum Novarum ».* — **P. Lewis Watt** (S. I.), Oxon: *« Rerum Novarum » and the evolution of capitalism in Great Britain.*

Jos. Aertnys (C. SS. R.) — **Damen** (C. SS. R.). *Theologia Moralis secundum Doctrinam S. Alfonsi de Ligorio.* — Editio duodecima a R. P. Damen C. SS. R. recognita. — 2 Vol. (15.5 × 23), Marietti, Taurinorum Augustae. 1932. Lib. it. 80.

Tomus I, XX-763 pag. Liber I. De principiis generalibus: De actibus humanis - De conscientia - De legibus - De peccatis - De virtutibus. — Liber II. De praeceptis virtutum theologicarum: De fide - De spe - De charitate. — Liber III. De praeceptis decalogi: De I praecepto - De II - De III - De IV - De V - De VI et IX - De VII et X - De VIII. - Liber IV. De praeceptis Ecclesiae: De abstinentia et ieiunio - Annua confessio et communio - censura et prohibitio librorum — Liber V. De praeceptis statuum vitae: De statu clericali - De statu Religioso - De officiis quorumdam saecularium.

Tomus II, 821 pag. Liber VI. De sacramentis novae legis:

De sacramentis in genere - De Baptismo - De Confirmatione - De Eucharistia - De Poenitentia - De Extrema Unctione - De Ordine - De Matrimonio — Liber VII. De poenis et indulgentiis: De delictis et poenis in genere - De censuris - De Poenis vindicativis - De indulgentiis.

Benedictus H. Merkelbach (O. P.). *Summa Theologiae Moralis.* - Tom. II. Vol. (15.5 × 22.5), 994 pag. Desclée de Brouwer, Paris. 1932.

Theologia moralis specialis de virtutibus moralibus - De virtute cardinali prudentiae et de virtutibus adnexis: De ipsa prudentia. De virtutibus prudentiae adnexis - De virtute cardinali iustitiae et de virtutibus adnexis: De iustitia in genere. De iustitia legali. De iustitia commutativa. De iustitia distributiva. De virtutibus iustitiae adnexis - De virtute cardinali fortitudinis et de virtutibus adnexis: De ipsa fortitudine. De virtutibus fortitudini adnexis - De virtute cardinali temperantiae et de virtutibus adnexis: De temperantia in genere. De abstinentia. De sobrietate. De castitate et pudicitia. De virtutibus temperantiae adnexis.

Piscetta-Gennaro (S.S.). *Elementa Theologiae Moralis.* Volumen VII. De peccatis castitati oppositi et de usu matrimonii. Vol. (13.5 × 21), XVI - 239 pag. Torino, Soc. Editr. Intern. 1932. Lit. 10.

Catalogus Scriptorum - Tractatus schema - Disputatio I. Potiores notiones de biogenesi humana - Disputatio II. De peccatis castitati oppositis - Disputatio III. De usu matrimonii.

Joseph. M. Pernicone. *The Ecclesiastical Prohibition of Books* Vol. (15 × 23), 257 pag. Cath. University of America, Washington, D. C. 1932.

I. Apologetical and Historical Introduction - The Divine Law - The Ecclesiastical Law and Prohibition of Books - II. Present Law of the Church on Prohibition of Books - General Principles - Author of the Prohibition of Books - Denunciation of bad Books - Extension of the Prohibition of Books - Force of the Prohibition of Books - Books forbidden by General Law - Books forbidden by special Decree and The Index of Prohibited Books - Exemptions and Exceptions - Duties of local Ordinaries and others in care of souls - Penalties for the Violation of the Ecclesiastical Laws on Prohibition of Books.

G. Vromant. *De Fidelium Associationibus.* Vol. (15.5 × 23.5), VIII - 138 pag. Louvain, Museum Lessianum, 1932.

De fidelium associationibus in genere - De fidelium associationibus in specie - I. De tertiis Ordinibus saecularibus - II.

De confraternitatibus et piis unionibus - III. De archiconfraternitatibus et primariis unionibus - IV. De quibusdam piis associationibus nominatim.

Emil Erich Hölscher. *Die ethische Umgestaltung der römischen Individual - Iustitia durch die universalistiche Naturrechtslehre der mittelalterlichen Scholastik.* Vol. (16 × 24,5), 110 pag. Paderbon, Schöningh, 1932.

Einleitung - I. Das römische Naturrecht - II. Cristentum und Naturrecht - III. Das Naturrecht der Scholastik - IV. Die justitielle Umgestaltung des römischen Rechtsdenkens durch das Naturrecht der Scholastik - Schlussbetrachtung.

Vincenzo Del Giudice (Avv.). *Istituzioni di Diritto Canonico* 2 Vol. (17 × 24.5), Milano, Giuffré, 1932. 1. Vol. 471 pag. Lit. 50: Introduzione - I. Essenza della Chiesa - II. Costituzione e governo della Chiesa. - 2. Vol. 307 pag. Lit. 32: III. Il ministero ecclesiastico (in particolare, del matrimonio) - IV. La funzione giudiziaria - V. Le responabilità penali.

A. De Vleeschauwer. *A propos des Allocations Familiales en Belgique.* Vol. (12 × 19) 164 pag. Louvain, Éditions de la Soc. d'Études mor. soc. et jurid. 1932.

La généralisation des allocations familiales d'après la loi du 4 août 1930 - Aperçu schématique de la loi du 4 août 1930 - Quelques cas importants dans l'application de la loi - La coordination indispensable des lois sur les allocations familiales en faveur des agents des pouvoirs publics - Les allocations familiales aux non salariés - Annexes.

N. Manetti Cusa (Ing.). *La Redenzione Economica = L'Hallesismo.* Vol. (15,5 × 21,5), 215 pag. Roma, P. Maglione, 1932. Lit. 10.

Teoria: Il problema economico - Il mercato - La moneta - La trinità economica - Tecnica: L'unificazione del contratto di scambio - L'unificazione del contratto monetario - La Hallesint Fondazione Universale - Pratica: Funzionamento iniziale - Il valore spirituale dell'Hallesismo - Il calvario Hallesista.

Dom G. Meunier (O. S. B.). *Gerbe de merveilles.* Vol. (12 × 19), X-140 pag. Paris, P. Téqui, 1931. 7 fr.

A travers la longue et belle vie de Sainte Marie-Madeleine Postel - Sur les pas de « La bonne Mère Placide » - Conclusion - Lettre Apostolique de S. S. Pie X.

Eug. Duplessy (Ch.). *La Chasse aux Bévues: Erreurs et Ignorances religieuses.* Vol. (12 × 19), X-224 pag. Paris, P. Téqui, 1932.

Autour du mystère - A propos de l'homme - « Passons au

déluge! » - En marge de l'Ancien Testament - Un cinquième Évangile - Quelques paroles de Notre-Seigneur - La Rédemption - Autour de l'Église - Le Pape - Autour du Pape - Les Fins dernières - Coup d'oeil sur la Morale générale - Quelques Devoirs envers Dieu - Tu ne tueras point - Les Saints - Baptême, Pénitence, Extrême Onction - L'Eucharistie et la Communion - La Messe - L'Ordre et le Mariage - La Vie religieuse, les Jésuites.

Oscar Huf (S. I.). *Zonnekinderen en Zonnedagen* Vol. (10.5 × 16.5), XLVIII - 894 pag. Maastricht. Algemeen Sekretariaat der Maria Congregaties, 1931.

Personen - en Zakenregister - Plaatsenregister.

II. — *Ex Periodicis*

Apollinaris 1932. — D'AMBROSIO (1931) Sorores externae monasteriorum monialium iuxta novissima statuta data a S. C. de Religiosis - De valore cuiusdam clausulae quae aliquibus rescriptis S. C. de Religiosis apponitur. — DE CLERCQ (1931) Notae historicae circa fontes iuris particularis Orientalium Catholicorum. — TEODORI (1931) Excommunicatio contra haereticos - Lectio librorum prohibitorum.

The Clergy Review 1932. — R. WALSHE (M. D.) The Priest's life in its environment to-day: II. Health for pastoral efficiency. — DAVID AND GERVASE MATHEW. The loss of wales. — H. AHANS (D. D.) Pope Pius XI and foreign Missions. — R. E. I. MAHONEY (D. D.) Deserved cases - Birth control and good faith - Extreme Unction and Apparent Death - Publicity and Confession. — CANON MYERS (Mgr.) The theatre law of the old province of Westminster. — Dom VICENT SCULLY (C. R. L.) St. Augustine on peace and war. — MARCEL BOULESTIN. The priest's life in its environment to-day. — I. M. HAMILL (M. D.) The priest's life in its environment to-day. Food and Health. — CRONIN (Mgr.) The Theatre Law. — BUTTERFIELD (Dr.) Vocal Recitation of the Office. — * * * Contemplative Prayer. — A. St. G. HUGGETT (D. Sc.) The priest's life in its environment to-day: Exercise for Health. — BERNARD KELLY (F. R.) Scotland's contribution to catholic emancipation. — IOSEPH GOLDIE The priest's life in its environment to-day: The planning and designing of Presbyteries. — I. P. KIRSCH (Mgr.) The veneration of martyrs in the ancient Church.

Collationes Brugenses 1932. — V. COUCKE. De modo agendi confessarii erga poenitentem divortio civili separatum -

Circa ius status civilis subditos sterilizandi. - De legitimitate prolium ad normam can. 1114 et 1116 - De potestate principis civilis in matrimonium baptizatorum - De subiectione infidelium regimini matrimoniali Ecclesiae. — ST. WILLEMS. De natura, speciebus et malitia gulae - De gravitate gulae. - De notione sobrietatis et quomodo haec sit virtus specialis - De notione et ratione malitiae ebrietatis. — A. LEGRAND. De officiis erga directorem spiritualem - De directione communi peccatoribus in confessione tribuenda - De directione incipientium. — C. CALLEWAERT. De reverentiis in accessu ad altare - De consecrandis particulis. — A. HODÜM. De tribus missis in natali Domini nota historica. — I. BRYS. De iurisdictione professoribus collegiorum concessa. - De iuribus sacerdotis alieni matrimonio assistentis.

Collationes Gandavenses 1932. — F. BLATON. Terekenbaarheid der gevolgen. — W. GOOSSENS. De Dei exsistentia iuxta Éd. Le Roy.

Collationes Namurcenses 1932. — E. RANWEZ. L'ascétique - Certitudo spei — A. COLLART. De admissione puerorum ad primam communionem. — E. VOOSEN. De voto paupertatis - Grégoire VII et la République chrétienne - *** Allocations familiales - De notione entis et ordinis supernaturalis. — A. CHARUE. La prophétie de Siméon.

Collationes Tornacenses 1932. — J. DERMINE. La signification et la pratique de la chasteté - Mariage et santé - L'autorité des parents est une délégation de Dieu — *** De eugenismo damnato - De eleemosyna, oratione et ieiunio - Sacramentum paenitentiae validum simul et informe - De oratione SS. Sacramenti; in anniversario R. Pontificis, Episcopi, propriae ordinationis - De solutione catholica problematis eugenismi - Notio genuina doni supernaturalis - De collecta imperata ab Ordinario. — R. DRAGUET. Le Josèphe slave et les origines chrétiennes. — I. GRAVIS. Pour les âmes sacerdotales.

Collectanea Mechliniensia 1932. — I. E. Card. VAN ROEY. La mission apostolique du prêtre. — A. GOUGNARD. De externa fidei professione necessaria - De haeresi et apostasia. — P. GILLET. La mission des fabriques d'églises - De habitu ecclesiastico - De expressa renuntiatione officiis ecclesiasticis - Notio parochi iuxta Codicem. — A. CROEGAERT. De praestantia festorum - De liturgico ornatu funebri. — J. CLAES. A propos d'éducation sexuelle. — E. CARTON DE WIART. De metu - De violentia. — R. KOTHEN. Les Toximanes. — C. DE CLERCQ. Mis en Eucharistie in de Oostersche Kerken.

Chronique Sociale de France 1932. — *** La critique du Capitalisme - Faits Législatifs et Sociaux - Les pratiques des sociétés anonymes. — Ch. Boucaud. Le Texte et la Loi: Une conception sociale de la Législation. — Henri Moro. La Dépendance Internationale: Les Hommes au travail. — Eug. Duthoit. Économie dirigée, Économie humaine. — Joseph Hours. Les mouvements de la population européenne et la crise actuelle. — Joseph Serre. Les trois degrés de la Morale. — Cl. Mauriès. Maurras et l'ordre chrétien: 1°. L'ordre selon Maurras. — L. Duval-Arnould. Le Salaire familial, les Caisses de compensation et l'Obligation légale. — H. Truchy. Actionnaires et Conseils d'Administration. — M. Deslandres. Une résurrection: La Ligue sociale d'acheteurs. Notice.

Commentarium pro religiosis 1932. — A. Larraona. Commentarium can. 533. — G. Goeneche. Renovatio votorum excepta sine expressa delegatione - Ingressus in clausuram ad colligendam particulam consecratam - Quo tempore exploratio voluntatis facienda sit. — A. Peinador (C. M. F.) De statu religioso in ordine morali supernaturali. — P. R. Saucedo. Exercitium iurisdictionis et Superiores laici ex Ordine S. Ioann. de Deo.

Il Diritto Ecclesiastico 1932. — Emanuele Piga. Gli acquisti delle Associazioni Religiose per interposta persona dopo il Concordato. — Mario Gorino. La natura giuridica della massa comune nei capitoli cattedrali (in riferimento all'art. 33 del R. D. 29 gennaio 1931, n. 227). — A. Visco. La questione dell'impotenza a generare come causa di annullamento del matrimonio civile e religioso. — Cesare Badii. Sistema del diritto matrimoniale italiano - Diritto penale canonico. — Giuseppe Corazzini. Le rettorie delle chiese degli enti soppressi.

Ephemerides Liturgicae 1932. — P. Browe. Die nüchternheit vor der Messe und Kommunion im Mittelalter - Der Segen mit Reliquien der Patene und Eucharistie. — P. Battistini. De utroque « Memento » in Missa - De manu Episcopi ante sumptionem Particulae osculanda. — A. Paladini. De imperfecta consecratione reparanda. — A. Wilmart. Séries de Bénédictions pour l'Office dans un recueil de Nonantola. — I. Brinktrine. De cultu beatae Mariae virginis in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi. — *** De modo recitandi preces post Missam privatam - De Orationibus epiclesis in Canone - De hostiis consumendis.

Estudios Ecclesiasticos 1932. — G. Villada Z. El gobierno de la nación y los concilios generales y provinciales en tiempo de los Visigodos. — I. M. Ibero Abuso. De la ley estadística

en las teorias modernas. — I. PUIG DE LA BELLACASA. Boletin de Teologia especulativa: La esencia del Sacrificio de la Misa.

Estudis Franciscans 1932. — P. ROMUALDO BIZARRI. La Legge morale e la religione. — P. THOMAS VILLANOVA A ZEIL. De institutione sacramenti poenitentiae. — F. CARMONA NENCLARES. San Francisco de Asís y San Iuan de la Crux. — P. BASILI DE RUBI. Les teories modernes sobre la constitució de la matèria.

Gregorianum 1932. — H. VAN LAAK. S. Robertus Card. Bellarminus S. I. Ecclesiae Universalis Doctor. — C. SILVA-TAROUCA. Nuovi studi sulle antiche lettere dei Papi (ultima pars). — I MAÐOZ. El Canon de Vincente de Lerins. — R. MARINO. La reviviscenza dei meriti secondo la dottrina del Dottore Angelico. — B. IANSEN. Das Wesen und die Stellung Gottes in der Philosophie Platons. — R. ARNOU. Le thème néoplatonicen de la contemplation créatrice chez Origène et chez S. Augustin. — C. BOYER. Pour Perrone.

Ius Pontificium 1932. — I. STOCCHIERO. De iurisdictione vicariorum paroecialium. — A. TOSO. Ad Codicem I. C. commentaria, a can. 633 ad 644. — *** De actibus personae collegialis, qui singulos tangunt. — I. NOVAL (O. P.) De Vicario Generali: num, sine speciali mandato, sit auctoritas competens et veniat nomine Ordinarii in remotione parochorum ceterisque processibus.

Benediktinische Monatschrift 1932. — P. ADELHARD KASPAR. Glaubensbekenntnisse moderner Menschen. - Gedanken zu einer Artikelserie in einer hondoner Zeitung. — P. ILDEFONS BERGMANN. Vom Sinn der Fastenzeit. — MAX FISCHER. Berufung. — P. STEPHAN SCHMUTZ. Lebenswerte des Dogmas. — P. HILDEBRAND HOPFL. St. Paulus und die Frau in der Kirche. — P. IOHANNES SCHILDENBERGER. Ecce Agnus Dei.

Il Monitore Ecclesiastico 1932. — SILVIO ROMANI (Mgr.) Per una migliore conoscenza del diritto canonico - Il privilegio paolino nel diritto concordatario italiano - Le cause contro la S. Ordinazione - Sulla puntatura corale - Ordinario e religioso parroco. — *** La precedenza del Vicario generale - Oratorî col Santissimo - Materia e forma nell'Ordinazione sacerdotale - Per la S. Comunione agli infermi - Le indulgenze della « Via Crucis » - Pubblicazioni matrimoniali e Concordato Italiano - Matrimonio religioso tra due civilmente già uniti. — P. AGOSTINO M. DARMANIN (O. P.) La Comunione agli infermi non digiuni.

Perfice Munus 1932. — FELICE PAGAN (Can.) Messa bassa in anniversario pro defuncto. - Anticipazione della Messa di

mezzanotte nella vigilia di Natale - Messa cantata con il diacono. — A. GENNARO (Prof.) Se il vapor d'acqua rompa il digiuno eucaristico. - Se assolva validamente da censure chi dubita se esse sieno o no riservate. - S. Messe applicate senza preaviso. - Risposta ad osservazioni su un caso di sigillo sacramentale. - Se il matrimonio civile col figlio adottivo di chi morto il figlio si vorrebbe sposare, crei l'impedimento di cognazione legale tra i due fidanzati. - Se un religioso esente possa conferire la giurisdizione al Sacerdote dal quale va da confessarsi - Assoluzione di moribondi fuori dei sensi - Applicazione della Messa pro populo - Sigillo sacramentale - Liceità di intenzioni generali per la consacrazione eucaristica - Confessore che a ragazza illecitamente gravida e decisa al suicidio consiglia l'aborto - Se sia lecito tenere presso di se il denaro ricevuto come prezzo della propria fede venduta - Consacrazione di pisside dopo la consacrazione delle sacre specie. — *** Il Clero nell'avvenire - Cattolici, Ortodossi e Protestanti - Notificazione dell'Episcopato Lombardo al Venerato Clero circa l'amministrazione del Sacramento della Penitenza - Per l'insegnamento della religione - La prescrizione trentennale ridotta a 10 anni. — GINO BORGHEZIO. Chiese senza lampade. — P. MATTEO DA CORONATA. Alcuni mezzi coercitivi di uso facile per i superiori ecclesiastici - Pene e procedimenti ad modum praecepti - Provvedimenti amministrativi non penali. — A. VAUDAGNOTTI. Eternità delle pene dell'Inferno — ROSSI (Mgr.) Il Sacrificio celeste - Il sacerdozio cattolico. — FORTUNATO DE SANTA (Mgr.) La fisionomia attuale dell'Azione Cattolica. — M. BENDISCIOLI. Problemi della cura d'anime in Germania. — RINALDO PILKINGTON (Prof.) Venerdì santo e festa della Annunziata - Comunione « infra Missam » in ospedale. — G. ROSSI (Sac.) L'Istituto del Matrimonio in Italia dopo il Concordato Lateranense. — LUIGI VIGNA (Mgr.) La vera scuola di Catechismo — G. LARDONE (Can.) Voto di vittima.

Palestra del Clero 1932. — GIOVANNI BUTTIGNONI (Mgr.) Sul timore di venir sepolti vivi - Doti di un buon Confessore - Requisiti per l'ordinando. — ARGEO Dr. MANCINI (S. S.) Riammissione e rinnovazione dei voti religiosi - Chiesa e Stato - Disonestà in commercio - Furtuli e Concordati. — MATTEO DA CORONATA (O. M. Cap.) Quali si dicano chiese di un Ordine - Il Perdono di Assisi nelle chiese di congregazioni aggregate al I Ordine Francescano - Parrocchie senza beneficio, Vice parrocchie o Vicarie autonome, Vicarie perpetue. — G. MONETTI (S. I.) Il desiderio efficace della perfezione - Il grande risolutivo

dei problemi sociali - Ascetica sacerdotale - Il primo impedimento alla perfezione. — P. DOMENICO VALLE (S. I.) Un po' di filosofia della storia: La Provvidenza Divina nella storia degli uomini. — ATTILIO GAGLIO (Avv.) Meditazione e contemplazione - Il significato della rinuncia cristiana e la scuola italiana di spiritualità - La legge della correlazione liturgica - L'Ammirabile Ruysbroeck. — P. GIROLAMO DE FELLETTE (Capp.). Stato attuale degli studi riguardo al Sacrificio della Messa. — P. VITO (Avv.) Il cattedratico e il Concilio provinciale - L'imposizione del tributo caritativo - Dismembrazione di parrocchia e pubblicazioni matrimoniali - La residenza del canonico sostituito - Parrocchia regolare e tasse 2% - Precedenza di una Comunità religiosa soppressa o traslata altrove - Investitura di un parroco religioso - Se sia necessario, prima che i testi facciano la deposizione, un sommario esame sulle loro qualità personali - Suora licenziata dalla congregazione - Polemica - Il Parroco della Cattedrale ed il Capitolo - L'Ordinario del luogo e i legati pii fatti a Case di Congregazioni religiose - Diritti del Cappellano di una Confraternita. — *** Per l'amministrazione del Sacramento della Penitenza (Lettera dell'episcopato Lombardo). — G. STOCCHIERO (Dr.) La tutela penale dell'infante, non nato, nascente e appena nato - Per le procreazione e santità della prole. Dottrina della Chiesa e norme del Nuovo Codice penale - Monogamia e bigamia nei nostri Codici. — P. UMILE DA GENOVA (Capp.) Obbligazioni di coscienza derivanti da cambiali in caso di fallimento. — P. MAURO DA GRIZZANA (O. M. C.) La Communione agli infermi. — ANASTASIO FILOCALO. Amministrazione delle Chiese sussidiarie dopo il Concordato - Intorno alla morte di S. Tomaso - Annunciazione di Maria, Venerdì Santo e Messa pro populo - Incardinazione e scardinazione. — BONINCONTRO (Mgr.) Il Mistico linguaggio della natura nei Libri Santi. — P. CALLISTO. Se un laico possa essere esecutore di un Rescritto. — P. REG. FEI (O. P.) Il problema della scarsità di vocazioni ecclesiastiche e religiose - Il concetto della Teologia. — ANGELO GRAZIOLI (Mgr.) Il valore dell'opinione di una rivista in questioni di teologia morale. — P. CRISTOFORO DA MOTTA. Come celebravasi la Pasqua dai Giudei ai tempi di N. S. G. C. — D. GIUSEPPE PRIERO. Il piano di Dio per la salute dell'uomo nell'*Epistola ad Ephesios*. — NICOLA FANELLI (Mgr.) Incardinazione e scardinazione. — FILIPPO POZZATO (Mgr.) Maometto e l'Islam. — D. GUIDO FAGIOLI (Dr.) Relazioni fra Pievania e Curazie. —

ROMUALDO PASTÉ (Mgr.) Saggio di Storia e di Diritto Canonico nel Medio Evo (Ottone di Vercelli).

Pastor bonus 1932. — NIEDERMEYER (Dr.) Was muss der Seelsorger von der « Fakultativen Sterilität » wissen? — PFARRER TREITZ. « Res ad triarios venit ». — IGNAZ SCHMITT. Die Stellung und die Aufgaben der marianischen Männerkorgregation neben den Standesvereinen in unserer heutigen Zeit. — RAT AMBOS. Der Hausfriedensbruch in kirchlichen Räumen. — DOMVIKAR SCHLAGS. Bischof Sailer über Ehe und Familie. — DECHANT ZEUNER. Ite ad oves! Die grosse Pastoralpflicht der neuen Zeit. — WEILER (Dr.) Ein sinnreiches und neuartiges Andenken an die Feier der ersten hl. Kommunion.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1932. — LEOP. KOLPER (Dr.) Hat die katholische Kirche die mörderischen Kriegswaffen gesegnet? — TH. MONNICHS (S. I.) Der Beichtvater und die Zulassung zu den Ordensgelübden. — RICHARD GRÖHL. Die Abwehr der kirchenfeindlichen Hetze, insbesondere des Sektenwesens. — OSWALD V. NELL BREUNING (S. I.) Wichtige Lehrstücke aus « Quadragesimo anno ». — SCHILLING (Prof.) Die Frage des gerechten Lohnes. — HERM. STIEGLECKER (Dr.) Christentum und Islam. — P. HERIBERT JONE (O. M. Cap.) Misbrauch der Ehe und Sollizitation. — ALOIS SCHRATTENHOLZER (Dr.) Elektrizitätsbezug und siebtes Gebot. — P. I. B. RAUS (C. SS. R.) Bination. — AUGUST BLODERER (Dr.) Applikationszweifel - Bination an einem Wochentage zum Zweck der Konsekration von Partikeln. — VINKO MOČNIK (Dr.) Gültigkeit oder Ungültigkeit der Berufungseinführung beim iudex ad quem? — I. HARING (Dr.) Ein Impotenzprozes - Das russiche Eherecht. — PETER KITLITZKO Bericht über die Erfolge der Katholischen Missionen. — P. GERARD OESTERLE (O. S. B.) Form der Eheschliessung für die « nati ab acatholicis » can. 1099, § 2.

Resena eclesiástica 1932. — *** Alocucion del Episcopado a los fieles — Lo Peor entre lo malo — Liturgia —

Revue de l'Aucam 1932. — HENRY HERLEY. Vers la limitation de la fabrication des stupéfiants : la conférence de 1931. — ROBERT RICARD. Les institutions républicaines au Sud-Marocain. — J. HAVET. L'Occident et l'Orient unis dans le Christ. — RAMESHWARI NEHRU. La femme hindoue et le mariage - Situation sociale de la femme hindoue. — LUKUTA-TF. La politique indigène au Congo Belge. — I. FRANSSEN. Congo Belge et principes chrétiens. — J. MASSON. De l'animisme au panthéisme; les védas. — P. CATRICE. Les étudiants Indiens en Europe. —

A. GILLE. A propos d'un article récent : Assimilation ou association ? Déclarations officielles et pratique administrative. — H. CUYPERS. Association pour l'entente des races : les étudiantes catholiques aux Indes - Causerie entre une anamite catholique et une aucamiste, rapportée par l'aucamiste - Action soviétique en Extrême-Orient. — *** Une nouvelle loi sur le mariage en Perse. — A. HUBLOU. L'Aucam et la question des stupéfiants. — J. HOET. Le scandale des stupéfiants : l'aspect médical. — Y. DEVADDER. L'aspect juridique de la question des stupéfiants. —

Revue des communautés religieuses 1932. — J. CREUSEN. Formes modernes de la vie religieuse - Le commandement de la pureté - Maladie et vocation - Précautions dans le soin des malades - Clôture et visite des malades. — É. JOMBART. L'examen canonique.

Revue Ecclésiastique de Liége 1932. — A. MEUNIER. Imperfection ou péché veniel - Defectio a fide. — G. KISELSTEIN. De absolutione moribundorum - Prescription libérative et bonne foi. - De confessarii modo agendi cum occasionariis. — J. VIEUJEAN. L'origine psychologique de la doctrine de Luther. — G. PHILIPS. La présence de Dieu dans les créatures - De scientia et voluntate divina relate ad malum. — G. SIMENON. Visitatio canonica dioecesis.

Nouvelle Revue Théologique 1932. — A. HAYEN (S. I.) Les laïques sont-ils d'Église ? — F. GIRERD. - J. CREUSEN (S. I.) La Juridiction probable. — L. HONORÉ (S. I.) La vocation sacerdotale. — F. TAYMANS (S. I.) L'« option » principe de connaissance chez M. Blondel. — E. JOMBART (S. I.) Le « volontarisme » de la loi d'aprés Suarez - Les promesses et garanties à exiger dans les mariages mixtes. — M. LEDRUS (S. I.) Le problème des lois purement pénales. — JOS. PAUWELS (S. I.) Consultation liturgique. — ÉMILE MERSCH (S. I.) La pauvreté chrétienne. — P. GOREUX (S. I.) L'aumône et le régime des biens : I. La doctrine de Saint Thomas d'Aquin. - II. L'interprétation de Saint Thomas d'Aquin dans la tradition. — J. CREUSEN (S. I.) L'onanisme conjugal : I. L'enseignement du magistère ordinaire - II. La malice intrinsèque. - Le port privé de la communion aux malades - III. Coopération licite on illicite. — ÉDOUARD DHANIS (S. I.) La conscience religieuse et la révélation d'après un livre récent. — É. DE MOREAU (S. I.) Les missionnaires belges aux États-Unis. — P. CHARLES (S. I.) L'activité missionnaire protestante. — J. MARÉCHAL (S. I.) La stigmatisée de Konnersreuth. — I. ROCHE (S. I) Essai sur la psychologie des

Apôtres. — G. VROMANT (C. I. C. M.) Le privilège de la foi an canon 1127.

Nederlandsche Katholieke Stemmen 1932. — F. A. SCHWEIGMAN (O. P.) De geldingsduur eener tijdelijke professie. — H. BEIJERSBERGEN (S. I.) Over het wegnemen of terugbrengen van het H. Sacrament aan het altaar waaraan gecelebreerd wordt-Antwoorden der Pont. Comm. Codicis van 25 Juli 1931. - E. S. Poen. Aplica. — C. DAMEN (C. SS. R.) De Constitutie « Deus scientiarum Dominus » over hoogere kerkelijke Studien. — H. BLESS. Psychopathologia pastoralis. — BENDER (O. P.) Parvitas materiae in peccato luxuriae. — E. JANSSEN (C. SS. R.) De Mariale dagen te Tongerloo in 1931 - Een welkome toelichting - « Het Apostolaat des Gebeds » en het Gebed van Christus. - Het Kindercommuniedecreet van Pius X. — W. MULDER (Dr.) De extensione impedimenti mixtae religionis - Dispensatio super disparitate cultus. — L. BUIJS (C. SS. R.) Een veelvuldig voorkomende casus van huwelijksassistentie. — J. P. VAN DEN HEUVEL (Mgr.) Voorlichting in de puberteitsjaren.

PARS ALTERA

MONUMENTA

56. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litterae Encyclicae « Caritate Christi » 25 Mart. 1932

DE PRECATIONIBUS PIACULISQUE SS.MO CORDI IESU EXHIBENDIS IN PRAESENTIBUS HUMANI GENERIS AERUMNIS (1).

(A. A. S., 1 iun. 1932, XXIV, 177)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Memorata priore invitatione ad misericordiae contentionem, eiusque fructu, crescens rerum discrimen novam suasit hortationem ut calamitatibus praesentibus et impendentibus omni modo obsistatur.

Caritate Christi compulsi, Catholicae Ecclesiae filios atque adeo cordatos homines universos, Encyclicis Litteris *Nova impendet* die II mensis Octobris anno superiore datis, incitavimus ad piam quandam amoris ferendaeque opis contentionem, qua teterrima mala e rei oeconomicae discrimine emanantia hominumque societatem undique prementia nonnihil sublevarentur; quam quidem invitationem Nostram, miro quodam animorum ardore consensuque, omnium liberalitas navitasque excepit. Attamen rerum angustiis in dies ingravescentibus, hominum agmina otio coacto afflictorum vix non ubique excreverunt; quibus incommodis cum seditiosi homines in suae quisque factionis utilitatem abutantur, hinc fit ut publica ipsa instituta praesentissimum in discrimen adducantur, tumultusque rerumque omnium eversionis periculum gravius usque civili consortioni impendeat. Quae cum ita sint, eadem Christi caritate excitati, vos omnes iterum, venerabiles fratres, fidelesque vobis concreditos, universos demum homines compellamus,

(1) Ad Ven. Fr. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

singulos adhortantes ut, viribus amice consociatis, calamitatibus quibus civilis societas nunc premitur atque vel gravioribus in posterum ingruentibus, quacumque possunt ope, obsistere contendant.

Post diluvium nulla memoria est calamitatis tam universalis, qua ipsi praedivites et rei puniuntur.

Diuturnam acerbamque aerumnarum seriem, infelicem peccati hereditatem, perpendenti, quibus hominis lapsi in hac mortali peregrinatione veluti stationes connotantur, vix, post diluvium, tot tantisque et animi et corporis angustiis humanum genus tam alte tamque communiter tentatum occurrit, quantis in praesentia exagitatum conquerimur; cum vel teterrimae calamitates cladesque, quarum vestigia in nationum annalibus vitaque perstant sempiterna, modo hanc modo illam gentem funestaverint. Hac vero tempestate, hominum genus universum cum pecuniae caritate tum rei oeconomicae angustiis adeo comprimitur, ut, quo magis se expedire nititur eo inextricabilius se irretitum experiatur; ex quo fit, ut iam nulla sit natio, nulla Civitas, societas aut familia nulla, quae vel ipsa calamitatibus levius gravius non obruatur, vel aliena ruina in praeceps raptari non videatur. Quin immo ii ipsi, pauci profecto, qui cum ingentissimis divitiis praediti sint, mundi gubernacula regere videntur; ii, porro perpauci, qui immodico quaestui servientes, tantorum malorum, magnam partem, causa et fuerunt et sunt; ii ipsi — inquimus — haud raro iisdem hisce malis inhoneste obruuntur primi, plurimorum bona fortunasque in suam perniciem rapientes; adeo ut, tremendum in modum, de orbe terrarum universo comprobatum videamus, quod de singulis flagitiosis hominibus Spiritus Sanctus ea sententia edixerat: « Per quae peccat quis, per haec et torquetur » (1).

Motus affectu compassionis, Pontifex simul radicem malorum denuntiat, cupiditatem fluxorum bonorum.

Cui dolendae rerum condicioni intimo ex animo ingemiscentes, quadam veluti necessitate compellimur eosdem Sanctissimi Cordis Iesu amoris sensus, pro Nostra tenuitate, efferendi, illud et Nos inclamantes: « Misereor super turbam » (2). At vero radix ipsa, ex qua tristissima repetitur rerum condicio, multo magis deploranda; etenim si nullo non tempore Spiritus Sancti sententia, per Paulum Apostolum promulgata, aptissime rei congruere visa est, « radicem » videlicet « omnium malorum cupiditatem » esse, (3) at nunc quam maxime. Nonne enim illa fluxorum bonorum aviditas, quae vel ab ethnico Poeta iure

(1) *Sap.*, XI, 17.
(2) Marc., VIII, 2.
(3) Cfr *I Tim.*, VI, 10.

merito « auri sacra fames » sugillata est; nonne sordidum illud suarum tantum rerum studium, quo unice movente persaepe sive singulorum sive societatum inter se necessitudines instituuntur; nonne denique cupiditas, quocumque demum nomine aut forma appelletur, in causa potissimum est, cur hominum genus ad extremum discrimen adductum miserantes conspiciamus? Hinc siquidem mutuae suspicionis surculi, cuiuslibet humani commercii vigorem enervantis; hinc invidiae faces, sibi damno aliena bona imputantis; hinc sordes proprii amoris immodici, omnia in sui unice commodum ordinantis ac subiicientis, aliorum commodo, nedum neglecto, conculcato; hinc denique iniqua rerum perturbatio imparque bonorum partitio, qua fit ut civitatum opes in perpaucorum hominum privatorum manibus coacerventur, qui — ut superiore anno Encyclicis Litteris *Quadragesimo anno* monuimus — immenso cum populorum detrimento, totius orbis commercia ad suum libitum moderantur.

Hinc suspiciones, invidiae, sordes nimii amoris proprii, iniqua bonorum partitio.

Quod si legitimo in patriam studio abutens debitaeque erga suam Nationem pietatis sensus plus aequo extollens (quam quidem pietatem rectus christianae caritatis ordo, nedum improbet, at suis normis sanctam vivacioremque efficit), nimius id genus sui suorumque amor in mutuas inter populos rationes ac necessitudines subrepserit, nihil iam erit tam abnorme, quod culpa carere non videatur; adeo ut quod facinus a privatis hominibus perpetratum omnium iudicio vituperandum haberetur, idem, patriae caritatis causa interposita, et honestum et laude dignum censeatur. Hinc divinae legi fraternae caritatis, qua gentes populique omnes devincti in unam familiam coalescunt sub uno Patre qui in caelis est, odium succedat necesse est omnibus exitiale; in re autem publica gerenda leges sacrae, cuiuslibet civilis vitae cultusque norma, conculcentur; firma iuris fideique fundamenta evertantur, quibus res publica innititur; tradita denique a maioribus instituta corrumpantur atque oblitterentur, quae in Deo colendo eiusque lege firmiter servanda vigentem usque civitatum florem columenque tutissimum reponebant.

Nimius propriae nationis amor omnia excusat abnormia.

At vero — quod malorum omnium periculosissimum dixeris — cuiusvis ordinis eversores, sive « communistae » sive alio nomine appellantur, in tanta morum perturbatione gravissimas rei oeconomicae angustias exaggerantes, eo vires summa audacia intendunt, ut, quolibet freno a cervicibus excusso legisque cum humanae tum divinae vinculis praecisis, in religionem omnem ipsumque in Deum bellum atrocissimum com-

Simul communistae, quolibet freno a cervicibus excusso, in religionem et Deum bellum atrocissimum, ipsos pueros corrumpendo commovent.

moveant; illud sibi proponentes ut ex hominum mente, vel inde a tenellula aetate, notitiam sensumque religionis radicitus exstirpent; cum probe sciant, divina lege doctrinaque ex hominum mente deleta, nihil iam sibi arrogare non posse. Atque ita, quod numquam usquam legimus accidisse, oculis cernimus impios homines, nefando furore agitatos, vexilla contra Deum religionemque omnem ubique gentium terrarumque impudenter extulisse.

Audax, omni ratione fit propagatio atheismi ab hominibus qui, in factiones distributi, arcte sunt consociati.

Quod si numquam, cursu temporum, improbi viri defuere, neque qui Deum esse negarent, ii tamen et numero perpauci, singuli ac singulares, impiam suam mentem apertius prodere vel metuebant vel inopportunum putabant. Quod divino spiritu afflatus innuisse Psaltes videtur iis verbis: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus »; (1) quasi videlicet huiusmodi impium induxerit, veluti in multitudine solitarium, negantem quidem Factorem suum Deum esse, hoc tamen scelus intimo in animo comprimentem. Verum, hac nostra aetate, perniciosissimus hic error, late iam in vulgus propagatus, in ipsas populares scholas insinuatur palamque se in theatris manifestat: quo autem latius usque possit effluere, eiusdem fautores vel a recentissime inventis, cinematographicis, quas dicunt, scenis, grammophonicis ac radiophonicis concentibus sermonibusque, opem petunt; propriis officinis librariis praediti, opellas omnibus linguis exaratas excudunt, pompas agunt triumphantium more, suaeque impietatis monumenta et documenta publice proponunt. Nec satis; at in factiones politicas, oeconomicas, militares distributi arcteque consociati, per suos praecones qua comitiis, qua imaginibus tabellisque, ceterisque omnibus quibus sua placita clam palam possint in omnes ordines, coetus, trivia diffundere, impigre in tam scelestum opus incumbunt; cui ulterius provehendo, suarum studiorum Universitatum auctoritate operaque suffulti, illud tandem nervosa industria pervincunt, ut incautos in suum gregem cooptatos validissime constringant. Quam navitatem adeo sollertem in nefariae causae commodum collocatam Nobis conspicientibus, menti labiisque ultro subit maestissima illa Christi Domini querela: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt » (2).

Iniquae factionis duces Deum religio-

Age vero, tam iniquae factionis duces auctoresque, hodiernam rerum omnium inopiam in suam rem derivantes, toti sunt

(1) Ps. XIII, 1, et LII, 1.
(2) Luc., XVI, 8.

ut nefandis cavillationibus Deum religionemque apud plebem, tamquam tantorum malorum causam, criminentur; Christi Servatoris Crux ipsa sacrosancta, humilitatis paupertatisque insigne, cum hodiernae imperandi libidinis insignibus componatur; quasi videlicet religio cum tenebricosis illis conventiculis, quae tantam orbi universo molem molestiarum intulerunt, amico foedere consociaretur. Atque hac ratione, nec sine exitiali exitu, contendunt ut victus cotidiani decertationes postulationesque praedii proprii possidendi, aequae mercedis, honesti domicilii, eius denique vitae condicionis, quae hominem non dedeceat, cum bello nefario in Deum permisceant. Adde quod iidem, modum omnem excedentes, legitimas naturae appetitiones effrenasque cupiditates iuxta reputent, dummodo impiis consiliis institutisque suis id conducere videatur; perinde ac leges aeternae divinitus promulgatae ab hominum felicitate discreparent, cuius potius sint certissimae effectrices custodesque, aut vires humanae, utut novissimis artium inventis instructae, contra Dei Optimi Maximi potentissimam voluntatem, novum orbi rerum ordinem eundemque potiorem adducere valerent.

nemque criminantur ut causam oeconomicae inopiae. Inde postulationes oeconomicas cum bello in Deum permiscent.

Contra Dei voluntatem novum ordinem potiorem praedicant.

Iamvero, quod sane dolendum est, homines paene infiniti, rati se pro victu cultuque dimicare, notione veri funditus eversa, huiusmodi commentis adhaerentes, in Deum religionemque conviciis invehuntur; neque in unam catholicam religionem, verum in eas omnes, quae Deum adspectabilis huius mundi auctorem agnoscunt rerum omnium moderatorem supremum. Sectae autem clandestinae, suapte natura, semper Dei Ecclesiaeque hostibus — quicumque demum ii sint — adiumento esse paratissimae, vesano huic odio, unde nullius ordinis civilis aut quies aut felicitas, at certa civitatum ruina proficiscitur, novos usque igniculos addere conantur.

Plurimi huiusmodi commentis adhaerent,

Itaque nova haec impietatis forma, praepotentium hominis libidinum habenas dum laxat, impudentissime conclamat pacem aut felicitatem fore nullam in terra, dum religionis ultimum vestigium radicitus non fuerit exturbatum, ultimusque religionis assecla obtruncatus. Quasi vero mirabilem illum concentum, quo creata omnia « enarrant gloriam Dei » (1), aeterno silentio premi posse opinarentur.

ac condicionem pacis et felicitatis conclamant extirpationem omnis religionis.

Optime novimus, venerabiles, fratres, hos omnes conatus in irritum esse cessuros, cum procul dubio futurum sit ut stato

In irritum fore tales conatus, cum eloquia sacra,

(1) Ps. XVIII, 2.

a se tempore « exsurgat Deus et dissipentur inimici eius » (1); novimus portas inferi nunquam praevalituras (2); novimus divinum Redemptorem, ut de eo praenuntiatum est, « terram virga oris sui » percussurum et « spiritu labiorum suorum » impium interfecturum (3); atque horrendam sane miseris illis hominibus horam futuram, qua incident « in manus Dei viventis » (4).

tum nobilis innumerabilium animorumardor in Deum se ferentium demonstrant vel confirmant.

Hanc autem Nostram supremae Dei Ecclesiaeque victoriae inconcussam spem quotidie confirmat (quae infinita est Dei Bonitas!) nobilis ille, quem ubique gentium et in quovis societatis ordine cernimus, innumerabilium animorum ardor in Deum se ferentium. Validissimus profecto Spiritus Sancti afflatus nunc terras omnes concursans, iuvenilia potissimum pectora ad sublimiora christianae legis culmina assequenda allicit, eaque, supra vanam hominum observantiam elevans, ad quaevis vel maxime ardua facinora instruit; divinus sane afflatus, inquimus, animas omnes, vel invitas, concutit, iisque intimam iniiciens sollicitudinem, iis quoque Dei sitim ingerit, quae hanc sitim fateri non audent. Etiam Nostram ad laicos homines invitationem, qua eos in agmina Actionis Catholicae vocavimus ut apostolatus hierarchici participes fierent, ubique terrarum dociles magnanimique exceperunt plurimi; et tam in urbibus quam in pagis augescit in dies eorum numerus, qui ad christianas leges propugnandas et secundum eas totam rei publicae vitam componendam dum totis viribus nituntur, intemeratae vitae exemplis sua ipsi dicta confirmare contendunt.

Documento sint iuvenes ad sublimiora culmina christianae legis allecti, plurimi laici actionis catholicae participes effecti.

S. Pontifex acerrimum dolorem suum exprimit.

Verum, tantam impietatem, tantam sanctissimorum institutorum conculcationem, tantam immortalium animarum cladem, tantum denique divinae Maiestatis contemptum cernentibus, Nobis temperare non possumus, venerabiles fratres, quin acerrimum, quo premimur, dolorem effundamus; Nostramque vocem Apostolici pectoris vi extollentes, divina iura conculcata et mortalium animi, qui Deo prorsus indiget, sanctas appetitiones defendamus; idque vel eo magis quod hae turmae diabolico spiritu furentes non declamationibus tantum, sed viribus omnibus coniunctis nefaria sua consilia quam primum exsequi conantur. Vae humano generi, si Deus, a creatis ab se naturis tanto contemptui habitus, hisce vastationis fluctibus apertum cursum permitteret, iisque, tamquam flagellis ad puniendum mundum, uteretur!

---

(1) Ps. LXVII, 2.
(2) Cfr. Matth., XVI, 18.
(3) Cfr. Is., XI, 4.
(4) *Hebr.*, X, 31.

Murus pro domo Israel opponendus.

Necesse est igitur, venerabiles fratres, ut indefesse opponamus « murum pro domo Israel » (1), vires omnes nostras nos quoque in unum solidumque agmen contra iniquas phalanges coniungendo, non minus Deo quam humano generi infensas. In hac enim pugna de maximo, quod humanae libertati ineundum proponi possit, disceptatur consilio: aut pro Deo aut contra Deum; en rursus deliberatio, in qua universi orbis sortes continentur; in quavis enim re, in re politica et oeconomica, in moribus, disciplinis, artibus, in Civitate ac domestica civilique consortione, in Oriente et Occidente, ubique haec deliberatio occurrit, cuius consectaria summum prorsus momentum habent. Atque ita fit, ut vel ipsi sectae illius magistri, quae mundi naturam sola materia constare effutiens, Deum non esse iam pro certo se ostendisse iactabat, de Deo disceptationes, quem iam se de medio abstulisse putaverint, iterum iterumque instituere adigantur.

Pro Deo vel contra Deum pugnatur.

Deponatur igitur sordidum proprii tantum commodi suique amoris studium.

Itaque omnes, tam privatos homines, quam civitates, in Domino obtestamur, ut, cum tam gravia agitentur consilia, tam grandia pro humani generis incolumitate ineantur discrimina, sordidum illud ponant proprii tantum commodi inordinatique sui amoris studium, quod acerrimas quasque obtundens mentes, incepta quaelibet etiam nobilissima obtruncat, quae extra arcta propriae utilitatis septa vel minimum exsilire videantur; coniungantur omnes, gravia quoque, si opus fuerit, damna subeuntes, ut se atque hominum societatem sospitent universam. Qua in animorum viriumque coniunctione primas profecto sibi vindicare debent, qui christiano gloriantur nomine, illustria aevi apostolici exempla recolentes, cum « multitudinis credentium erat cor unum et anima una »; (2) sed etiam omnes, quotquot Deum agnoscunt sincereque atque ex animo reverentur, in idem suam conferant operam, ut ingens, quod cunctis imminet, periculum ab humano genere propulsetur. Dei enim agnitione, tamquam firmo cuiusvis civilis ordinis fundamento, cum humana quaelibet auctoritas innitatur necesse sit, qui omnium rerum legumque omnium perturbationem ac resolutionem nolunt, ii strenue contendant oportet, ne religionis hostes sua consilia, tam vehementer palamque conclamata, exsequantur.

Veri christiani exempla aevi apostolici recolant.

Documenta enc. litt. « Quadragesimo anno » memorantur et inculcantur.

Neque illud Nos latet, venerabiles fratres, in hac pro aris pugna etiam humana quaevis legitima arma esse adhibenda,

(1) Ezech., XIII, 5.
(2) *Act.* IV, 32.

quae nobis praesto sint. Idcirco Nos, clarissimi decessoris Nostri Leonis XIII vestigiis inhaerentes, Encyclicis Litteris *Quadragesimo anno* pro magis aequa bonorum terrestrium partitione tam strenue propugnavimus, ea omnia indicantes, quibus efficacissime hominum societatis universae sanitas vigorque, eiusque membris laborantibus quies et pax reddi possint. Cum enim vehementissimum honestae cuiusdam felicitatis etiam in terris adipiscendae studium ab ipso universarum rerum Conditore in mortalium animis satum sit, nunquam christiana lex legitimos nisus ad veram scientiam ulterius promovendam et ad altiora usque hominem recto calle provehendum non benevolenter agnovit, non fovit actuosissime.

Sed oratio cum ieiunio coniungenda est.

Quoniam vero, venerabiles fratres, adversus hoc, satanicum prorsus, in religionem odium, quod illud « mysterium iniquitatis » a S. Paulo commemoratum (1) in mentem redigit, sola humana praesidia et hominum providentiae non sufficiunt, Nos apostolico Nostro ministerio deesse arbitraremur, si hominibus mira lucis mysteria ostendere recusaremus, quae una reconditam custodiunt vim effrenatas tenebrarum potestates subiugandi. Age vero, cum redux Christus Dominus e Thaboris splendoribus, puerum a daemonio vexatum sanasset, discipulis, qui illum liberare non potuissent, demisse petentibus: « Quare nos non potuimus eiicere illum? » illud sane memorandum respondit: « Hoc genus non eiicitur nisi per orationem et ieiunium » (2). Quam divinam monitionem, venerabiles fratres, nostrorum quoque temporum malis adamussim aptandam esse putamus, quippe quae nisi « per orationem et ieiunium » et ipsa repelli non possint.

Hortatio ad precandum.

Memores igitur nostrae angustis limitibus definitae naturae, nosque a summo rerum Auctore omnino pendere probe conscii, ad precationem in primis confugiamus. Fide novimus quanta sit demisse, fidenter, perseveranterque precandi vis: nulli enim unquam alii bono operi Deus omnipotens tam amplas, tam communes, tam sollemnes promissiones adnexas voluit, quam admotis sibi precibus: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur » (3).

---

(1) *II Thess.*, II, 7.
(2) MATTH., XVII, 18-20.
(3) MATTH., VII, 7-8.

« Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis » (1).

Dignitas precantis.

Quid autem nostra precatione dignius, quid adorandae Illius personae aptius, qui unus est « Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus » (2), quam impetrare ne fides in unum Deum vivum et verum exsulet a terra? Talis precandi ratio iam ex parte habet in semet ipsa id quod petit: nam ubi quis orat, ibidem ille cum Deo coniungitur iamque per hoc vivam Dei memoriam in terris efficit. Et re quidem vera, qui orat, ipso sui demisso corporis habitu, suam in omnium rerum Conditorem ac Dominum fidem palam profitetur; quoties vero non privatim sed communiter hoc praestat, per id ipsum supremum et summae potestatis Dominum agnoscit, non modo singulis hominibus sed universe etiam humanae societati imperantem.

Spectaculum Ecclesiae orantis.

Quam iucundum sane caelo terraeque spectaculum praebet Ecclesia orans, cum, totos continenter dies noctesque totas, psalmi divino afflatu conscripti concinantur in terris: nulla per diem computetur hora, quae propria non consecretur liturgia; nulla humanae vitae aetas, quae suum non habeat locum in gratiarum actionibus, laudibus, precibus, piaculis communis huius obsecrationis mystici corporis Christi, quod est Ecclesia. Atque ita precatio, quemadmodum divinus ipse Redemptor sponderat, Deum hominibus praesentem facit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (3).

Studio precandi inexplebilis sitis bonorum temporalium temperatur.

Ipsam praeterea aerumnarum causam, quam superius commemoravimus, auferet precandi studium; inexplebilem dicimus temporalium bonorum cupiditatem. Nam qui orat, in excelsum suspicit, ad caelestia nempe bona, quae meditatur atque exoptat; se totum abdit in mirum contemplandum ordinem a Deo statutum, in quo nulla adest vanae gloriae libido, nulla maioris usque celeritatis vana contentio; atque ita aequalis illa operis quietisque compensatio quasi sponte restituetur, quae ab hodierna societate, magna cum totius vitae et physicae et oeconomicae et moralis detrimento, penitus abest. Etenim si qui ob nimiam rerum confectarum copiam in otium egestatemque sunt adacti, debitum ii precationi tempus dare vellent, brevi et opus et rerum prolatio intra rationabiles fines constringerentur, eaque contentio quae humanum genus nunc in binas ingentesque pro fluxis rebus pugnantium acies dividit, in nobilem pacifi-

(1) Ioan., XVI, 23.
(2) *I Tim.*, II, 5.
(3) Matth., XVIII, 20.

camque transiret concertationem ad caelestia aeternaque bona consequenda.

Paci via sternitur.

Hac itidem ratione tantopere expetitae paci sterneretur via, ut pulchre insinuat beatus Paulus, ubi precandi praeceptum cum sanctis et pacis et omnium hominum salutis desideriis coniungit: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (1).

Peculiariter orandum pro publicis potestatibus.

Pro omnibus postuletur pax, sed iis potissimum in quos gravissimum recidit munus regendi homines; nam quo pacto suis gentibus pacem dare possint, quam in se ipsi non habeant? Precatio autem ipsa est, quae, docente Apostolo, pacis donum afferre debet; precatio nimirum, quae ad Patrem caelestem eundemque omnium hominum patrem, habetur; precatio, quae communes exprimit magnae illius familiae sensus, quae cuiuslibet nationis regionisque transgreditur fines.

Salutatio « Pax vobis » hodie homines solari debet,

Qui in quavis re publica eundem Deum rogant ut pax habeatur in terris, non ii sunt homines qui inter gentes discordiae faces iniiciant; qui divinam Maiestatem precando honorant, non ii sunt qui dominandi cupiditatem in suam gentem inferant illumque inordinatum foveant patriae amorem, quo singuli populi suam cuiusque rem publicam sibi Deum faciunt; qui denique « Deum pacis et dilectionis » (2) continenter respiciunt eumque supplices adeunt per Christum, qui est « Pax nostra » (3), ii profecto non acquiescent donec pax illa, quam mundus dare non potest, ab omnium bonorum Datore « hominibus bonae voluntatis » (4) tandem adveniat.

Paschalium illa gaudiorum nuncia, salutatio « Pax vobis » (5), qua Christus Dominus Apostolos suorumque discipulorum primitias compellavit, quaeque exinde identidem in sacra Ecclesiae Liturgia resonare consuevit, eadem hodie, si unquam alias, hominum animos angustiis oppressos attollere sursum solarique debet.

---

(1) *I Tim.* II, 1-1.
(2) *II Cor.*, XIII, 11.
(3) *Ephes,* II, 14.
(4) Luc., II 14.
(5) Ioan., XX, 19, 26.

Cum precatione paenitentia coniungenda,

Verum cum precatione poenitentia quoque coniungatur oportet: studium videlicet poenitentiae et christianae poenitentiae usus. Id nos docet divinus Praeceptor, qui ante omnia poenitentiam ipsam inculcavit: « Coepit Iesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite » (1). Id praeterea docemur et acceptâ a maioribus doctrinâ et historiâ Ecclesiae universâ; magnis in calamitatibus, magnis in populi christiani aerumnis, quandocumque divini auxilii maior premebat necessitas, christifideles, vel sua sponte vel saepius a sacris Pastoribus exemplo et hortatione incitati, utraque arma in vita spirituali validissima semper arripuerunt: precationem et poenitentiam. Sacro illo sensu, quo christiana plebs nisi a discordiae satoribus transversa agatur, sponte ducitur, quique nihil aliud tandem est quam « sensus Christi » ab Apostolo commemoratus (2), numquam Christi fideles in huiusmodi rerum adiunctis non illico persenserunt suum cuiusque animum ab admissis esse mundandum, ideoque et intime dolere, et sacro se tribunali sistere et externis quoque piacularibus exercitiis divinae Iustitiae facere satis numquam non contenderunt.

hodie nimis neglecta et contempta.

Nos equidem non fugit, idque vobiscum, venerabiles fratres, vehementer lamentamur, nostris temporibus ipsam piaminis et poenitentiae nedum notionem at ipsum nomen apud complures haud parum amisisse pristinae suae virtutis, qua olim magnanimos ciebant sensus et ad fortia impellebant suscipienda, quippe quae hominibus fide alte imbutis sacro Christi eiusque Sanctorum sigillo insignita apparerent; nec desunt qui externas corporis afflictationes inter obsoletas res amandare velint; ne quid dicamus de hodierno homine libero seu autonomo, quem vocant, qui poenitentiam quamlibet ut servile quid superbe contemnit. Nec mirum sane: quo magis enim in Deum fides debilitatur, pronum est ut eo magis primaevi peccati ac pristinae hominis contra Deum rebellionis notio obfuscetur atque evanescat, multoque magis iam nulla piaculi poenitentiaeque necessitas persentiatur.

Pro pastorali munere genuinam eius rationem servare indemnem vult Pontifex.

Nos vero, venerabiles fratres, pro pastorali munere, haec nomina sanctasque res summo in honore habere utque habeantur curare, iisque germanam notionem nobilitatemque servare indemnem, atque adeo, quod pluris est, ut ad vitae christianae usum eaedem applicentur contendere debemus. Hoc a Nobis expostulat ipsa, quam propugnamus, Dei Religionisque defensio,

(1) Matth., IV, 17.
(2) Cfr *I Cor.*, II, 16.

cum poenitentia suapte natura ordinem morum agnoscat restituatque, qui lege aeterna, id est Deo ipso, innitatur. Qui Deo piamina offert pro peccato, is sanctas esse profitetur supremas morum leges, earumque obligandi vim atque in violatores animadvertendi ius agnoscit.

Nec mores a religione seiungi possunt.

In perniciosissimis profecto nostrae aetatis erroribus ille est annumerandus, qui nefario ausu mores a religione seiungit, quodvis scilicet legibus subducens fundamentum. Qui quidem mentis error praetermitti quadantenus poterat fortasse minusque exitiosus videri, cum inter paucos continebatur, cumque in Deum fides commune totius humani generis patrimonium adhuc erat, adeo ut ii quoque qui eam iam non profiterentur aperte, tacite tamen opinione admittere cogerentur. At nunc, cum atheismus etiam populares inficit coetus, atrocia illius erroris consectaria quotidiano usu tanguntur et obviam occurrunt passim. Pro morum lege, quae, sublata in Deum fide, decidat pariter necesse est, vis bruta imponitur omnium iura conculcans. Antiquam agendi fidem atque honestatem mutuique commercii probitatem, vel ethnicorum rhetorum ac poetarum laudibus tantopere commendatam, excipiunt nunc sordida lucri studia, quibus incensi complures sua aliorumque negotia impudenter passim perfideque agunt. Et sane, quî possunt humana consistere commercia, quî vim nancisci pactiones, ubi nullum sit conscientiae vadimonium? Quodnam autem conscientiae sit vadimonium, ubi nulla sit in Deum fides, nullus Dei timor? Hoc enim sublato fundamento, omnis morum decidit lex, nihilque impedire poterit quominus gradatim, at necessario, praecipites ruant gentes, familiae, res publica, ipseque humanae vitae cultus.

Laus paenitentiae

Poenitentia itaque salutare armonum est genus, quibus utuntur strenui Christi milites pro universo morum ordine propugnando restituendoque dimicare cupientes: armorum est genus, quod ad omnium malorum radicem resecandam descendit, cupiditatem dicimus corruptibilium divitiarum inhonestarumque vitae voluptatum. Piacula sponte suscipiens iucundis rebus vel aegre abstinens, variis poenitentiae operibus indulgens, christianus homo vere magnanimus abiectas cupiditates coërcet, quibus ad morum normam transgrediendam alliicitur. Quod si idem divinae legis studio atque fraterno amore tam vehementer flagrat, quantum sane debet, tum non modo pro se suisque luendis commissis poenitentiae dat operam, sed etiam aliena peccata in se suscipit expianda, grandia Sanctorum exempla imitatus, qui ad totius suae aetatis peccatorum poenas ferendas, piaculares se hostias saepenumero exhibebant; imitatus quin immo di-

vinum Redemptorem, Agnum Dei factum, « qui tollit peccatum mundi » (1).

in cuius studio mysterium pacis reconditur.

Nonne, venerabiles fratres, in hoc poenitentiae studio pacis quoque mysterium abditur? « Non est pax impiis » (2) inquit Spiritus Sanctus, qui ordini a natura atque adeo ab eius Conditore statuto semper contradicunt et repugnant. Tunc solummodo, quando hic ordo restitutus erit, quando omnes gentes illum ultro fideliterque agnoverint et servaverint, quando intimae populorum rationes et mutuae cum aliis nationibus necessitudines hoc nitantur fundamento, tunc solummodo firma in terris pax haberi poterit. At optatam hanc firmae pacis auram nec pacis foedera nec sollemniores pactiones, nec communes populorum conventus aut consultationes, nec Civitatum rectorum nobiles sincerique conatus adducere poterunt, nisi prius sacra naturalis divinaeque legis iura sint agnita. Nullus oeconomiae publicae moderator, nulla virium ordinandarum et componendarum peritia, societatis rationes pacifice extricare poterit, nisi prius in ipso oeconomiae ambitu lex moralis, Deo conscientiaque innixa, triumphet. Hic nervus praecipuus totius roboris tam politicae quam oeconomicae populorum vitae; hoc pretium omnium certissimum, quo firmo, reliqua omnia nutare non possunt, quippe quae immutabili aeternaque Dei lege, validissima scilicet auctoritate, solidentur.

At poenitentia et singulis hominibus firmam affert pacem, eos a terrenis fluxisque bonis abducens, ad aeterna sustollens, eosque vel in mediis angustiis aerumnisque constitutos, illa donans pace, quam mundus, quibusvis divitiis voluptatibusque suis, dare non potest. Nonne unus ex iucundioribus laetioribusque concentibus, qui in hac lacrimarum valle unquam sint exauditi, notissimum illud est Sancti Francisci « Canticum solis seu creaturarum »? Atqui eius auctor, scriptor, cantor austerissimis Christi asseclis est profecto annumerandus; illum dicimus Assisiensem pauperculum, qui nihil prorsus possidebat in terra, quique in corpore suo, macie consumpto, cruenta Domini crucifixi stigmata pertulit.

Summa autem deliberatio: vel precatio cum paenitentia, vel deditio in manus hostis Deum adversantis.

Precatio igitur et poenitentia duo sunt validi spiritus, nobis hac aetate a Deo dati, ut miseram humanitatem, huc illuc sine duce errantem, ad ipsum reducamus; qui causam primam praecipuamque omnis perturbationis defectionisque — rebellionem scilicet hominis in Deum — dissipent atque expient. Sed

(1) Ioan., I, 29.
(2) Is. XLVIII, 22.

ipsae gentes ad summam tandem deliberationem vocantur; ut nimirum, aut his benevolis beneficisque spiritibus se credant et humiles dolentesque ad Dominum suum misericordiarumque Patrem revertantur; aut in manus hostis Deum adversantis, id est vindictae spiritualisque ruinae, se totos illudque modicum quod adhuc in terris maneat beatitatis residuum coniiciant.

Pontifex mundum compellit ut convertatur.

Nihil ergo aliud restat quam ut miserum hunc mundum, qui tam copiosum sanguinem effudit, tot aperuit tumulos, tot insignes res delevit, tot denique hominibus pane operaque interdixit; nihil, inquimus, aliud restat, quam ut hunc mundum amantissimis sacrae Liturgiae vocibus compellemus: « Convertere ad Dominum Deum tuum! ».

Occasio, Festum SS. Cordis Iesu.

Iamvero, ad hanc precum operumque piacularium conspirationem quamnam vobis, venerabiles fratres, occasionem opportuniorem indicandam nanciscamur quam sollemnem diem, qui iam imminet, Sacratissimo Iesu Cordi dicatum? Cuius cum sit nota peculiaris — quemadmodum Encyclicis Litteris *Miserentissimus* quattuor abhinc annis datis copiose demonstravimus — hominum scelerum expiandorum studium caritate incitante, in omnibus Orbis templis perpetuum, sacro anniversario recurrente, publice tot flagitia, quibus Cor illud divinum impetitur, piaculis reparanda decrevimus.

Praescripta de Festo,

Equidem confidimus futurum ut hoc anno, die divino Cordi sacra, Ecclesiae filii universae certatim in flagitia expianda divinaque impetranda dona studiosius incumbant. Qui frequentissimi ad Eucharisticam mensam accedentes, et circum altaria provoluti, humani generis Redemptorem sub Sacramenti velis delitescentem venerantes — quod proinde, venerabiles fratres, in omnibus templis ea die sollemniter exponendum curabitis — in illud Cor misericordissimum, omnium humanorum dolorum aculeos in se expertum, molem angorum, quibus afficiuntur, effundant; fidemque suam firmam, certam spem, ardentem caritatem profitentes, idem Cor Sanctissimum, validissimo patrocinio Virginis Deiparae, omnium gratiarum Mediatricis, interposito, pro se suisque, pro patria, pro Ecclesia, pro Christi Vicario ceterisque Pastoribus, eiusdem gravissimi animarum regiminis in partem adscitis, fervide deprecentur; itemque pro fratribus de eadem fide sive consentientibus, sive dissentientibus, sive impietatis aut infidelitatis labe infectis, ac pro ipsis denique Dei Ecclesiaeque hostibus, ut tandem et convertantur vivant.

de tota Octava.

Quod precandi studium voluntatemque expiandi per Octavam totam, quo liturgico privilegio Sacratissimi Cordis festum Nos ipsi insignitum voluimus, fovere pergant omnes: quibus diebus illa semper animo menteque spectantes, quae superius enucleate attigimus, eas virtutum pietatisque exercitationes peragant, quae, pro rerum locorumque adiunctis, vobis, venerabiles fratres, vel indicandae vel decernendae videantur: « ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (1).

Descriptio optatae paenitentiae.

Hac vero Octava — quam equidem toto terrarum orbe expiandis flagitiis, sanctae severitati, cupidinum refrenationi, peculiaribusque supplicationibus dicatam cupimus — spectaculis, ludicris, corporisque deliciis, quamquam alioquin honestis, christifideles abstineant; qui vero maiore bonorum copia perfruuntur. christianae austeritatis memores, a consueto vitae licet moderato cultu nonnihil subducant quod egenis largiantur, cum liberales in pauperes largitiones suis admissis redimendis divinaeque misericordiae sibi conciliandae maxime conducant. Qui autem vel in egestate versantur, vel, ob operum intermissionem, mercede imminuta angustius nunc vivere coguntur, eadem et ipsi christianae austeritatis disciplina informati, rerum defectus — quibus a temporum tristitia ipsâque rerum condicione laborant, quam iisdem providentissimus Deus, arcano quidem at certe benignissimo consilio, in civili societate assignavit — patienter Dei amore studeant tolerare; penuriaeque aerumnas, graviores nunc profecto ob communes angustias quibus omnes exercentur, e Dei manu obsequenter fidenterque accipientes, mentem animumque ad divinum illud exemplum omnibus propositum attollant, Christum crucifixum; porro reputantes, etsi opus laborque pro maximis vitae praesidiis recte aestimetur, tamen hominum salutem Dei patientis amore constitisse, eo certissimo solacio animum erigant: se suis angustiis doloribusque, christiana virtute toleratis, temporibus pacis misericordiaeque maturius reducendis operam efficacissimam posituros.

Spes exauditionis.

Audiet profecto divinum Cor Iesu Ecclesiae suae voces supplicationesque, dicetque tandem Sponsae amatissimae, tot dolorum angorumque cumulo afflictae atque ingemiscenti: « Magna est fides tua! Fiat tibi sicut vis » (2).

Benedictio Ap.ca.

Hac freti fiducia, quam Crucis firmat commemoratio, humanae redemptionis et signi et instrumenti pretiosissimi, cuius

(1) *Hebr.*, IV, 16.
(2) MATTH., XV, 28.

hodierna die gloriosam Inventionem recolimus, vobis, venerabiles fratres, clero populoque vobis commisso, orbi denique catholico universo, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (3 maii 1932). Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Maii, in festo Inventionis S. Crucis, anno MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI.

ANNOTATIONES

Enc. litteris *Caritate Christi* S. Pontifex mirabile monumentum sui ingenii suique Paterni animi nobis iterum legavit: sive res et doctrinam, sive modum et opportunitatem praeceptorum et consiliorum spectaveris.

Dum generalis miseria sublevanda ipsi sollemnem invitationem dictaverat beneficentiae quam Enc. *Nova impendet* urgebat, incrementum miseriarum et minae religioni, paci et ordini sociali ingruentes ipsum moverunt ut oculis occaecatorum pessimam civitatum condicionem panderet; et magis adaequatae malorum expositioni adaequatum in solo Christo remedium opponeret.

Enc. commode dispescitur in tres partes, quarum prima describendo et scrutando malo, altera indicandae medicinae destinatur, tertia demum praesentes Pontificis commendationes continet.

I. *Synopsis litterarum.* Hoc porro ordine res in encyclica disponuntur.

A. 1. Malum, sine exemplo post diluvium, vivis coloribus depingitur: extensione nullum locum immunem esse sinit, comprehensione eos ipsos percellit qui oeconomicis suis artificiis mundo imperare videbantur ac repentina clade, multis aliis calamitosa, oppressi sunt (1).

---

(1) Hoc loco Pontifex manifesto alludit ad famosum istum Sueciae negotiatorem et fraudatorem qui suicidio sibi vim intulit et discrimina oeconomica non parum peiora fecit.

2. Magis ipso malo deplorandam mali radicem subinde denuntiat: auri sacram famem, unde contractus et foedera solo propriae utilitatis studio ineuntur; et, quasi tot cupiditatis surculos: mutuas suspiciones, invidias, incuriam aliorum utilitatis vel sortis et ipsam coacervationem opum civitatum in paucorum manibus.

Praeter egoismum individualem, Pontifex pestiferum notat studium proprii generis, propriae nationis eousque fervens ut aestimationes morales subvertat et pro patria factum laudet quod inter privatos facinus foret: quo fit ut in locum caritatis successerit odium, ut firma fidei publicae fundamenta subvertantur, et instituta maiorum labefactentur.

3. Gradatim procedens, Papa ut maxime periculosum denuntiat bellum quod omnis ordinis eversores ipsi Deo omnique religioni indicunt.

Haec occasio est S. Pontifici conferendi timidum paucorum atheismum superioris aevi et impudentem atheismi professionem quae hodie omni ratione praedicatur et propagatur, et, factionibus politicis, oeconomicis et militaribus usus, veram atque artificiosam conspirationem contra Deum machinatur.

Immo « tam iniquae factionis duces auctoresque » ipsam rerum inopiam Deo, religioni imputant, Christi crucem calumniantes, quod complex sit imperialismi oeconomici: ita fit ut simul pro congruente victu et contra Deum militare videantur.

(Quis non mente recolat celebrem calumniam: religionem esse opium quo populus sopitur? »)

Ac milia et milia hominum, conniventibus societatibus secretis, ad castra irreligiosa trahuntur. Et dum legitimas appetitiones et effraenatas cupiditates pares reputant, conclamant « felicitatem fore nullam in terra, dum religionis ultimum vestigium radicitus non fuerit exturbatum ».

B. Nolens tamen nimis atro colore praesentia tempora obducere, SS. D. paucis rationes reddit spei melioris quam cum e divinis eloquiis, tum e nobilibus studiis multorum omnis ordinis, iuvenum potissimum, tum ex agminibus actionis catholicae, se concepisse declarat.

C. Hinc quasi prono alveo, postquam proprium dolorem acerrimum effudit, et vae dixit humano generi si Deus « vastationis fluctibus apertum cursum permitteret, iisque tamquam flagellis ad puniendum mundum uteretur », SS. Dominus ad *remedia* urgenda se convertit.

1. Tam privatos homines quam civitates obtestatur ut sordidum studium propriae tantum utilitatis deponant, ut omnes sed maxime christiani animorum coniunctione ad periculum exitiale propulsandum laborent.

Humana enim media sane spernenda non sunt; neque de iis tacuit enc. *Quadragesimo anno;* sed cum non sufficiant, ad orationem et ieiunium recurri debet.

2. Quare SS. Dominus orationem inculcat ac dein paenitentiam, et utriusque encomium texit.

3. Quam sit utrique studio fovendo opportunum festum SS. Cordis Iesu, Pontifex ostendit et vult ut festi octava sit omnis expiationi dicata.

II. *Documenta de precatione et de paenitentia.* Haec enim distincte recolere praestat.

1. *De precatione.*

a) Orationis memorat promissiones.

b) Praestantiam orationis effert quae impetrat « ne fides in unum Deum vivum et verum exsulet e terra ». Immo iam per se oratio impietatem efficaciter impugnat, tum in se et bono exemplo si fuerit privata, tum in ipsa civitate si oratio sit collectiva: haec enim Deum societati imperantem agnoscit et profitetur.

Hoc loco tunc SS. D. pulcherrimum Ecclesiae sine intermissione orantis spectaculum describit.

c) Idem studium orandi iam aufert inexplebilem illam temporalium bonorum cupiditatem. Orans enim in excelsum suspicit, et temperata aestimatione rerum terrenarum atrox pugna quam saepe parit condicionum diversitas in pacificam concertationem ad bona superna transire facile potest.

d) Hinc paci sternitur via.

e) Pax ista pro omnibus, maxime pro rectoribus civitatum imploranda est.

f) Simul Pontifex effert quam boni utilesque sint cives precatores.

2. *De paenitentia* non est minus accurata et elegans propositio.

a) Paenitentiam in evangelio, in traditione christiana, in « sensu christiano » fundatam esse manifestat Pontifex.

b) Hodiernam oblivionem, despectum, vituperium paenitentiae ob debilitatam fidem in Deo deplorat.

c) Pro officio sibi ducit curam habere ut paenitentia speculative honestetur et ad usum applicetur: quod ipsa Dei religionisque defensio postulat, cum « suapte natura ordinem morum restituat qui lege aeterna » id est Deo innitatur.

d) Hinc nefarium ausum damnat eorum qui, mores a religione seiungentes, quodvis fundamentum legibus subtrahunt: atrocia erroris consectaria quotidiano usu tanguntur « pro morum lege... vis bruta imponitur omnia iura conculcans ».

e) Tunc Pontifex laudes paenitentiae ut salutaris armorum generis pulcherrime texit. Per eam christianus magnanimus coercet cupiditates quibus ad peccatum allicitur; per eam etiam aliena peccata expianda suscipit « imitatus sanctos ipsumque divinum Redemptorem. In restituto ordine pacis mysterium pro privatis et societate quoque continetur. Nulla ars nulli conventus pacem firmam inducere poterunt « nisi prius in ipso oeco-

nomiae ambitu lex moralis Deo conscientiaeque innixa triumphat ».

f) Canticum « *solis seu creaturarum* » Pontifex adducit, ut laetam pacem cum austeritate coniunctam in S. Francisco demonstret (1).

g) Per precationem et paenitentiam causa prima omnis perturbationis est dissipanda et expianda: rebellio hominis in Deum.

Demum Pontifex, quasi dilemma seu optionem gentibus propositam sub oculis ponit: vel humilis conversionis ad Deum vel ruinae socialis

III. *Pars practica.* In ea Pontifex ordinat supplicationes pro omnibus ad Cor Iesu, patrocinio Deiparae interposito; iubens ut ss. sacramentum in die festo in omnibus templis sollemniter exponatur; et cupit ut tota octava SS. Cordis expiationi dicetur: christiani deliciis honestis nec tantum illicitis abstineant; a consueto vitae cultu non nihil subtrahant quod egenis largiantur; egeni studeant Dei amore egestatem patienter ferre; aerumnas obsequenter et fidenter omnes e Dei manu excipiant; ad Christum crucifixum mentem animumque attollant; erecti etiam eo solatio quod suis doloribus patienter toleratis efficacissime temporibus melioribus reducendis cooperantur. « Christus, sic concludit Pontifex suae afflictae sponsae dicet: « Magna est fides tua; fiat tibi sicut vis ».

Quae observavimus satis erunt ul appareat quantum omnibus pie meditandum; quantum populis praedicandum litterae encyclicae fidelibus et sacerdotibus offerant.

A. VERMEERSCH S. I.

---

(1) S. FRANCISCUS, ut in eius vita legitur, canticum istud canere coepit post noctem quam muribus et intemperia lacessitus insommem duxerat, ita ut in corpore afflicto et exhausto virtutem animi sui in contrarium agentis manifestam efficeret.

57. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve " Litteris Nostris „ 3 iun. 1932

AMPLIANTUR INDULGENTIAE CONCESSAE PRO VISITATIONE SS.MI EUCARISTIAE SACRAMENTI.

(A. A. S., 1 iul. 1932, XXIV, 241)

PIUS PP. XI

Nactus occasionem conventus eucharistici Dublinensis, SS. D. indulgentias visitantibus SS. Sacramentum a Pio IX 15 sept. 1876 concessas ampliare voluit, eo etiam fine ut urgeret invitationem ad scelera expianda.

Collatis consiliis cum Card. Legato ad Dubl. congressum,

has indulgentias concedit.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Litteris Nostris** « Caritate Christi » nuperrime editis christifideles omnes ad scelerum hominum expiandorum studium peculiaribus piis exercitiis die Divini Cordis sacra peragendis, circum altaria provolutos Redemptorem nostrum Iesum Christum sub Sacramenti velis delitescentem venerantes, instantissime excitavimus. Iure meritoque propterea, Conventus Eucharistici internationalis, qui Dublinensi in civitate proxime celebrabitur, occasionem nacti, ut christifideles, expiabilibus huiusmodi piaculis omne suum studium devotionemque conferant in illud Cor Sacratissimum, a quo magnum Eucharistiae Sacramentum manavit, indulgentias quas rec. mem. Decessor Noster Pius Pp. IX, suis sub anulo Piscatoris Litteris, die XV mensis Septembris an. MDCCCLXXVI christifidelibus Augustum Sacramentum devote visitantibus largitus est: Nos, pro benignitate Nostra, nunc ampliandas censemus. Conlatis igitur consiliis cum dilecto filio Nostro Laurentio titulo Sancti Pancratii presbytero Cardinali Lauri, Sanctae Romanae Ecclesiae Poenitentiario Maiore, quem Nostrum etiam mittimus Legatum ad eundem Dublinensem Conventum, praesentium Apostolicarum Litterarum tenore, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Eius apostolorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, corde saltem contritis, quoties ipsi ubique terrarum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote visitaverint ac quinque *Pater, Ave* et *Gloria* recitaverint, addita quoque unius *Pater, Ave* et *Gloria* ad mentem Nostram sive Summi Pontificis pro tempore exsistentis recitatione, *decem annos* de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxamus; *plenariam* vero omnium peccatorum suorum *indulgentiam* et remissionem misericorditer in Domino largimur, semel in hebdomada lucrandam, iisdem christi-

fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ipsam Augusti Sacramenti visitationem per integram hebdomadam peregerint, ibique, ut supra, oraverint. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Dies (3 iul. 1932). Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Iunii Sacratissimo Iesu Cordi sacro, anno MCMXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

I. Praesentes indulgentiae peculiariter opportunae sunt, tum quia urgent studia expiationis tantopere litteris enc. *Caritate Christi* hic supra exscriptis commendata, tum quia singularis sunt honor a S. Pontifice concessus eucharistico Congressui Dublinensi hoc anno tanta sollemnitate celebrato, quocum placuit SS. Domino beneficium suum conectere.

II. Breve autem Pii IX 15 sept. 1876, cuius Pontifex indulgentias ampliare voluit, frustra quaesivimus in Acta Pii IX, in Acta S. Sedis, in Acta Iuris Pontificii, in Nouvelle Revue Théologique; neque in opere Beringer-Steinen De Indulgentiis (ed. 15ª) ulla memoratur indulgentia quam Pius IX, s. m. visitantibus Sanctissimum Sacramentum concesserit.

III. Observes qua cura iam in indicandis precibus pro indulgentiis non semel; sicut hic, separatim praescribitur unum Pater, Ave et Gloria ad mentem S. Pontificis recitandum.

58. — Suprema S. Congr. S. Officii

Decreta 25 iunii 1932

QUIBUS OPERA PROSCRIBUNTUR

(A. A. S., 2 iul. 1932, XXIV, 237)

I

DAMNANTUR OPERA ALAFRIDI LOISY

Feria IV, die 1 Iunii 1932

Dies consessus.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opus quod inscribitur:

Opus proscriptum.

ALFRED LOISY, *Mémoires pour servir à l'histoire religieuse de notre temps.* Paris, Emile Nourry, éditeur, 1930-1931.

Omnia auctoris opera damnantur.

Iidem E.mi ac Rev.mi Patres damnanda pariter et in Indicem librorum prohibitorum inserenda decreverunt *Opera omnia* eiusdem Auctoris, quae hactenus damnata non fuerunt.

Approbatio SS.i

Et sequenti Feria V, die 2 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita Audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti (25 iun. 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 25 Iunii 1932.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

L. ✠ S.

ANNOTATIO

De vi generalis proscriptionis *Opera omnia* cfr nostrum *De prohibitione et censura librorum,* ed. 5ª, n. 5, 17, 45, vel *Epitome I. C.,* [4] II, n. 734 p. 536.

II

DAMNATUR LIBER SALVATORIS PAGLIONICA

Dies consessus.

Feria IV, die 22 Iunii 1932

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Opus proscriptum.

SALVATORE PAGLIONICA, *Compendio di economia politica e nozioni di diritto*. Padova, Istituto delle edizioni Accademiche, 1932.

Approbatio SS.i

Et sequenti Feria V, die 23 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (25 iun. 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 25 Iunii 1932.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Cong. S. Officii Notarius.*

L. ✠ S.

---

59. — S. C. pro Ecclesia Orientali

Decretum 12 maii 1932

DE ORDINE BASILIANO S. IOSAPHAT

(A. A. S., 1 iul. 1932, XXIV, 239).

DECRETUM

S. C. consilium post quinquaginta annos a decreta reformatione.

Quinquagesimo exeunte anno, ex quo Summus Pontifex Leo XIII, f. r., Apostolicas Litteras *Singulare praesidium,* die 12 Maii 1882 dabat, de Ordine S. Basilii Magni reformando, Sacrae huic Congregationi visum est opportunum, huiusmodi reformationem, per quinquaginta annos sedulo ac fidenter deductam, non tantum publici laudis testimonio cohonestare, sed etiam quodammodo perficere et sancire.

Fructus ordinis S. Basilii ruthenae nationes,

Divina enim ope fretus, Ordo S. Basilii Magni ruthenae nationis, religioso spiritu fervens ac vitam monasticam in exemplum agens, uberes attulit fructus; in pluribus siquidem et dissitis regionibus, hisce postremis temporibus, monasteriis erectis, animarum saluti procurandae, rudibus evangelizandis, fidei catholicae strenue tuendae, studiis provehendis sedulam semper contulit operam: necessitatibus praeterea ac temporum adiunctis consulens, saluberrima accepit incrementa.

eiusque diffusio.

His omnibus rebus rationibusque gavisa et aucta est illa rutheni ritus Ecclesia, una cum clero ac fidelibus suis, qui, in Europae et Americae regionibus, nedum in Galitia diffusi, erga hunc Ordinem S. Basilii, suae gentis decus, gratum fovent atque testantur animum.

Quae decreverit S. Congregatio.

Quo igitur hodierna Ordinis S. Basilii conditio firmetur, adeoque magis usque in bonum animarum provehatur, haec Sacra Congregatio, praesentibus litteris, quibus ea etiam quae nuperrime sunt statuta colliguntur ac rata habentur, decernit:

Nomen sit proprium.

I. Ut Ordini S. Basilii Magni, ruthenae nationis, nomen hoc, rerum adiunctis sane aptius, tribuatur, seu *Ordo Basilianus S. Iosaphat;*

Ratificatio capituli generalis.

II. Ut capitulum generale, anno elapso habitum, quo Rev.mus P. Dionisius Tkatschuk, Moderator generalis, seu Archimandrita, est electus, ratum habeatur;

Curia generalicia in Urbe.

III. Ut Curia generalicia Romam transferatur, atque in aedibus veteris Pontificii Collegii Rutheni ad Ss. Sergii et Bacchi constituatur;

Praeter ephebeum.

IV. Ut in Urbe pariter iisdemque in aedibus ephebeum condatur alumnis huius Ordinis Basiliani, e quacumque regione selectis, ad studia philosophica ac theologica instituendis;

Tres sint provinciae praeter vice provinciam.

V. Ut Basilianus Ordo S. Iosaphat in tres provincias recens erectas, constitutus declaretur, seu: 1a Galitiae, 2a S. Nicolai, 3a Americo-Canadensis, quibus additur Vice-provincia Americae Meridionalis.

Confirmatio Pontificis.

Quae omnia Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI rata habere ac confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (12 maii 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die 12 Maii 1932.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S. H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

ANNOTATIO

Litterae Leonis XIII 1882 reperiuntur in *Acta Leonis XIII*, tom. 3, p. 58.

[59]

60. — S. C. Concilii

Decretum 7 iun. 1932

DE GRATIARUM ET OBLATIONUM IN PIIS EPHEMERIDIBUS EVULGATIONE

(A. A. S., 1 iul. 1932, XXIV, 240).

Facta. Vulgantur copiosius in dies, praesertim penes celebriora Orbis sanctuaria, piae ephemerides eo consilio concinnatae, ut res ibidem gestae referantur, atque fidelium pietas erga caelestes Patronos, quorum sub nomine inscribuntur, peculiariter foveatur. Inter relata autem locum habere solet enarratio gratiarum vel caelestium beneficiorum, quae eorumdem Sanctorum patrocinio a fidelibus impetrata perhibentur, addita, ut plurimum, stipis hanc ob causam corrogatae adnotatione.

Abusus Verum, si finis ob quem et commentarii eduntur et oblationes colliguntur, incrementum videlicet devotionis in Sanctos. aedium sacrarum exstructio et decor, operum caritatis fundatio, laude dignus in se sit, ratio tamen, qua haud raro beneficia caelestia referuntur accepta, inepto nempe sermone et absque ullo authenticitatis signo, probari nequit, praecipue si perpendatur in narratis acceptum beneficium ita cum oblata pecunia saepe connecti, ut alterum ab altero pendere videatur. Quod quidem, cum turpis lucri speciem praeseferre facile queat, occasionem saltem praebere potest admirationis iis potissimum, qui praeiudicatis opinionibus adversus catholicum cultum sunt imbuti.

Remedia Ad haec igitur incommoda praecavenda, haec Sacra Congregatio Concilii, consiliis initis cum Sacra Congregatione de Religiosis, atque SS.mo D.no Pio Pp. XI probante, Ordinarios locorum Superioresque religiosorum maiores monendos censet:

Observatio canonum. I. Ut praescripta canonum 1261 et 1386 Codicis iuris canonici sedulo servari iubeant, abusus compescendo.

Diligens censura. II. Ut praeviae censurae ecclesiasticae, ad normam eiusdem canonis 1386, scripta harum ephemeridum rite accurateque submittant, atque ipsorum onerata conscientia, facultatem easdem edendi ne faciant, nisi praehabita peculiaris Censoris ex officio, ad praescriptum Encyclicae *Pascendi* Pii Pp. X, diei 8 Septembris 1907, favente sententia, eaque singulis vicibus scripto danda. Caveat itaque Censor ut enarrata, quae sub gratiarum nomine exhibentur, ea praeseferant credibilitatis signa ut, omni-

bus prudenter perpensis, fidem mereri possint, atque insuper ut omnis inter gratiam obtentam et eleemosynam oblatam vel minima connexionis suspicio exsulet.

Quid si narrationes non congruant his praescriptis.

III. Ut huius generis narrationes, his praescriptis non congruentes, nonnisi sub generica indicatione gratiae acceptae et absque ulla facti expositione in vulgus edi permittant.

Fructus speratus.

Quae si diligenter observentur, finem in quem intendunt piae, quas commemoravimus, ephemerides assequentur, nec quidquam in iis reprehendere licebit, quod a christiana pietate sit absonum.

Dies (7 iun. 1932).

Datum Romae, die 7 mensis Iunii anno 1932.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

In dies plures numero eduntur sic dictae piae ephemerides quae devotos fideles ad visitandum sanctuarium vel ad colendum sanctum assidue invitant. Laudabili sane studio haec faciunt, quatenus venerabilem locum vel generis humani exempla et benefactores honoribus augere intendunt. Minus autem laudandae sunt si sine prudenti delectu referunt quae a veritate historica sunt aliena, vel modo quo oblatio pecuniae cum assertis gratiis conectitur suspicionem ingerat cuiuspiam artificii quaestuosi. Inde enim apud fideles fides veris gratiis obtentis minuitur, vel fovetur quaedam devotio indiscreta ut si caelestia beneficia videantur certo pretio obtinenda ; dum acatholicis ansa praebetur calumniandi Ecclesiam eamque superstitionis vel turpis mercimoniae insimulandi.

His abusibus S. C. Concilii opportunissime occurrere volens, artes istas in se reprobat, et simul remedia indicat. Haec autem reperit in sedula observatione canonum 1261 quae vigilantiam Locorum Ordinariorum excitat « ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa

ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem prae sè ferens »; et 1386 qui scripta clericorum licentiae Superioris maioris et Ordinarii loci obnoxia efficit; et in diligenti censura praevia. « Caveat, sic decretum, Censor ut enarrata quae sub gratiarum nomine exhibentur, ea prae se ferant credibilitatis signa ut, omnibus prudenter perpensis, fidem mereri possint, atque insuper ut omnis inter gratiam obtentam et eleemosynam oblatam vel minima conexionis suspicio exsulet ».

Praecipit demum ut huius generis narrationes, his praescriptis non congruentes, « nonnisi sub generica indicatione gratiae acceptae at absque ulla facti expositione in vulgus edi permittant ».

Itaque res ista non modici momenti curae Episcoporum vel Ordinariorum loci committitur moderanda et sananda.

61. — S. C. de Prop. Fide

Responsa 18 mai 1932

DE CALENDARIO IN MISSIONIBUS (1)

Pekini, die 6 Junii 1932

Exc.me Domine,

Dubia exortã. Cum ad hanc Apostolicam Delegationem nonnulla dubia proposita fuissent circa Kalendarium in Missionibus adhibendum, et circa celebrationem festorum in honorem B. Odorici a Portunaone, Beatorum Martyrum Sinensium atque Patronorum principalium Missionum, opportunum visum est, rem ad S. Sedem deferre, ut responsum haberetur, quod omnes dirimeret discussiones super hoc argumento exortas.

(1) Tramsumptum ex. litt. Excell. Delegati Apostolici in Sinis.

Sacra porro Congregatio de Propaganda Fide, per ven. Rescriptum sub N. 1672/32 die 18 mensis Maii datum, propositis, quae sequuntur, dubiis, responderi mandavit ut infra ad singula:

Dies rescripti S. Cong.

Dubia.

1) Utrum in Missionibus, cuidam Ordini vel Congregationi Religiosae concreditis, Ordinarius (religiosus) possit pro Clero saeculari sibi subdito adoptare Kalendarium proprii Instituti: an e contra debeat se conformare Decreto S. Rituum Congregationis diei 28 Octobris anni 1913 (1) et Kalendarium proprium statuere, ex. gr. Kalendarium Ecclesiae Universalis, in quo addenda sunt specialia festa loci, festa in honorem B. Odorici a Portunaone, Beatorum Martyrum Sinensium illaque Patronorum principalium Missionum S. Francisci Xaverii et S. Teresiae ab Infante Jesu?

1. *De calendario adoptando.*

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

R. ad 1.

2) Utrum Missionarii Religiosi qui, ad Officium recitandum, proprium sequuntur Kalendarium, possint celebrare Missam, in Kalendario sui Instituti signatam, etiam in Ecclesiis (Vicariatus vel Praefecturae), quae de iure non pertinent ad eorundem Ordinem vel Congregationem: an e contra ipsi quoque debeant in his Ecclesiis Missam celebrare, quae signatur in Kalendario proprio Missionis in qua commorantur?

2. *De Missionariis in ecc.iis non suis.*

R) Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

R. ad 2.

3) Utrum Missionarii Religiosi, licet proprium Kalendarium habentes, teneantur ubicumque Sinarum Missam celebrare et Officium recitare in honorem Beatorum Martyrum Sinensium atque Beati Odorici a Portunaone, iuxta praescripta Decretorum S. Rituum Congregationis (2): et utrum insuper iidem Religiosi Missionarii celebrare debeant festa Patronorum principalium Missionum, S. Francisci Xaverii et S. Teresiae ab Infante Iesu (3) sub ritu duplici primae classis?

3. *De quibusdam officiis Patronorum.*

R) Affirmative in omnibus et ad mentem.

R. ad 3.

Mens autem est, ut Religiosi, qui titulo Missionariorum apud gentes praediti sunt, debeant ob hanc ipsam causam, convenientiam sentire celebrandi festa in honorem sive Mis-

(1) Privilegia, quibus nonnullae Dioeceses vel Instituta gaudent, sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicuius Ordinis seu Congregationis vel alia huiusmodi, penitus abdolentur (A. A. S., 1913, pag-463, N. V, 2, e).

(2) Decr. S. R. C. 13 Nov. 1925. — Decr. S. R. C. 13 Martii 1930. — Decr. S. R. C. 8 Julii 1931. — Decr. S. R. C. 16 Febr. 1932, etc.

(3) Const. Ap. Benedicti PP. XIV, diei 24 Febr. 1748 etc. (Pro S. Francisco Xaverio). — Decr. S. R. C. diei 14 Dec. 1927 (Pro S. Teresia ab Inf. I.).

Mens. S. Cong.

sionum Patronorum, sive Beatorum illius populi, apud quem ipsi « pro Christo legatione funguntur ». Monendi ideo sunt varii Ordines, ut Officio suorum Missionalium tamquam supplementum adiungant festa propria pro Ecclesia Sinensi statuta.

G. M. Card. VAN ROSSUM, Praefectus
CAROLUS SALOTTI, Arch. Phil., Secretarius

Commendatio a Delegato facta.

Haec dum E. T. refero, liceat mihi commendare, ut relatas praescriptiones S. Sedis super festa de quibus supra, in territorio Tibi commisso exsecutioni mandentur, ad desideratam uniformitatem in Missionibus consequendam, et praesertim, ad Coelestium Patronorum auxilia concilianda.

Maximo cum obsequio, maneo

Delegatus Apostolicus
CELSUS, ARCHIEP. THEODOSIOPOLITANUS

N. B. De responsis istis dicetur in proximo fasciculo.

---

62. — S. Poen. Apost. (*officium de indulgentiis*)

Indulgentiae novae

(A. A. S., 1 iul. 1932, XXIV, 248)

I.

DE INDULGENTIIS « STATIONIBUS » ADNEXIS

DECRETUM 12 APR. 1932 EX AUD. SS.

Memoratis indulgentis quae concessae sunt,

Ut fideles ferventius ac religiosius ad sacras aedes conveniant, ubi, statis anni diebus, prout in Missali Romano designantur, quadragesimali praesertim tempore, statio celebratur, atque ibidem pias recolant Sanctorum, maxime Martyrum, memorias, quorum Reliquiae palam tunc expositae, ad eorum imitandam caritatem, sectanda exempla vehementer animum accendunt, Romani Pontifices, temporum decursu, pro uniuscuiusque pietate indulgentias largiti sunt iis qui stationales, ut vocant, ecclesias, sive in Urbe sive extra Urbem posterius constitutas, frequentent.

atque inducta confusione, SS. D. indulgentias lucrandas clare definit.

Cum vero indulgentiae huiusmodi, variae ac multiplices, minus visae sint uniformes et, quod ad lucrandi modum minus in praesens accommodatae, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, quo facilius expeditiusque acquiri possint, in audientia diei 18 Martii p. p., infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori concessa, in unius disciplinae formam eas redigi voluit, benigneque indulsit ut fideles omnes: 1) qui, vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti, ecclesiam stationalem, diebus statutis, devote visitaverint, sacrisque functionibus interierint quae matutinis vel vespertinis horis ibidem ex consuetudine aut ex positiva Ordinariorum praescriptione peragantur, necnon iuxta Summi Pontificis mentem pie oraverint, *plenariam* indulgentiam lucrentur; 2) si vero nulla publica supplicatio in stationali ecclesia locum habuerit, *plenariam* pariter indulgentiam lucrentur suetis conditionibus confessionis et Communionis, recitatis tamen quinquies *Pater, Ave* et *Gloria* coram Ss.mo Sacramento, ter *Pater, Ave* et *Gloria* coram ss. Reliquiis venerationi expositis, semel saltem *Pater, Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis intentionem; 3) qui autem stationalis ecclesiae visitationem tantummodo peregerint, recitatis saltem corde contrito supra dictis precibus, consequantur indulgentiam *decem annorum*. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 12 Aprilis 1932.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

II.

ARCHICONFRATERNITATI DOCTRINAE CHRISTIANAE ADSCRIPTIS NOVA INDULGENTIA PLENARIA CONCEDITUR

Die 2 Martii 1932. Concessio S. Paenitentiariae

Sacra Poenitentiaria Apostolica christifidelibus Archiconfraternitati Doctrinae Christianae, in ecclesia S. Mariae de Planctu Urbis canonice erectae, adscriptis benigne concedit *plenariam Indulgentiam* die festo S. Roberti Bellarmino lucrandam, si confessi sacra Synaxi refecti fuerint. Praesenti in perpetuum absque ulla Brevis expeditione valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ACTA SUMMATIM RELATA

63. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Nova praelatura nullius Iuruensis.

A. Bulla *Munus regendi*, 22 mai. 1931, ob nimiam territorii amplitudinem atque itinerum difficultates, territorium regionum *Iuruà* et *Taraucà* ab Amazonensi diocesi seiungitur, et illud in praelaturam *nullius* Iuruensem nuncupandam erigitur, suffraganeam vero Metropolitanae Ecclesiae Belemensi de Parà. Sedes autem et cathedra huius praelaturae in urbe *Cruzeiro do Sul* constituitur, atque ecclesia in honorem B. M. V. Assumptionis dicata, ibi exstans, ad Ecclesiae praelatitiae gradum et dignitatem evehitur (*A. A. S.*, XXIV, 219).

Nova paroecia in Urbe.

B. Bulla *Inter pastoralis*, 25 mart. 1932, Sanctissimus D.nus e dismembratis paroeciis Omnium Sanctorum, SS. Marcellini et Petri, et S. Mariae a Bono Consillio novam S. Mariae Auxiliatricis paroeciam erigit, eamque Salesiane Societati *pleno iure* concredit. Parocho onus imponitur duos saltem habendi coadiutores (*A. A. S.*, XXIV, 194).

SS. D. E.mo Card. Gasparri gratulatur.

C. Epistola 25 apr. 1932, SS. Dominus congratulatur E.mo Cardinali GASPARRI octogesimum a nativitate annum, ad quem integris viribus pervenit ac praeclarum curriculum vitae commemorat. Digna sunt quae serventur haec dicta: « Semper in studiis laboribusque viventi non intelligitur quando obrepat senectus » (*A. A. S.*, XXIV, 197).

SS. D. E.mo Card. Serafini gratulatur.

D. Epistola 22 mai. 1932, SS. Dominus E.mo Cardinali SERAFINI, XXV appetentem natalem episcopatus eius gratulatur eumque laudibus honorat (*A. A. S.*, XXIV, 232).

Interpretatio concordati cum Rumenia.

E. In Concordato quod 10 maii 1927 S. Sedes pepigit cum gubernio Rumaniae, institutio facta est appellata « *Status Romano Catholicus Transylvaniensis* ». De ea nunc accurate definienda nova pactio die 30 maii facta est, qua, mutato nomine, institutio fit Consilium catholicae dioecesis ritus latini Albae Iuliae, quod munere fungitur Consilii administrationis de quo in can. 1520 et alius Consilii administrationis de quo in can. 1521 (*A. A. S.*, XXIV, 209).

F. Accedunt subinde Statuta Consilii dioecesis catholicae latini ritus Albae Iuliae (*A. A. S.*, XXIV, 214). *Statuta Consilii administrativi dioecesis Albae Iuliae.*

G. *Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

1. Brevi *Litteris Apostolicis*, 15 apr. 1931, fines orientales praefecturae apostolicae *Novae Guineae* centralis extenduntur, ut deinceps ostia maritima fluminis *Sepik* attingant, districtusque civiles quos de *Aitape* et de *Sepik* nuncupant, integre comprehendantur (*A. A. S.*, XXIV, 222). *Prefect. ap.ca Novae Guineae centralis.*

2. Brevi *Cum exigat*, 26 sept. 1931, pro toto Bulgariae Regno ex nunc Delegatio Apostolica erigitur et constituitur cum iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis, indultis quae huiusmodi Delegationum propria sunt (*A. A. S.*, XXIV, 225). *Delegatio ap.ca pro toto Bulgariae Regno.*

3. Brevi *Ut, uncto Pastorum*, 1 nov. 1931, a vicariatu apostolico de Sianfu in Sinis territorium quod constat sexdecim sub-praefecturis civilibus, seiungitur, et illud separatum in novam erigitur praefecturam apostolicam cui nomen de *Sanyuan*, curis Patrum ex Ord. Fratrum Minorum commissam (*A. A. S.*, XXIV, 226). *Praefect. ap.ca de Sanyuan.*

4. Brevi *Refert ad Nos*, 3 nov. 1931, abbatia Leffiensis ex Ord. Praemonstratensi, intra fines Namurcensis dioecesis posita, cum proprio noviciatu, in abbatiam sui iuris restituitur, eaque privilegiis ac iuribus propriis iuxta Constitutiones Ord. Praemonstr. exornatur (*A. A. S.*, XXIV, 227). *Abbatia Leffiensis.*

5. Brevi *Litteris apostolicis*, 3 nov. 1931, a vicariatu apostolico de Sianfu in Sinis aliud quoque distrahitur seu separatur territorium quod e duodecim sub-praefecturis civilibus constat. Praefatum vero separatum territorium in Missionem sui iuris de *Tungchon* in posterum nuncupandam, erigitur, Patrum curis commissam ex Ord. Fratrum Minorum (*A. A. S.*, XXIV, 228). *Missio de Tungchon.*

H. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *De Romanorum Pontificum*, 5 aug. 1931, Sanctuarium intra fines dioecesis ac civitatis Cavensis positum, in quo pervetusta imago B. M. V. ab Ulmo colitur ab anno MDCCCLXXXV uti Patronae populi Cavensis (*A. A. S.*, XXIV, 223). *Sanctuarium B. M. V. ob Ulmo civitatis Cavensis.*

2. Brevi *Hac sacra*, 21 aug. 1931, templum SS. Trinitati ad honorem S. Antonii Patavini dicatum hac Alma in Urbe prope Lateranum positum (*A. A. S.*, XXIV, 224). *Templum S. Antonii Pat. de Urbe.*

Cathedrale templum B. M. V. Assumptae in civitate Parentina.

3. Brevi *Gratum nobis*, 25 nov. 1931, Euphrasianum templum cathedrale B. M. V. in caelum assumptae in honorem Deo dicatum, in civitate ac dioecesi Parentina positum (*A. A. S.*, XXIV, 229).

Templum Humilitatis B. M. V. in civitate Pistoriensi.

4. Brevi *Inter sacras*, 8 dec. 1931, templum Deo omnipotenti in honorem Humilitatis B. M. V. in civitate Pistoriensi dicatum (*A. A. S.*, XXIV, 230).

64. — S. C. pro Eccl. Orient.

Sorores Armenae ab Immac. Concept.

Decreto 11 iun. 1932, Congregatio Sororum Armenarum ab Immaculata B. M. V. Conceptione definitive approbatur, Constitutiones vero ad septennium (*A. A. S.* XXIV, 240).

65. — S. Cong. Concilii

De annuis conventibus Episcoporum Italiae

Iam 24 aug. 1889 litterae circulares S. C. Episcoporum et Regularium annuos conventus Episcoporum Italiae ordinaverant. Vigente Codice Iuris Canonici, litterae circulares 22 martii 1919 S. C. Consistorialis declararunt, e mente Papae Benedicti XV esse ut conventus isti regionales Episcoporum Italiae singulis annis habeantur.

Simul S. C. Concilii Ordinario praesidi conventus curandum imponit ut quotannis regulariter convocetur; ut deliberationes tempore opportuno S. C. Concilii examinandae subiciantur, ad normam can. 250 § 4.

Ipsa S. Congregatio, facto examine cum eodem Ordinario quae observata et decisa fuerint communicabit. Ita S. C. Concilii 21 iunii 1932 (*A. A. S.*, XXIV, 242).

66. — S. C. de Prop. Fide

I.

Sorores Mission. e Soc. Mariae

Decreto 30 dec. 1931, Constitutiones Instituti Sororum Missionariarum e Societate Mariae, cuius domus princeps est in archidioecesi Lugdunensi ad septennium approbantur (*A. A. S.*, XXIV, 201).

II.

Designatio curiae appellationis.

Designatio Ordinarii pro appellationibus: R. P. D. Archiepiscopus Scodrensis designavit pro appellationibus curiam archidioecesanam Dyrrhachiensem (*A. A. S.*, XXIV, 245).

67. — S. C. Rituum

Causae canonizationis et beatificationis :

1. *Sancti Deodati seu Nanceyen.* Decretum 3 apr. 1932, super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu, in saeculo Alexiae Le Clerc, fundatricis Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis Nostrae Dominae (*A. A. S.*, XXIV, 201). *Maria Teresia a Iesu.*

2. *Lucen. in Italia.* Decretum 13 apr. 1932, introductionis causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Antonii Mariae Pucci, sacerdotis professi Ordinis Servorum B. M. V. (*A. A. S.*, XXIV, 245). *Antonius M. Pucci*

68. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt :

1 mai. 1932, R. D. Antonius Tani, Metropolitanae Ecclesiae Urbinatensi. *Urbino (Italia).*

7 mai. 1932, R. P. D. Evasius Colli, Cathedrali Ecclesiae Parmensi. *Parma (Italia).*

12 mai. 1932, R. D. Franciscus Niccoli, Cathedrali Ecclesiae Collensi. *Colle Val d' Elsa (Italia).*

13 mai. 1932, R. P. D. Ioannes Baptista Peterson, hactenus Ep. Hippenus et Auxiliaris Archiep. Bostoniensis, Cathedrali Ecclesiae Manchesteriensi. *Mancherter (U. S. A.).*

13 mai. 1932, R. D. Ioannes Franciscus Mac Nulty, Cathedrali Ecclesiae Nottinghamensi. *Nottingham (Inghilterra)*

13 mai. 1932, R. D. Ioseph Mc Carthy, Cathedrali Ecclesiae Portlandensi. *Portland (U. S. A.).*

14 mai. 1932, R. P. D. Humbertus Rossi, hactenus Ep. Segusiensis, Cathedrali Ecclesiae Astensi. *Asti (Italia).*

20 mai. 1932, R. D. Gabriel Brunhes, Cathedrali Ecclesiae Montis Pessulani. *Montpellier (Francia).*

21 mai. 1932, R. P. D. Conradus Gröber, hactenus Ep. Misnensis, Metropolitanae Ecclesiae Friburgensi. *Freiburg im Breisgau (Germania).*

10 iun. 1932, R. D. Petrus Ioseph Monahan, Cathedrali Ecclesiae Calgariensi. *Calgary (Canadà).*

Decreto S. Congr. pro Eccl. Orientali nominatus est:

Munkács (Cecoslovacchia). 3 mai. 1932, R. D. Alexander Stoyka, Cathedrali Ecclesiae Munkacsiensi, graeco-rutheni ritus.

69. — Nominationes.

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

Guyana Inglese (Am. mer.). 18 ian. 1932, R. P. D. Georgius Weld S. I., Vicarius ap.cus Guyanae anglicae.

Laokokow (Cina). 28 ian. 1932, R. P. D. Alphonsus M. Ferroni O. F. M., Vicarius ap.cus de Laohokow.

Zanzibar (Af. orient.). 23 mart. 1932, R. P. D. Joannes Heffernan, Vicarius ap.cus Zanzibarensis.

Uganda (Afr. centr.). 24 mart. 1932. R. P. D. Eduardus Michaud, Coadiutor cum iure fut. succ. Vicarii ap.ci Ugandensis.

Katanga (Afr. orient.). 25 mart. 1932, R. P. D. Ioannes D'Hemptinne O. S. B., Vicarius ap.cus Katangensis.

Yunnanfu (Afr. orient.). 2 mai. 1932, R. P. D. Paulus Audren, Coadiutor cum iure fut. succ. Vicarii ap.ci de Yunnanfu.

Isole Tahiti (Polinesia). 7 mai. 1932, R. P. D. Iulianus M. Nouailles e Cong. de Picpus, Vicarius ap.cus Insularum Tahiti.

Than Hoa (Indocina). 21 iun. 1932, R. P. D. Ludovicus de Cooman, Vicarius ap.cus de Than Hoa.

Szepingkai (Cina). 21 iun. 1932, R. P. D. Lodovicus Aldemarus Lapierre, Vicarius ap.cus de Szepingkai.

Tatungfu (Cina). 21 iun. 1932, R. P. D. Franciscus Joosten de Scheut, Vicarius ap.cus de Tatungfu.

Sianfu (Cina). 21 iun. 1932, R. P. D. Iulius Vanni, O. F. M., Vicarius ap.cus de Sianfu.

Douala (Afr. occid.). 21 iun. 1932, R. P. D. Maturinus M. Le Mailloux, Vicarius ap.cus de Douala.

Bac Ninh (Indocina). 21 iun. 1932, R. P. D. Eugenius Artaraz Emaldi O. P., Vicarius ap.cus de Bac-Ninh.

B. *Decretis S. Congr. de Prop. Fide nominati sunt:*

Praes. op. a Prop. Fid. pro Iugoslavia. 30 oct. 1931, R. P. D. Gregorius Rozman, Praes. Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Iugoslavia.

30 dec. 1931, R. P. Antonius Anoge, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Japonia. — *pro Iaponia;*

30 dec. 1931, R. P. Petrus M. Villemot, Praeses, Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Corea. — *pro Corea.*

11 ian. 1932, R. D. Lucas Tchao, Praefectus Apostolicus de Chihfeng. — *Chihfeng (Cina).*

11 ian. 1932, R. D. Eugenius Imhof, Praefectus Apostolicus de Tsitsihar. — *Tsitsihar (Cina).*

16 ian. 1932, R. P. Angelus de la Calle Fontecha, O. E. S. A., Praefectus Apostolicus de Yochow. — *Yochow (Cina).*

16 ian. 1932, R. P. Hippolytus Martinez, O. E. S. A., Praefectus Apostolicus de Lichou. — *Lichow (Cina).*

16 ian. 1932, R. P. Hermenegildus Focaccia, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Yutse. — *Gutze (Cina).*

23 ian. 1932, R. P. Michael a Iustinopoli, O. F. M., Superior Ecclesiasticus Missionis Trapezuntinae. — *Trebisonda (Armenia).*

29 ian. 1932, R. P. Venantius Guichard, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Idushien. — *Sdushien (Cina).*

29 ian. 1932, R. P. Prosperus Durand, O. F. M., Superior ecclesiasticus Missionis de Wei-hai-wei. — *Weihaiwei (Cina).*

19 febr. 1932, R. P. Franciscus Joosten de Scheut, Praefectus Apostolicus de Tatung. — *Tatungfu (Cina).*

20 febr. 1932, R. P. Raphael Toro, S. I., Praefectus Apostolicus Fluminis Magdalenae. — *Fiume Maddalena (Colombia).*

23 febr. 1932, R. D. Antonius Eltschkner, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei pro natione bohema in Czescholovachia. — *Pr. op. a Prop. pro Czechoslovachia.*

26 febr. 1932, R. P. Bernardus Barracin, O. F. M. C., Praefectus Apostolicus de Hinganfu. — *Hinganfu (Cina).*

26 febr. 1932, R. P. D. Ioannes Rodriguez Villeneuve, Praeses piae Unionis cleri a missionibus pro Canada. — *Pia un. cleri pro Canada.*

26 febr. 1932, R. P. Ioannes Collins, Praefectus Apostolicus Liberiensis. — *Liberia (Africa).*

27 febr. 1932, R. P. Gualterius Vervoort, Praefectus Apostolicus de Pilcomayo. — *Pilcomayo (Bolivia).*

4 mart. 1932, R. P. Gulielmus Mac Grath, Praefectus Apostolicus de Chuchon. — *Chuchon (Cina).*

Kienning (Cina). 18 mart. 1932, R. P. Adam Paulus Curran, O. P., Superior ecclesiasticus Missionis de Kienning.

Pr. op. a Prop. pro Venezuela. 13 apr. 1932, R. D. Iulianus Fuentes Figueroa, Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei pro Venezuela.

Isole di Mayotta, Nossi Bé e Comora (Africa). 15 mai. 1932, R. P. Callistus Lopinot O. F. M. C., Praefectus Apostolicus Insularum Mayottae Nossibeae et Comorae.

Poerwokerto (Java). 18 mai. 1932, R. P. Bernardus Visser, Praefectus Apostolicus de Poewoekerto.

Hung-tung (Cina). 24 mai. 1932, R. P. Petrus Tch'eng, Praefectus Apostolicus de Hung-tung.

Bandoeng (Java). 27 mai. 1932, R. P. Iacob Humbertus Goumans, Ord. Cruc., Praefectus Apostolicus de Bandoeng.

Roma (Italia). 2 iun. 1932, R. P. Francus Carminati, Secretarius generalis Pont. Op. a Propagatione Fidei.

Sanyüan (Cina). 4 iun. 1932, R. P. Fulgentius Pasini, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Sanyüan.

Pr. op. a Prop. pro Peruvia. 8 iun. 1932, R. P. D. Franciscus Cheesman, O. F. M., Praeses Pont. Op. a Propagatione Fidei in Peruvia.

Changtien (Cina). 10 iun. 1932, R. P. Ambrosius Pinger, O. F. M,, Praefectus Apostolicus de Changtien.

Hwangchow (Cina). 10 iun. 1932, R. P. Raphael Cazzanelli, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Hwangchow.

Chouchich (Cina). 14 iun. 1932, R. P. Ioannes Tchang, Praefectus Apostolicus de Chouchich.

70. — Necrologium.

Trapani (Italia). 1 mai. 1932, D. Franciscus M. Raiti, episcopus Drepanensis.

Northampton (Inghilterra). 1 mai. 1932, D. Dudley Carolus Cary-Elwes, episcopus Northantoniensis.

Coira (Svizzera). 6 mai. 1932, D. Georgius Schmid de Grüneck, episcopus Curiensis.

Aosta (Italia). 7 mai. 1932, D. Claudius Calabrese, episcopus Augustanus.

Alexandria nella Luisiana (U. S. A.). 10 mai. 1932, D. Cornelius Van de Ven, episcopus Alexandrinus in Luisiana.

Santa Fé (U. S. A.). 17 iun. 1932, D. Ioannes Augustinus Boneo, episcopus S. Fidei in Am. Sept.

Eichstätt (Baviera). 20 iun. 1932, D. Leo De Mergel, episcopus Eistettensis.

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

*** *Ordo Divini Officii recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Ecclesiae Universalis pro anno Domini MCMXXXIII.* Vol. (12×19), 120 pag. Taurini, Marietti, 1932. Lit. 3.

Felix M. Cappello (S. I.). *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis Vol. II. Pars II. De Extrema Unctione.* Vol. (12×20), XV-311 pag. Taurinorum Augustae, Marietti, 1932. Lit. 15.

De exsistentia sacramenti extremae unctionis - De essentia - De ministro - De fine eiusque effectibus - De subiecto - De obligatione suscipiendi et ministrandi - De iteratione et reviviscentia - De loco, tempore et caerimoniis - De iure Ecclesiae orientalis.

Stephanus Carton De Wiart. *Tractatus de peccatis et vitiis in genere.* Ed. Quinta. Vol. (14×22,5), 172 pag. Mechliniae, Déssain, 1932.

Natura pecati - Distinctio pecccatorum - Peccatum mortale et veniale - Causae peccati - Effectus - De peccatis internis - Diversae peccatorum et vitiorum species.

P. Dr. Emericus Piszter (S. O. Cist.). *Chrestomathia Bernardina ex operibus S. Bernardi Abbatis Claravallensis, Doctoris Melliflui, collecta et ad systema quoddam theologiae redacta.* Vol. (15.5×23), VIII-392 pag. Torino, Marietti, 1932. Lit. 18.

Pars I. Theologia Generalis - Pars II. Theologia Specialis - Pars III. Theologia Moralis.

R. Schockaert (Dr.). *Les dangers de l'Avortement et du Néo-Malthusianisme pour l'Organisme féminin.* Vol. (15×22.5), 40 pag. Louvain, Études morales, soc. et juridiques, 1932.

O. v. Nell-Breuning (S. I.). *Die Soziale Enzyklika.* Vol. (14×22), 255 pag. Köln, Katholische Tat. 1932, Opus istud totam Encyclicam *Quadragesimo anno* exponit plene cum aptis et satis amplis commentariis. Ordine congruit cum epistola encyclica; plerumque quod ad textum versioni germanicae adhaeret.

C. Walterbach (Mgr.). *Pius XI und die Arbeiterfrage.* Vol. (14×12), 144 pag. München, Leohaus, 1932. Exhibet encycl. litteras cum aptis notis.

L. et H. Toublan (Chanoines). *Précis de Doctrine Chrétienne.* Vol. (12×19), VI-364 pag. Paris, Lethielleux, 1932. 15 fr.

Ce qu'il faut croire - Ce qu'il faut faire - Ce qu'il faut avoir et où le trouver.

Enrico Pinard de la Boulaye (S. I.). *Gesù Messia. Il Taumaturgo ed il Profeta.* Trad. del P. BASILE S. I. Vol. (13.5×20.2), 264 pag. Torino, Marietti, 1932. Lit. 8.

Possibilità e necessità del miracolo - Il conoscimento del miracolo - I miracoli di Gesù - La rovina di Gerusalemme - La nuova Gerusalemme - Il duello dell'odio e dell'amore.

Enrico Pinard de la Boulaye (S. I.). *Maria capolavoro di Dio.* Traduzione del P. BASILE S. I. Vol. (12.7×20.5), 112 pag. Torino, Marietti, 1932. Lit. 3.50.

Maria, Madre di Dio - Maria, Madre degli uomini - Maria, Rifugio dei peccatori - Maria e l'Eucaristia - La coronazione del Figlio e della Madre - Divozione di fanciullo e divozione di uomo.

Louis Soubigou. *Dans la Beauté rayonnante des Psaumes.* Anthologie des Psaumes - Traduct. et comment. littéral et doctrinal. Vol. (14 - 19.5), 328 pag. Paris, Lethielleux, 1932. 15 fr.

Introduction : Destinataires - Texte et version - La structure poétique - Les titres - Les auteurs des psaumes - L'auteur divin : L'inspiration - Utilisation de cette anthologie - Plan général de l'ouvrage. I. Les psaumes qui célèbrent le Dieu créateur et sa Providence - II. Les destinées humaines : attitude de Dieu à l'égard du malade, du juste et de l'impie - III. Les psaumes et la piété liturgique - IV. Les destinées religieuses d'Israël.

G. Ioannès. *La vie de l'Au-delà dans la Vision béatifique.* Vol. (13.5×20), 176 pag. Paris, P. Téqui, 1932 fr.

Lettre-Préface de S. Em. le Card. Dubois - Prélude - Le dogme de la Vision béatifique - La grâce santifiante, aurore de la vision béatifique - Nature de la Vision béatifique - La Béatitude des élus - Glorieuses prérogatives des corps des élus - Ioies accidentelles des élus - L'acheminement de l'ascension vers la vision béatifique - La grande transformation de l'éternité.

(*Continuabitur*)

PARS ALTERA

MONUMENTA

71. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epist. Enc. « Acerba animi » 29 sept. 1932

DE INIQUA REI CATHOLICAE CONDICIONE IN MEXICANA REPUBLICA (1)

(A. S. S., 1 oct. 1932, XXIV, 321)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pontifex peculiari sollicitudine filios Mexicanae nationis, praesertim Episcopos prosecutus,

Acerba animi anxitudo, qua ob tristissimas humanae horum temporum societatis condiciones angimur, peculiarem illam haud remittit sollicitudinem, qua cum dilectos Mexicanae Nationis filios impense prosequimur, tum vos praesertim, Venerabiles Fratres, idcirco paterna cura Nostra dignissimos, quod tam diu acerrimis divexamini insectationibus.

omni ope enixus est ne constitutionalia praecepta, pluries a se damnata utpote quae primaria Ecclesiae iura laedant, ad effectum deducerentur. Inde etiam Legatus praesens fuit.

Inde ab inito Pontificatu, proximi Decessoris Nostri vestigiis insistentes, omni industria omnique ope enisi sumus, ne « constitutionalia », ut aiunt, praescripta ad effectum funeste deducerentur; quae quidem praescripta, utpote primaria atque immutabilia laederent Ecclesiae iura, facere non potuimus quin pluries, occasione data, damnaremus atque reprobaremus. Hac itidem de causa Nobis cordi fuit ut Reipublicae vestrae Legatus Noster non deesset.

(1) Epist. data est « Venerabilibus Fratribus Foederatarum Mexici Civitatum, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

Mexicanae rei publicae moderatores viam conciliationi non tantum praecludunt sed fidem datam frangunt.

Quodsi plerumque, recentiore hac aetate, supremi ceterarum Civitatum gubernatores publicas cum Apostolica Sede necessitudinum rationes, renovato quodam studio, redintegrare visi sunt, at Mexicanae Reipublicae moderatores non modo quamlibet mutuae conciliationi transigendae viam praecludere non destiterunt, sed fidem etiam, haud ita pridem scripto datam, praeter omnium exspectationem frangentes, violantes, atque adeo quaenam eorum essent in Ecclesiam consilia atque proposita luculentissime demonstrantes, non semel Legatos Nostros suo loco depulerunt. Itaque eo deventum est, ut CXXX eius legis caput, quam « Constitutionem » vocant, asperrime in usum perduceretur; quam quidem legem, quippe catholicae religioni infensissimam, per Encyclicas Litteras *Iniquis afflictisque* die XVIII mensis Novembris, anno MDCCCCXXVI datas, detestando et conquerendo sollemniter expostulavimus.

Caput 130.um asperrime in usum perducitur.

Poenae istud violantibus statutae.

Pergraves etiam in eos sunt, qui huiusmodi legis caput offendissent, poenae promulgatae, atque, novâ Ecclesiasticae Hierarchiae inustâ iniuriâ, cautum est ut sacerdotes, quibus facultas esset privatim publice faciendi impertiendique sacra, certum numerum, quem singularum Civitatum legumlatores definivissent, neutiquam excederent.

Quae decreverint Episcopi.

His iniuste intoleranterque constitutis, quae Mexicanam Ecclesiam civili imperio gubernatorumque arbitrio, in catholicam religionem hostilium, obnoxiam redderent, vos, Venerabiles Fratres, divini cultus munia publice intermittere decrevistis; eodemque tempore christifideles omnes quoquo modo compellastis, ut infandas id genus praescriptiones efficaciter expostularent. Ob vestram tamen apostolicam animorum strenuitatem atque constantiam, paene omnes e patria deturbati, sancta cleri gregisque vestri certamina martyriumque factum, extorres e longinquo veluti prospicientes, admirati estis; quibus autem ex vobis — perpaucis admodum — in sua cuiusque dioecesi quasi prodigialiter latescere licuit, ii haud mediocre attulere, suo nobilissimae firmitudinis exemplo, christianae plebi solacium atque incitamentum.

Exempla fortitudinis laudavit S. Pontifex,

Quibus Nos de rebus, allocutionibus publicisque sermonibus habitis, ac copiosius disertiusque in Encyclicis, quas supra memoravimus, Litteris *Iniquis afflictisque* verba fecimus; id praesertim gratulati quod cleri egregie facta — cum sacra christifidelibus, non sine ipsius vitae discrimine, impertirent — quod heroica plurium laicorum hominum facinora — cum, incredibilibus ac prorsus inauditis aerumnis fortiter toleratis, magnoque cum suarum rerum detrimento, impensam operam

sacrorum administris volenti animo navarent — vehementem universo terrarum orbi admirationem commoverunt.

Atque interea Nostro deesse officio noluimus, quin, consiliis verbo scriptoque datis, sacerdotes Christique fideles ad iniquis legibus christiano more obsistendum pro viribus excitaremus, eos item adhortantes ad sempiterni Numinis iustitiam precibus atque piaculis ita placandam, ut quantocius providentissimus ac misericors Deus vexationibus hisce modum ac finem imponere benigne vellet. Neque efficere praetermisimus ut, qui Nobis ubique gentium filii sunt, ii, consociatis Nobiscum supplicationibus, Mexicanis fratribus tam indigne habitis bene precarentur; cui quidem paternae invitationi Nostrae, mirabili quodam ardore, iidem responderunt.

fidelesque hortatus est ut christiano more iis legibus obsisterent.

At neque, quae Nobis praesto essent, humanas rationes neglexímus, ut dilectis filiis Nostris aliquid liceret afferre solacii: siquidem, cum universum catholicum orbem enixe cohortati sumus, ut conflictatis Mexicanae Ecclesiae fratribus, corrogata etiam stipe, auxilio esset, tum supremos etiam Nationum rectores, quibuscum Nobis intercedunt necessitudinum vincula, iterum atque iterum obsecravimus, ut abnormem gravissimamque tot christifidelium condicionem perpendere non recusarent.

Nec humanas rationes neglexit, hortando fideles ut corrogata stipe auxilio essent Mexicanis, obsecrando nationum rectores.

Iamvero, qui rem Mexicanae Civitatis publicam moderantur, cum tam ingens afflictorum civium multitudo obsistere strenue generoseque non desisteret, ut e periculosis rerum adiunctis, quae ex optatis comprimere atque vincere nequivissent, aliquo modo emergerent, se proposito non adversari haud obscure significarunt totius causae, conlatis utrimque consiliis, componendae. Itaque, quamvis, proh dolor, experiendo Nobis cognitum esset, eiusmodi pollicitationibus fidem adiungere non tutum, considerandum tamen Nobis esse duximus utrum opportunum esset, necne, sacrorum religionis rituum intermissionem publice producere. Quae quidem intermissio, si praesentissima exstiterat adversus rei publicae gubernatorum arbitrium expostulatio, nihilo setius, adhuc prolata, omnium civitatis religionisque rerum ordini potuisset detrimentum afferre. Praeterea, quod pluris est, haec intermissio, quemadmodum Nobis a non paucis maximaeque auctoritatis auctoribus perlatum fuerat, haud mediocri erat christifidelibus noxae, qui quidem multis spiritualibus adiumentis christianae vitae necessariis destituti coactique propria religionis officia haud raro praetermittere, eo discriminis sensim rapiebantur, ut a catholico sacerdotio removerentur atque adeo a supernaturalibus eius beneficiis abstraherentur. Huc accedit quod, cum Episcopi tam diu e dioe-

Cum Moderatores significarent se non esse alienos a componenda causa, S. Pontifex perpendit mala oriunda ex diuturniore cultus intermissione,

cesi cuiusque sua abessent, non poterat id ad ecclesiasticae disciplinae remissionem debilitationemque non conferre; quod tum potissimum dolendum erat, cum, in tanta Mexicanae Ecclesiae divexatione, christiana plebs sacerdotesque eorum maxime ductu ac norma indigerent, quos « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » (1).

nec respuit propositum vivendi modum, redintegravit publicum cultum, et opportuniores quaesivit rationes obsistendi legibus.

Ubi igitur, anno scilicet MDCCCCXXIX, supremus Mexicanae Reipublicae magistratus publice edixit sibi consilium non esse, memoratas leges ad rem deducendo, « Ecclesiae identitatem » restinguere, itemque ecclesiasticam Hierarchiam posthabere, Nos quidem animarum saluti unice prospicientes, hanc qualemcumque hierarchicae dignitatis redintegrandae rationem minime praetereundam esse censuimus. Quin etiam Nobis perpendendum esse consideravimus nonne opportunum esset, cum aliqua gravioribus malis medendi spes affulgeret, cumque praecipuae illae causae removeri viderentur, quibus ducti Episcopi divini cultus munia publice intermittenda esse autumaverant, ea in praesens redintegrare. Qua de re, Nobis profecto mens non erat neque Mexicanas in religionem leges habere ratas, neque publicas, adversus eas, expostulationes ita revocare, ut iisdem legibus iam non pro viribus obnitendum, officiendumque esse decerneremus. Haec tantummodo causa agebatur: quandoquidem nimirum rei publicae moderatores absimilia significabant inivisse consilia, res postulare videbatur ut eae obsistendi rationes intermitterentur, quae magis usque christiano populo detrimentosae evadere potuissent, atque ut aliae, opportuniores utique, susciperentur.

Exspectata pax et conciliatio votis non respondit.

Novae vexationes;

At omnibus in comperto est exspectatam tam diu pacem rerumque conciliationem optatis non respondisse votisque Nostris. Rationibus enim transactae conciliationis aperte violatis, in sacrorum Antistites, sacerdotes Christique fideles adhuc saevitum est, poenis eos, vinculisque mulctando; ac summo cum animi moerore vidimus non modo non esse Episcopos omnes ab exsilio revocatos, sed potius, ex his etiam nonnullos, qui patriae beneficio fruerentur, legum rationibus neglectis, e finibus eiectos; in dioecesibus non paucis templa, Seminaria, Episcoporum domicilia ceterasque sacras aedes in usum suum minime restituta; denique apertis pollicitationibus posthabitis multos e clero laicorumque ordine, qui avitam fidem fortiter tutati essent, inimicorum suorum invidiae simultatique permissos.

(1) *Acta*, XX, 28.

calumniae scriptae contra Ecclesiam;

Praeterea, vixdum publica divini cultus intermissio revocata est, iniqua eorum criminationis contentio, qui scriptionibus prelo edendis dant operam, in sacrorum administros, in Ecclesiam, in ipsumque Deum acerrime incessit atque increbuit; omnesque norunt Apostolicam Sedem officii sui esse duxisse unam e scriptionibus huiusmodi — quae ob scelestiorem impietatem, obque susceptum aperte propositum odii per calumnias in religionem concitandi, omnem prorsus modum excessisset — reprobare atque proscribere.

Excitati ludi magistri ut iuvenes perverterent.

Accedit quod non modo in ludis, quorum est initia litterarum tradere, ne catholicae doctrinae praecepta impertiantur lege interdicitur, sed in iisdem etiam saepenumero, ii qui puerilis institutionis officio funguntur, ita excitantur, ut iuveniles animos ad impietatis commenta profligatosque mores conformare contendant; quod quidem haud exiguum postulat a christianis parentibus incommodum, si integram velint subolis cuiusque suae innocentiam in tuto ponere. Quam ad rem, cum hisce patribus matribusque familias bene ex animo dicimus, itemque praeceptoribus atque magistris, qui studiose eos hac in re adiuvant, tum vos, Venerabiles Fratres, utrumque clerum omnesque christifideles enixe in Domino adhortamur, ut in litterarium ludorum causam iuventutisque educationem incumbere pro facultate ne desistatis, popularem multitudinem praesertim prae oculis habentes, quae, cum magis sit atheorum, francomurariorum communistarumque doctrinae quam latissime propagatae obnoxia, apostolica magis indiget navitate vestra. Id autem vobis persuasum habeatis, patriam vestram talem esse procul dubio futuram, quam vos, iuvenes rite instituendo, conformaveritis.

Ne Episcopi desistant in iuvenum educationem incumbere.

Maxime pugnatum est in clerum, peiore quam requirebat Constitutionis interpretatio ratione.

Ast, in potioris etiam gravitatis caput, e quo ipsa profluit totius Ecclesiae vita, acerrime pugnatum est: in clerum scilicet, in catholicam Hierarchiam, eo profecto consilio ut e Reipublicae consortione pedetemptim removeretur. Esto siquidem Mexicanae Civitatis « Constitutionem » edicere, liberam cives habere potestatem quidlibet sentiendi, quidlibet cogitandi atque credendi; attamen — quemadmodum crebro, occasione data, lamentati sumus — manifeste discrepando ac repugnando praecipit, ut singulae foederatae Reipublicae Civitates certum sacerdotum numerum constituant atque designent, quibus liceat non modo in sacris aedibus, sed domi etiam atque intra domesticos parietes, sacra facere ac populo ministrare. Quod quidem immane nefas iis modis rationibusque gravius evadit, quibus istiusmodi lex ad effectum deducitur. Etenim si certum

sacerdotes numerum « Constitutio » non excedere iubet, praecavet tamen ne iidem, in unaquaque regione, catholici gregis necessitatibus impares fiant; ac minime praescribit, hac super re, ecclesiasticam esse Hierarchiam posthabendam, quod ceterum in ea, quae *Modus vivendi* inscribitur, conventione aperte est luculenterque recognitum atque comprobatum. Iamvero, in Michoacana Civitate decretum est ut unus tantummodo habeatur sacerdos pro XXXIII milibus christifidelium; in Chihuahuana unus pro XLV milibus; in Chiapasensi unus pro LX milibus; ac denique in Verae Crucis Civitate unus solummodo pro centum milibus. Atqui nullo pacto posse, his adhibitis coërcitionibus, christianae plebi, in amplissimis plerumque regionibus commoranti, ministrari sacra, nemo est qui non videat. Nihilo setius insectatores, veluti nimiae largitatis suae subpoenitentes, coërcitiones etiam atque etiam imposuere: Seminaria non pauca a nonnullis Civitatum gubernatoribus clausa; paroeciales domus in fiscum redactae; ac templa multis locis denuntiata, in quibus tantummodo, nec ultra statuti territorii fines, probatis civili auctoritate sacerdotibus rei divinae operari liceret.

Nullus respectus Hierarchiae in aliquot civitatibus.

Quod vero aliquot Civitatum moderatores edixere, publicis videlicet magistratibus, cum ecclesiastici ministerii obeundi facultatem facerent, nullum esse cuiuslibet Hierarchiae respectum habendum, quin potius Praesules omnes, hoc est Episcopos, eosque ipsos, qui Apostolici Delegati munere functi essent, omnino esse hac potestate prohibendos, id manifesto patefacit velle eos Catholicam Ecclesiam restinguere atque delere.

Insectatio haud absimilis est illi quae in Russia grassatur.

Paucis voluimus hucusque, per praecipua rerum capita, asperrimam Mexicanae Ecclesiae condicionem commemorare, ut quibus cordi est populorum disciplina atque concordia, animo ii omnes reputando huiusmodi, infandam prorsus, insectationem, in nonnullis praesertim Civitatibus, haud absimilem admodum illi esse, quae in teterrimis Russiae regionibus grassatur, ex nefaria hac propositorum adstipulatione novum sumant ardorem, quo istum totius socialis ordinis subversorem aestum veluti aggere praepediant.

E Pontificis sollicitudine normae profluxere, datae superiore mense Ianuario.

Vobis itidem, Venerabiles Fratres, dilectisque Mexicanae Nationis filiis paternam iterum cupimus sollicitudinem Nostram testificari, qua vos omnes, aerumnis affectos, prosequimur; e qua profecto sollicitudine Nostra eae profluxere normae, quas per dilectum Filium Nostrum a publicis negotiis Cardinalem, superiore mense Ianuario, dedimus, itemque per Apostolicum Delegatum Nostrum vobiscum communicavimus. Cum enim causa agatur cum religione coniunctissima, ius profecto Nobis est

atque officium aptiores decernendi rationes ac normas, quibus ii omnes, qui catholico gloriantur nomine, non obtemperare non possunt. Atque operae pretium est heic aperte significare Nos, quae sive ab Ecclesiastica Hierarchia sive a laicis hominibus nuntia consiliaque perlata essent, ea omnia, inita subductaque ratione, diligenter considerasse; omnia dicimus, ea etiam, quae ad severiorem esse obsistendi modum regrediendum — ut iam anno MDCCCCXXVI — postulare videbantur, iterum in universa Republica divini cultus publice intermittendo munia.

Ad normas istas dandas, omnia quae perlata sunt consilia diligenter considerata sunt.

Ad agendi igitur rationem quod attinet, cum Sacerdotes non in easdem sint angustias in singulis Civitatibus redacti, neque ubique pariter sit de Ecclesiasticae Hierarchiae auctoritate dignitateque detractum, inde sequitur ut, quemadmodum dissimiliter infausta haec decreta in usum deducuntur, haud omnino similes Ecclesiae Christique fidelium agendi rationes esse debeant.

Agendi ratio pro adiunctis variare debet.

Quam ad rem aequum profecto existimamus praecipuis Mexicanos eos Episcopos honestare laudibus, qui, ut per delata Nobis nuntia certiores facti sumus, datas iterum a Nobis normas quam diligentissime sunt interpretati; quod quidem libet heic aperte declarare: etenim, si nonnulli — suae ipsorum tutandae fidei ardore magis quam exquisita in difficilibus hisce rebus prudentia compulsi — ob varias, pro dissimilibus locorum condicionibus, Episcoporum agendi rationes, secum repugnantia proposita in iisdem suspicati sint, sibi omnino persuasum habeant reprehensionem eiusmodi omni prorsus esse fundamento destitutam.

Laudantur Episcopi qui normas diligentissime interpretati sunt.

Quoniam vero quaelibet sacerdotum numeri coërcitio gravis divinorum iurium violatio non esse non potest, pernecesse est Episcopi, reliquus clerus laicorumque ordo tale nefas, legitimo quoquo modo totoque pectore, obsistendo reprobandoque expostulent. Esto enim hanc eorum expostulationem in eos, qui rei publicae praesunt, irritam evadere, id nihilominus christifidelibus, indoctis praesertim, omnino persuasum reddet civiles magistratus, sua ipsorum opera, ecclesiasticam conculcare libertatem, quam procul dubio Nos, etiamsi urgeant insectatores, abdicare non possumus.

Omni vi expostulandum est de qualibet numeri sacerdotum coercitione.

Quamobrem, ut magno cum animi solacio varias perlegimus expostulationes, quas sacrorum Antistites sacerdotesque e dioecesibus dederunt, iniquis hisce legibus oppressis, ita Nos Nostram adiicimus coram terrarum orbe universo, peculiarique modo coram iis, qui Civitatum gubernacula regunt, ut tandem aliquando reputent hanc Mexicani populi divexationem, aeter-

Expostulationibus fidelium et antistitum suam coram universo terrarum orbe Pontifex adiungit.

num Numen non modo — Ecclesiam opprimendo suam, — christifideles non modo — eorum vulnerando fidem religionisque conscientiam — pergravi iniuria afficere, sed periculosam etiam exstare causam civilis illius eversionis, ad quam infitiatores osoresque Dei omni ope contendunt.

Quantum fieri potest, servanda est divini cultus perfunctio.

Interea ut calamitosis hisce rerum adiunctis occurrere ac pro facultate mederi possimus, omnibus, quae adhuc praesto sunt, rationibus eniti necesse est ut — divini cultus perfunctione, quoad fieri possit, ubique servata — fidei lux christianaeque caritatis ignis in populo non restinguantur. Quamvis enim, ut diximus, de impiis decretis agatur, quae, quum sanctissimis Dei Ecclesiaeque iuribus adversentur, idcirco sunt divina lege reprobanda, attamen non est dubium quin vano is impellatur timore, qui censeat se magistratibus ad iniustam causam operam esse collaturum, si, eorum vexationem perpessus, liberam ab iisdem exercendi sacra facultatem petat; atque adeo officii sui esse ducat ab hac omnino petitione abstinere. Quae profecto erroris opinio agendique ratio, quoniam sacrorum rituum intermissio inde esset ubique secutura, maximum afferret universo christifidelium gregi detrimentum.

Inique requisitam licentiam petere non est mala cooperatio nec legis approbatio.

Animadvertendum siquidem est iniquam hanc legem probare, vel eidem sponte adiutricem operam praestare suam, illicitum procul dubio esse ac prorsus nefas; quod tamen plurimum ab eo agendi modo differt, quo quis indignis hisce iussionibus invite repugnanterque subiicitur, imo etiam ita se habet, ut ad lethalem decretorum effectum minuendum pro sua parte contendat.

Iamvero sacerdos, cum a publicis magistratibus veniam sacris operandi coacte petit — sine qua divinum non potest exercere cultum — id per vim tantummodo suffert, ut maius incommodum vitari queat; nec alia demum se gerit ratione atque illa, qua quis, possessione sua deturbatus, ab iniusto raptore re sua saltem utendi facultatem impetrare cogitur.

Ac praeterea suspicio quaevis « formalis » quam vocant, « cooperationis » probationisque legis per sollemnes removetur vehementesque expostulationes non modo ab Apostolica Sede, sed etiam a Mexicanae Reipublicae Episcopis populoque factas. Hunc accedit prudens sacerdotum agendi mos, opportunis saeptus cautionibus, quo iidem, quamquam ad sacrum ministerium per Episcoporum mandatum canonice instituti, coacti tamen, veniam libere faciendi sacra a Civitatis rectoribus postulant; enimvero his in rerum adiunctis non legem probant, non praescriptis assentiunt, sed iniquis tantum decretis eo animo « ma-

terialiter », ut aiunt, se subiiciunt, ut impedimentum illud arceatur, quo ab sacris ritibus obeundis prohibentur, quodque nisi remotum sit, divinum ubique cultum praepediet, maximo cum animarum discrimine. Haud absimili admodum ratione sacrorum administri, ut memoriae traditum est, priscis catholici nominis temporibus, petebant, data etiam compensatione, facultatem adeundi martyres in carcere detentos, Sacramenta ministrandi causa; qua tamen re nemo cordatus cogitavit umquam eos insectatorum operam aliquo modo honestasse atque probasse.

Ab episcopis dedocendi sunt qui id erronee contendant.

Haec est, certa prorsus ac tuta, catholicae Ecclesiae doctrina, quae quidem si, cum in usum deducitur, nonnullos in quamdam induxerit erroris offensionem, vestrum erit, venerabiles Fratres, hanc, quam proposuimus sententiam, diligenter iisdem luculenterque declarare.

Ne fiant pertinaces.

Quod si quis, postquam etiam mens Nostra per vos explanata fuerit, in falsa eiusmodi opinione pertinaciter adhuc perseveret, sciat porro se contumaciae pervicaciaeque notam non esse devitaturum.

Vota de actione concordi,

Pergant igitur omnes, bene hac animati oboedientiae contentione consiliorumque concordia, quod Nos non semel, intimo cum animi solacio, in clero dilaudavimus; atque excussis dubitationibus trepidationibusque, quae a primis insectationis aestibus erupissent, sacerdotes exploratâ eâ suâ quidquid strenue ferendi voluntate, impensiorem usque efficiant apostolicam suam ipsorum operam, in iuvenilem praesertim aetatem populariumque ordinem. Itidem aequitatis, concordiae caritatisque sensus iis etiam suadere conentur, qui idcirco in Ecclesiam repugnant, quod non satis eam cognitam habent.

de Actione Catholica,

Quocirca contineri non possumus quin rem iterum commendemus, quam, uti nostis, in oculis ferimus; ut scilicet Actio Catholica, ad eas normas (1), quas per Apostolicum Delegatum Nostrum impertivimus, ubicumque instauretur maiusque in dies incrementum accipiat. Novimus hoc inceptum, initio praesertim atque hisce in condicionibus difficillimum; novimus idem ad optatos fructus non semper citato gradu procedere; at necessarium novimus ac magis efficiens quam ceteras omnes agendi rationes, quemadmodum ex Nationibus illis, quae ab huiuscemodi divexationum discrimine emerserunt, experiendo est cognitum.

de artissima cum Hierarchia coniunctione.

Dilectos praeterea Mexicanae gentis filios etiam atque etiam ad eam in Domino adhortamur, qua praestant, cum Ecclesia ma-

(1) Cfr etiam Epist. Apost. « Paterna sane sollicitudo », d. II Febr., anno MCMXXVI.

tre, adeoque cum eius Hierarchia, arctissimam coniunctionem; ita quidem ut datis normis praeceptisque obtemperare, pro virili parte, studeant. Sacramenta participandi, divinae gratiae christianaeque virtutis fontes, opportunitatem ne praetermittant; religionis doctrinam diligenter addiscant; a misericordiarum Patre afflictae suae ipsorum patriae pacem prosperitatemque implorent; atque honori officioque sibi ducant, in Catholicae Actionis agmine, sacrorum administris operam navare suam.

Laudantur qui memoranda prorsus facinora edidere, usque animi adduntur.

Eos vero, qui cum ex utroque clero, tum ex laicorum ordine, incenso religionis studio permoti et Apostolicae huic Sedi obsecuti, memoranda prorsus facinora edidere, in recentioribus Mexicanae Ecclesiae fastis adscribenda, amplissima honestamus laude; eosque enixe in Domino obtestamur, ut in sacrosancta Ecclesiae iura defendenda totis viribus incumbere ne desistant, ea nempe adhibita generosa dolorum laborumque tolerantia, cuius nobilissima usque adhuc dedere exempla.

Pontifex se intimius coniunctum cum Meximanis Episcopis experitur.

At finem imponere Encyclicis hisce Litteris non possumus, quin ad vos, Venerabiles Fratres, fideles mentis Nostrae interpretes, peculiari modo cogitationes intendamus Nostras, vobisque fateamur eo Nos arctius esse, Nosque experiri vobiscum coniunctos, quo asperioribus laboratis aerumnis in obeundo apostolico ministerio; atque pro certo habemus vos, quandoquidem cum Iesu Christi Vicarii animo vos cohaerere nostis, solacium inde haurire atque incitamentum, ut cotidie alacrius perarduum sanctissimumque opus urgeatis, quo concreditum vobis gregem ad aeternae salutis portum adducatis.

Benedictio Apostolica.

Ut vero divinae gratiae auxilium vobis semper adsit, vosque divina misericordia erigat, effusa paterni animi voluntate, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem, impertimus.

Dies (29 sept. 1932).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Septembris, in Dedicatione S. Michaëlis Arcangeli, anno MCMXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI.

ANNOTATIONES

I. — *Ordo rerum.* - S. Pontifex nobis videtur hoc ordine res in istis gravissimis litteris encyclicis disposuisse :

1. Innumerabiles vexationes quas catholici passi sunt a publica potestate quae excidium religionis

catholicae meditatur, accurate describit, non laudem omittens eorum qui haec fortiter et invicto animo tolerarunt ;

2. Memorat quae ipse fecerit seu tentaverit ut tot ac tantis malis remedium afferret.

3. Exponit quo pacto adductus fuerit ad admittendam quandam compositionem, et quae inde statuerit.

4. Non sine vi et sancta audacia renuntiat qua mala fide et fraude deceptus fuerit.

5. Novas inde vexationes catholicae religionis memorat.

6. Ius et officium suum Pastoris inculcat.

7. Se normas post maturam deliberationem dedisse monet.

8. Easdem probat et tuetur.

9. Variis consiliis et votis finem litteris, collata speciali benedictione, imponit.

II. — *Propositi fines.* - Quonam consilio scriptae sint novae istae litterae quas Antistibus Mexicanis in primis ac dein omnibus locorum Ordinariis, in tristissima sorte Ecclesiae Mexicanae S. Pontifex dare voluit, satis manifestum videtur. Voluit siquidem Pontifex :

1. Ut afflictos filios intima animi coniunctione et dolorum participatione aliquod solacium acciperent, nec de re catholica in sua republica desperarent sed, contra, animo erigerentur.

Idcirco ipsa malorum descriptione se exhibuit probe conscium varii martyrii quod dilecti filii patiendum habuerunt et adhuc patiuntur.

« Vobis itidem, Venerabiles Fratres, dilectisque Mexicanae Nationis filiis, paternam iterum cupimus sollicitudinem Nostram testificari, qua vos omnes, aerumnis affectos, prosequimur ».

2. Ut sui officii Defensoris Ecclesiae memor, iniquissimis legibus reclamaret et, quamvis humanis

subsidiis destitutus, coram universo Orbe veram notam inureret.

3. Ut, sine ulla reprehensione Episcoporum qui severiorem agendi rationem ineundam esse putabant, normas praescriberet quas omnes, obsequenti animo exsecutione complerent.

4. Ut explicaret quo pacto et quibus motivis S. Sedes resignato animo acceptaverit « modum vivendi » tam insolenter a rei publicae moderatoribus violatum.

III. — *Quo spectent datae normae.* - Quas normas Pontifex tradiderit, encyclicae litterae nos non docent, cum contentae referantur in Instructione quae ineunte hoc anno 1932 per Delegatum Apostolicum omnibus Pastoribus communicata est, sed non est publici iuris facta.

Nihilominus, qua mente scriptae sint et quo tendant haud obscure insinuatur.

Postquam suum ius et officium pronuntiandi sententiam vindicavit Pontifex, haec facienda praescribit:

Neque laici neque clerici et Episcopi desinant a denuntiandis inauditis vexationibus quibus obnoxii sunt: colore legali obductae, sunt sine exemplo hodie in cultis nationibus, et cum sola Russiaca communistarum insectatione comparari possunt, ita ut regimini « sovietico » viam muniant.

Consideratis peioribus detrimentis quae inde christianis et religioni impenderent, non iam vult ut catholici a publico cultu abstineant, sed, contra, hortatur ut quantum fieri possit cultum etiam publicum, condicionibus iniqua lege impositis exercere pergant, sine tamen ulla legis approbatione et hierarchiae sacrae neglectu.

Arrepta hac occasione, Pontifex dubium conscientiae authentice solvere statuit: inique praescriptam condicionem licentiae observare nec legis approbatio nec reprobanda cooperatio dici potest.

Sed coniciens esse catholicos qui in hac re er-

rent, Pontifex eos dedocendos dicit ab Episcopis, quorum monitioni dociles esse debent, ne in damnosam pertinaciam cadant.

Legalis actio contra legem quam maxime intendatur, et fortiter agere pergant qui de Ecclesia tam bene meriti sunt.

Cum etiamnum gubernantium actio alia sit in alio reipublicae territorio, Antistites secundum haec varia adiuncta fideles suos dirigere debent.

Sed, excepta hac varietate, oportet ut catholici cum inter se tum cum Episcopis maxime animo coniuncti sint.

De defensione armata, Pontifex penitus silet, ita ut nulla suspicio in eum cadere queat quod eadem ipso auspice tentata fuerit.

IV. — *Iniqua catholicorum condicio in mundo.* — Tristissimum dictu est: de violatis divinis humanisque catholicorum iuribus tacent ephemerides quae partes fovent quae nomine « liberalismi » gloriantur, quasi Palladium libertatis possideant et honorent.

Dolendum quoque est inchoatam gentium societatem nondum huc pervenisse ut tam graves excessus vel temperare vel saltem palam damnare possit.

Sed huiusmodi excusationem non habent profecto societates quae ad tuenda hominum iura convenisse se iactant. Hae, sine ullo periculo, efficaciter vocem attollere possent, neque ab expostulationibus abstinuerunt cum in America causa agebatur duorum nebulonum. Sed quod pro societatis inimicis faciendum existimarunt, catholicis negare ausae sunt.

Iniquitas ista nos moerore afficere deberet, nisi Christus salutem mundi in ipsa crucis ignominia et dolore operatus esset.

Mysteriosa sane hodie sunt divinae Providentiae consilia ; et animum turbare possit diuturna pax seu potius externa prosperitas qua frui videntur qui in

variis regionibus bellum omni religioni indicunt. Nostrum autem est divina consilia reverenter adorare, et, exemplum S. Pontificis secuti, ne minime quidem dubitare de promisso triumpho Regi Nostro, qui inimicos suos scabellum pedum suorum habere debet.

Christus apostolos suos misit sicut agnos inter lupos, ut mansuetudine sua et virtutibus suis ipsos lupos domarent seu potius Christo lucrarentur.

Istud igitur est maxime fratribus Nostris Mexicanis optandum, ut insigni sua virtute et caritate, hostes Ecclesiae confundant, et praeceptum S. Pauli observent: « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum » (Rom. 12,21).

Votis tamen etiam urgendum est, ut ubique locorum ephemerides catholicae vexationes impiorum accurate referant, idque cotidie, ut aures surdorum aperiantur.

V. - *N. B.* - Enc. litterae *Iniquis afflictisque*, quae die 18 nov. 1926 de persecutione mexicana datae sunt, reperiuntur in *Acta Apostolicae Sedis,* 1 dec. 1926, t. XVIII, 465 ; vel in *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, t. XV, p. 189. Epistola *Paterna sane sollicitudo*, 2 febr. 1926, est in *Acta A. Sedis,* 3 maii 1926, t. XVIII, 175, vel in *Periodica*, t. XV, p. 137 ss.

Caput 130 legis quod ut pessimum notatur est inaudita ordinatio qua gubernium laicum sibi ius arrogat statuendi de numero sacerdotum qui ministerio exercendo in singulis territoriis sufficere debeat, ita ut nullus alius toleretur.

Liber proscriptus, de quo in litt. enc. sermo fit, est opus Guillelmo Dellhora, *La Iglesia catolica ante la critica en el pensiamento y en el arte.* Mexico. Editiones Dellhora, 1929. Proscriptum decreto S. Officii, 28 nov. 1930 (*A. A. S.*, 15 ian. 1931, t. XXIII, 13. 14 ; *Periodica,* t. XX, 138).

A. VERMEERSCH S. I.

72. — S. C. de Sacramentis

Responsio 30 iunii 1932

DE AETATE CONFIRMANDORUM

(A. A. S., 5 aug. 1932, XXXIV, 271)

Solutio de can. 788 a Pont. Commissione C. I. C.

Plures petitiones exhibitae sunt Pontificiae Commissioni ad Codicis canones authentice interpretandos, quaestionem respicientes aetatis confirmandorum, de qua est sermo in canone 788, et utrum dictus canon constituat tantum normam directivam an potius vere praeceptivam. E.mi Patres eiusdem Pontificiae Commissionis, in plenario Coetu diei 7 Iunii 1931, proposito dubio: « An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum confirmationis in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone », responderi mandarunt: *Affirmative* (1).

data, dubio causam dedit.

Quoniam vero in Hispania et alicubi, praesertim in America Meridionali, viget consuetudo administrandi Sacramentum Confirmationis pueris ante usum rationis, etiam immediate post collatum Baptismum, a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, edita supradicta responsione, quaesitum fuit, an talis consuetudo adhuc servari possit.

De consuetudine in Hispania et alibi vigente.

In plenario itaque Coetu Em.orum Patrum huius Sacrae Congregationis, habito die 27 Februarii 1932, re mature discussa, proposito sequenti dubio: « An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vigens ministrandi Sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis, servari possit », E.mi Patres responderunt: « *Affirmative*, et ad mentem ». « *Mens est* ut, ubi Sacramenti Confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum, quin obstent graves et iustae causae, ad normam can. 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sint de lege communi Ecclesiae Latinae, praemissa Sacrae Confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet ».

Responsum S. C. approbatum a SS^o^.

In audientia diei 2 Martii eiusdem anni, referente infrascripto Secretario Sacrae Congregationis, Ss.mus D.nus Noster

(1) *Acta Ap. Sedis*, XXIII, p. 353.

Pius Papa XI responsionem ratam habere et confirmare dignatus est.

De ordine inter primam communionem et confirmationem.

Ne autem ex hac resolutione aliquis error irrepat aut non recta intelligentia de sacrorum canonum intentione et praecepto circa aetatem admittendorum ad primam Communionem Eucharisticam, declarat eadem Sacra Congregatio, equidem opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis Sacramentum, quod est veluti complementum Baptismatis et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti (S. Thomas, p. III, quaestio 72, art. 2); non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eandem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt.

Dies (30 iunii 1922).

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 30 Iunii 1932.

† M. Card. LEGA, Episcopus Tusculanus, *Praefectus.*
L. ✠ S. D. JORIO, *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. - Praescriptum canonis 788, attento responso Pontificiae Commissionis Codici Interpretando, ita enuntiari potest: Sacramentum confirmationis ante septimum circiter aetatis annum conferri nequit, nisi vel cum periculum adsit ne infantes tanta huius sacramenti gratia orbi decedant vel cum graves et iustae causae obstent quominus iidem vel a primo rationis usu Chrismate Salutis roborentur.

Haec lex generalis est.

Porro, contra eam, veluti contra ceteras Codicis generales praescriptiones, dari potest, et de facto in Hispania atque in America meridionali datur, contraria consuetudo administrandi nempe Sacramentum Confirmationis ante usum rationis etiam immediate post collatum Baptismum.

Quaesitum igitur est: Potestne talis consuetudo sustineri? Responsum de quo agitur eam sustineri posse declarat.

II. - Quare Sacra Congregatio Sacramentorum praxim antiquissimam, generalem, continuam, publicam, vere normativam Sacramenti Confirmationis administrandi in Hispania servatam et quae labentibus saeculis per Americam meridionalem disseminata est et dilatata, vere ut centenariam et immemorabilem consuetudinem aestimat.

Hoc est cur etsi eadem legi generali contraria dici debet, tamen vi praescripti canonis 5 servari potest.

Tamen cum nihil magis praestandum sit quam ut canones toti Ecclesiae Latinae communes ab omnibus suis fidelibus communiter serventur, *mens* Congregationis est ut, ubi non obstent causae de quibus in canone praecitato, fideles tum de lege communi tum de eiusdem fine rite seduloque edoceantur.

III. - Denique, quamquam magis opportunum est et indoli Sacramenti Confirmationis conformius ut pueri prius Confirmationis quam SS. Eucharistiae sacramentum recipiant, ordo tamen iste, qui natura sacramenti confirmationis suadetur — est enim complementum Baptismi et plenitudinem Spiritus Sancti confert, — non ita urgendus est ut propter eum non servatum ipsa prima communio differatur.

Ratio huius declarationis est in promptu: ss. eucharistia sub gravi praecepto sumenda est a pueris qui ad annos discretionis pervenerint, dum de praecepto recipiendae confirmationis minus constat.

MICH. FABREGAS S. I.

---

73. — S. C. de Sacramentis

Litterae circulares 1 iul. 1932

DE TRACTATIONE CAUSARUM MATRIMONIALIUM (1).

(A. A. S., 5 aug. 1932, XXIV, 272)

Occasio decreti.

In plenariis Comitiis die 27 Februarii labentis anni habitis in Civitate Vaticana, examini E.morum Patrum delata fuerunt responsa, quae hucusque ad hanc Sacram Congregationem pervenerant ab Exc.mis Episcopis ceterisque locorum Ordinariis aut directe aut per Nuntios vel Delegatos Apostolicos data, quae tractationem causarum matrimonialium apud Tribunalia ecclesiastica respiciunt. Prouti postulabat gravitas omnino peculiaris huius negotii, res maturo examini amplaeque discussioni subiecta est, atque, omnibus rite perpensis, iisdem E.mis Patribus opportunum visum est, quae infra recensentur, decernere:

I. Relatio annua ad S. Congr.

I. Exc.mi Episcopi et reliqui locorum Ordinarii *quotannis*, inde ab anno 1933 initium sumentes, *mense Ianuario anni insequentis* ad hanc Sacram Congregationem aut directe, aut per Nuntios vel Delegatos Apostolicos pro regionibus ubi hi sunt constituti, renuntiare tenentur:

1) De personis quae in tribunali partem habent.

1) nomina Officialis, iudicum, sacri Vinculi defensoris, actuarii atque advocatorum Tribunali suae cuique Curiae addictorum, pro causarum matrimonialium tractatione et definitione, relatis quoque academicis cuiusque, quibus praefulgent, studiorum gradibus seu titulis, vel saltem reddito testimonio de eorumdem prudentia atque canonica peritia;

2) De expensis postulatis.

2) quaenam pecuniae summa apud sacrum Tribunal deponenda a partibus postuletur, necnon taxarum notulam atque emolumentorum, quae pro unaquaque causa persolvi solent, haud exceptis advocatorum honorariis, et, quatenus casus ferat, peritorum; et insimul quomodo fuerit consultum pauperum gratuito patrocinio ad normam cc. 1908-1916;

3) De numero causarum, reddita singularum ratione;

3) numerum causarum matrimonialium, quae vel introductae vel adhuc pendent vel iam fuerunt definitae tum in prima quum in secunda instantia, pro unaquaque significando: *a*) diem, mensem et annum ipsius introductionis atque resolutionis pro utraque instantia; *b*) nullitatis caput; *c*) competen-

(1) Ad excellentissimos Archiepiscopos, Episcopos atque locorum Ordinarios.

tiae titulum; *d*) exitum nullitati vel favorabilem vel adversum, tum in prima cum in altera instantia, et, si eventus petitioni actoris adriserit faustus, etiam caput, e pluribus forte adductis, propter quod fuit sententia prolata; *e*) quomodo suum obierit munus sacri Vinculi defensor, et utrum partes vel earum alterutra advocati aut procuratoris patrocinio usae sint;

4) numerum denique supplicum libellorum huiusce generis causarum, qui, utpote habiti solido fundamento destituti, inde a limine sunt reiecti.

4) De numero supplicum libellorum qui a limine reiecti sunt.

II. Quo latius compleantur notitiae iam ab hac Sacra Congregatione receptae pro anteactis anni 1928 et 1929, quod ad easdem causas attinet, Exc.mi Praesules ne dedignentur ad eamdem Sacram Congregationem transmittere, per Exc.mos Nuntios vel Delegatos Apostolicos, si in regione sint constituti, secus directe, *intra trimestre a die prima Ianuarii anni 1933 supputandum,* relationes causarum matrimonialium, quae fuerunt agitatae in Tribunalibus suae cuiusque Curiae *intra triennium 1930-1932,* quaeque amplectantur oportet omnes notitias praecedenti capite, sub nn. 1), 2), 3), *a-c* 4), expetitas.

II. Intra tres menses a prima ianuarii 1933 postulatur relatio causarum matrimonialium quae intra annos 1930-32 agitatae sunt.

III. Quod si fieri contingat ut, spectata parvitate dioecesis et praesertim inopia sacerdotum, aliquis Exc.mus Episcopus locive Ordinarius prohibeatur quominus ecclesiasticum Tribunal constituat quod suo munere congruenter, uti expostulat peculiaris causarum matrimonialium gravitas et tanti Sacramenti religio, perfungi valeat, ipse, prudenter secum pensato harum rerum discrimine maximoque momento, minime vereatur, etiam in levamen conscientiae suae, huiusmodi loci vel personarum angustiam ad hanc Sacram Congregationem significare, ut ipsa huiusmodi necessitati, saltem ad tempus, prospicere possit, competentiam Tribunalis deferendo alii Curiae ecclesiasticae provinciae vel regionis, quae tali oneri sustinendo ob peritiores officiales ceterosque administros aptior evadat.

III. Suadentur episcopi qui congruens cum gravitate rei tribunal constituere nequeunt, ut S. Congr. de difficultate certiorem faciant, ut provideat.

IV. Cuius incommodi enunciata provisio aeque valere censenda est pro iis Curiis suffraganeis et metropolitanis, quae ad normam quoque can. 1594 § 3, probante Apostolica Sede, appellationis sedes fuerunt constitutae, si in iis reperiantur rerum adiunctis ut, praeter causarum primae instantiae, etiam secundae instantiae pondus ferre non valeant. Quo in casu peculiarem Curiam, eamque metropolitanam, si haberi possit, pro appellatione designent, eaque, quatenus necessariis instructa conditionibus comperiatur, a S. Sede adprobabitur, incolumi tamen semper iure appellationis ad Sacram Romanam Rotam, iuxta praescriptum can. 1599.

IV. Quod valet etiam de curiis appellationis, nisi quod hae curiam metropolitanam idoneam proponant.

V Constitutio peculiaris coetus; non praetermissa inspectione Apostolica.

V. Praefatae relationes in examen assumentur in hoc Sacro Dicasterio a quodam peculiari RR. PP. Consultorum coetu apud idipsum instituendo, qui praeterea idonea remedia, pro casuum necessitate, excogitabit et suggeret, haud praetermissa, quatenus opportunitas expostulet, inspectione per Visitatores Apostolicos ab Exc.mis Nuntiis vel Delegatis Apostolicis, probante Sede Apostolica, vel ab H. S. C. designatos peragenda, ut de visu conspiciant utrum Tribunalia ecclesiastica recte, ut decet, officium suum expleant et moderentur.

VI. Causae cur haec praescribantur.

VI. Ne supra relatae praescriptiones immodicae atque praeposterae videantur, Exc.mi Episcopi momentum gravitatemque causarum matrimonialium secum ipsi perpendant, quae proinde non solum quam maxima peritia, sollerti cura ac diligenti investigatione sunt pertractandae ne inviolabile matrimoniale vinculum in discrimine ponatur, verum etiam intra temporis intervallum canone 1620 praefinitum rite absolvendae, cum non semel succurrendum sit, de rigore iustitiae, abnormi familiarum statui et conditioni, etiam sub respectu patrimonialium bonorum, quaeque semper detrimento esse possunt conscientiarum tranquillitati et animarum saluti.

Approbatio et sanctio SS. Domini.

Haec ideo remedia, ab EE. PP. in memorata plenaria Congregatione proposita circa tractationem causarum matrimonialum, cum infrascriptus Secretarius huius Sacrae Congregationis Beatissimo Patri Pio divina Providentia Papae XI in audientia diei 2 Martii 1932 significasset, Eadem Sanctitas Sua, attente perspectis huius magni negotii materia atque consectariis maximi momenti inde promanantibus, eadem rata habere atque comprobare quoad omnia, supremo auctoritatis Suae oraculo, dignata est, insimul praecipiendo ut cum Exc.mis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque locorum Ordinariis communicentur, ab iisdem sedulo ac religiose exsecutioni demandanda.

Dies (1 iul. 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 1 mensis Iulii anni 1932.

† M. Card. LEGA, Episcopus Tusculanus, *Praefectus.*

L. ✠ S. D. JORIO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

Istae litterae circulares originem habent *a)* ex frequentia usque maiore qua, post Codicem, causae de matrimoniis nullis Antistibus iudicandae proponun-

tur; *b)* ex magna potestate facta curiis episcopalibus pronuntiandi etiam in gradu appellationis, ita ut si duae sententiae conformes datae sint, causa possit terminari in omni regione, etiam in locis missionum; et *c)* ex periculo ne vere idonei iudices in rebus tanti momenti frustra in nonnullis regionibus quaerantur. Immo fieri potest ut officiales sint qui sanctitati matrimonii non eum qui summopere decet honorem deferant.

Quare litterae circulares variis praescriptionibus curare satagunt, ut causae istae pro earum momento a iudicibus competentibus et integris examinentur et iudicentur.

Simul etiam nimias moras impedire proponunt, ita ut causae in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur; in tribunali vero secundae instantiae non ultra annum. Hic observes in *Acta Apostolicae Sedis* mendose canonem 1630 pro canone 1620 esse typis scriptum.

Unum punctum locum dubio dare potest. In n. IV litterarum circularium, Curiae quae pro appellatione sint designatae, invitantur, si nimium ipsis sit ferendum onus pronuntiandi in secunda instantia, ut ipsae peculiarem Curiam, eamque metropolitanam si haberi possit, designent, quam S. Sedes, quatenus necessariis instructa condicionibus reperiatur, approbabit, incolumi iure appellationis ad S. Rotam. Dubitari potest utrum haec nova designatio priorem tollat, ita ut omnes appellationes iam deferendae sint ad Curiam propter causas matrimoniales opprobatam, an ad aliud tribunal pro matrimoniis aliud pro ceteris causis in posterum sit appellandum.

A. Vermeersch S. I.

---

74. — Pont. Commissio interpretando Codici

Responsa 25 iun. et 28 iul. 1932

I. RESPONSA 25 IUN. 1932.

(A. A. S., 5 aug. 1932, XXIV, 284)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

1. De Concursu paroeciali.

I. — DE CONCURSU PAROECIALI

D. An forma concursus, de qua in canone 459 § 4, servanda sit etiam in prima provisione novae erectae paroeciae.

R. *Negative.*

II. De impedimento publico matrimonii.

II. — DE IMPEDIMENTO PUBLICO MATRIMONII

D. An ad habendum impedimentum publicum, de quo in canone 1037, sufficiat ut publicum sit factum ex quo oritur impedimentum.

R. *Affirmative.*

III. De forma qua separatio coniugum decernenda sit.

III. — DE SEPARATIONE CONIUGUM

D. I. An separatio coniugum ob causas, de quibus in canone 1131 § 1, forma administrativa decernenda sit.

II. An in causis separationis coniugum, de quibus in canone 1131 § 1, in secundo gradu eadem servanda sit forma ac in primo gradu.

R. Ad I. *Affirmative,* nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium.

Ad II. *Affirmative.*

Dies (25 iun. 1932).

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 25 mensis Iunii anno 1932.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

II. RESPONSA 28 IUL. 1932

(A. A. S., 1 sept. 1932, XXIV, 314)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE CONSTITUTIONE TRIBUNALIS COLLEGIALIS

I. De tribunali quod Officialis constituerit.

D. An Officialis, cum potestate ordinaria iudicandi et absque ulla causarum reservatione ad normam canonis 1573 § 1 et 2 electus, constituere possit tribunal collegiale, vocando per turnum iudices synodales iuxta canonem 1574 nominatos.

R. *Affirmative,* nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuat.

II. — DE IUDICIO SUPER MARTYRIO SERVORUM DEI

II. Debetne disceptatio martyrii ad 50 annos differri?

D. An praescriptum canonis 2101 extendatur etiam ad disceptationem martyrii Servorum Dei.

R. *Negative.*

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 28 mensis Iulii anno 1932.

Dies (28 iul. 1932).

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I. — Ad responsa 25 iun. 1932

De concursu paroeciali.

Primo responso solvitur controversa quaestio de forma concursus servanda necne, ubi agitur de *prima* provisione paroeciae *noviter* erectae. Can. 459, § 4 statuit: « In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam Const. Benedicti XIV *Cum illud*, 14 dec. 1741, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit ».

Nonnulli dicebant legem concursus, de qua in can. 459, § 4, respicere tantum paroecias *ante Codicem* iam erectas, non autem paroecias *postea* erigendas; quia, aiebant, legislator edixit *formam* concursus esse retinendam, non autem ipsam *legem* concursus, ideoque videtur noluisse *legem* extendere ad paroecias *post Codicem* erigendas.

Alii censebant legem concursus respicere *omnes* paroecias, sive erectas sive erigendas, absque ullo discrimine inter has et illas, dummodo ageretur *de illis regionibus*, in quibus vigeret lex concursus. Demum alii distinguebant inter *primam* provisionem novae erectae paroeciae, et *secundam* seu ulteriores, affirmantes formam concursus esse quidem servandam in istis, non autem in illa.

Responsum Pontificiae Commissionis Codicis hanc tertiam sententiam authentice confirmat. Ratio huiusmodi responsi, attentis principiis generalibus iuris attentisque stylo et praxi Curiae Romanae, manifesta est.

Sane, ex una parte, nullum dubium, quin *omnes* paroeciae exsistentes in regionibus in quibus viget lex concursus, huic obnoxiae censendae sint. Lex enim in territorio vigens afficit omnia iuris subiecta in eodem exsistentia. Nec obstat profecto, quod nonnullae paroeciae *post Codicem* erectae sint. Nam personae morales statim ac eriguntur, perinde ac personae physicae quae ibi ortum habent, legi in territorio vigenti subsunt.

Ex alia parte, a lege concursus *ante Codicem* eximebantur *novae* paroeciae, sed pro *prima tantum vice*. Ita ex praxi Apostolicae Datariae quoad beneficia paroecialia reservata, et ex iurisprudentia S. Congregationis Concilii quoad cetera beneficia S. Sedi non reservata. Cfr MONACELLI, *Formularium legale-practicum fori ecclesiastici*, tit. II, form. 2, n. 9.

Porro Codex huiusmodi exemptionem, ut alias complures (cfr BOUIX, *De parocho*, part. III, sect. 2, cap. 2; FERRARIS, *Bibliotheca* etc., v. *Beneficium*, art. III, n. 36 ss.), nequaquam abrogavit, ad legem concursus quod attinet.

Quare ex hac responsione Pontificiae Commissionis Codicis vetus praxis sive ius, quoad *primam* provisionem *novae* paroeciae, expresse confirmatur.

De impedimento publico matrimonii.

Ex can. 1037 impedimentum publicum est illud, « quod probari in foro externo potest ». Atqui certissime in foro externo probari potest impedimentum, quoties factum ex quo oritur publicum sit. Sane inquisitio, si fieret, nullatenus versaretur circa legem qua conditur impedimentum, aut circa notitiam impedimenti, qua talis, quam haberent necne partes vel testes, sed solum circa varia adiuncta, quibus exsistentibus decernitur impedimentum revera adesse.

Nihil refert quoad exsistentiam impedimenti eiusque publicitatem, utrum partes vel testes sciant, an ignorent, ex quodam facto oriri impedimentum. Ignorantia iuris enim, ad normam can. 16, quoad coniuges ceterosque minime attenditur. Siquidem contingere potest, ut impedimentum sit *materialiter* publicum, *formaliter* vero occultum, puta, si factum ex quo inducitur impedimentum est publicum ut *factum*, sed per accidens est occultum ut *impedimentum,* quia ignoratur ex tali facto oriri impedimentum.

Igitur, ex responsione Pontificiae Commissionis Codicis, ut impedimentum sit publicum ad normam can. 1037, non requiritur ut sit formaliter publicum qua impedimentum, sed sufficit ut factum, ex quo oritur impedimentum, sit publicum seu probari possit in foro externo.

Istud responsum authentice confirmat doctrinam a nobis traditam *(De matrimonio,* n. 200) hisce verbis: « Impedimentum potest esse materialiter publicum et formaliter occultum, si cognoscitur factum, sed ignoratur ex tali facto oriri impedimentum... Hoc impedimentum, attenta veteri disciplina verius publicum erat; attento cit. can. 1037, *certissime publicum est,* cum, posita facti publicitate, in foro externo probari possit ».

De separatione coniugum.

Responsio ad III duplici constat parte. Prima pars ita intelligenda est, ut causae separationis coniugum *regulariter* forma administrativa, non autem iudiciali, dirimantur.

Nam si, positis ponendis, separatio fieri potest etiam privata coniugum voluntate (can. 1130. 1131), a fortiori dicendum, eam fieri posse cum interventu mere administrativo Ordinarii, absque processu stricte iudiciali. Hinc est, quod can. 1131 non loquitur de iudice ecclesiastico, sed solum de Ordinario; non dicit separationem faciendam esse ex iudicis sententia, sed « *auctoritate Ordinarii loci* ».

Ratio cur causae separationis forma administrativa *regulariter* tractandae ac definiendae sint, manifesta est. Processus stricte iudicialis, quoad fieri possit, vitandus est, tum ob expensas haud leves quas ille necessario secumfert aliaque incommoda, tum ut citius et expeditius controversiae finiantur. Porro separationis causae, *generatim* et *ordinarie* loquendo, eiusmodi sunt naturae, ut rite tractari ac definiri queant via damtaxat administrativa, quin iudiciali forma opus sit.

Diximus *regulariter* causas separationis dirimendas esse forma administrativa, non autem *semper* et *necessario*. Sane huiusmodi causae profecto disceptari ac definiri possunt, ut quodcumque aliud negotium, etiam ordine stricte iudiciali servato. Quo in casu, servandae sunt normae communes de processibus. Palam est, causas istas, si agitur de coniugibus baptizatis, proprio et exclusivo iure spectare ad iudicem ecclesiasticum ad normam can. 1960, et magistratum civilem nonnisi ex delegatione Ecclesiae easdem cognoscere ac definire posse (cfr art. 34 Concordati initi inter S. Sedem et Gubernium Italicum).

Forma iudicialis servanda est, in praedictis causis, vel *ad instantiam partium* vel ex mandato Ordinarii sive *ex officio*. Partes procul dubio petere valent ministerium iudicis ad ius suum persequendum, ut in quocumque negotio. Nam omne ius actione communitur, nisi aliud expresse cautum sit, ad normam can. 1687. Iudex autem petitum ministerium denegare non potest. Id vero locum obtinet sive utraque pars postulet formam stricte iudicialem, sive alterutra tantum. Ordo iudicialis *ex officio* servandus videtur duplici in casu: 1° quando Ordinarius loci, attentis peculiaribus rerum et personarum adiunctis, censeat causam rite cognosci ac definiri non posse via administrativa, sed forma tantum iudiciali; 2° quando forte ex conventione inita inter S. Sedem et Statum aut ex lege civili sententia iudicialis requiratur ad civiles effectus separationis obtinendos.

Prout una aut alia adhibeatur forma in causis separationis, competentia ad varios magistratus ecclesiasticos spectat. Siquidem, si causa via *administrativa* cognoscitur ac definitur, non solum Episcopus, sed etiam Vicarius generalis competens est, ut in aliis controversiis ad tramitem disciplinae disceptandis, non autem Officialis, de quo in can. 1573, quippe qui caret potestate administrativa, nisi forte ex delegatione Ordinarii agat. Si, contra, causa separationis ordine *iudiciali* cognoscenda ac definienda sit, Vicarius generalis, qua talis, competens non est, dum competens dicendus Officialis, nisi Episcopus huiusmodi causam sibi reservaverit ad normam can. 1573, § 2.

Secunda pars responsionis, quae declarat in causis separationis coniugum, de quibus in can. 1131, § 1, eandem in secundo gradu servandam esse formam ac in primo gradu, est conclusio sponte et necessario manans ex generalibus iuris principiis.

Iudex appellationis, utpote qui sola ratione appel-

lationis competens est, nequit causae appellatae formam mutare. Id ex ipso appellationis conceptu atque ex normis illam respicientibus evidenter consequitur (cfr can. 1879 ss.), praesertim ex praescripto can. 1891.

Itaque si causa separationis in primo gradu ordine *iudiciali* cognita ac definita fuerit, verae appellationi locus erit, de qua videre debebit iudex ad quem, normis processualibus adamussim servatis. Si causa separationis in primo gradu disceptata ac soluta fuerit forma *administrativa*, locus non erit appellationi proprie dictae, sed recursui, et sequendae erunt leges propriae recursus (cfr can. 1601, 1880, 6°). Igitur appellatio fiet ad iudicem superiorem (Metropolitam, S. R. Rotam etc.), recursus ad S. Congregationem de Sacramentis.

II. Ad responsa 28 iul. 1932.

De constitutione tribunalis collegialis

Controversia haud exigui momenti resolvitur primo responso. Ratio dubitandi, iuxta nonnullos, haec videbatur: Codex expressis verbis (can. 1576, §§ 2 et 3) *Ordinario* munus tribuit eligendi per turnum duos vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituant; atqui nomine *Ordinarii,* ex praescripto can. 198, non venit Officialis; ergo.

Ista ratio, si res accuratius et penitius perpendatur, solida non apparet. Nam Officialis, ex can. 1573, gaudet *ordinaria* potestate iudiciali unumque constituit tribunal cum Episcopo. Porro potestas ordinaria est late interpretanda; et qui eadem fruitur, perinde ac delegatus, immo potiore ratione, iis quoque gaudet, « sine quibus eadem exerceri non posset » (can. 200, § 1).

Officialis nequit exercere suam potestatem suoque munere fungi, ubi agatur de causa quae tribunal collegiale postulet, nisi designati fuerint iudices qui huius-

modi tribunal constituant. Quare eatenus deneganda est Officiali potestas designandi per turnum iudices ad constituendum tribunal collegiale, quatenus *vel* ius ipsum talem potestatem illi deneget *vel* loci Ordinarius sibi expresse reservet huiusmodi potestatem. Atqui neutrum in casu verificatur.

Sane ius commune seu Codex nullibi denegat Officiali facultatem vocandi per turnum iudices iam legitime nominatos, qui collegiale tribunal una cum praeside constituant. Nec loci Ordinarius, ut supponitur, facultatem eligendi iudices sibi reservavit: quod profecto, si vellet, facere posset. Quare neque ex iure communi neque ex loci Ordinario praedicta facultas deneganda est Officiali.

Itaque nec speciale mandatum requiritur, nec mandatum generale postulatur, ut Officialis per turnum duos vel quatuor iudices synodales vel prosynodales vocet ad constituendum tribunal collegiale, ubi agitur de causis quas neque ius Episcopo reservat neque Episcopus sibi reservavit. Consulto excludendum censemus non solum mandatum *speciale* ut patet, verum etiam *generale*, quia Officialis *vi ipsius muneris* quo fungitur, praefata gaudet facultate in memoratis adiunctis. Mandato *speciali* in hunc tantum finem opus est, ut Officialis censeatur destitutus praedicta potestate eaque revera careat. Hinc clausula responsioni affirmativae addita: « *nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuat* ».

De iudicio super martyrio Servorum Dei.

Responsum, quo authentice declaratur praescriptum can. 2101 non extendi ad disceptationem martyrii Servorum Dei, perspicuum est illudque manifestis nititur rationibus.

Can. 2101 loquitur expresse de disceptatione *virtutum* nullumque facit verbum de disceptatione quo-

que martyrii. Ait enim: « Disceptatio *virtutum* non ante quinquaginta annos a morte Servi Dei inchoanda est ».

Si canon clare et explicite loquitur de *virtutibus* iisque tantum, non autem de martyrio, praescriptum canonis evidenter intelligendum est de disceptatione virtutum, minime vero de martyrii disceptatione. Verba enim accipienda sunt prout sonant, praesertim ubi agitur, ut in can. 2101, de praescriptione prohibitiva, quae natura sua strictae subest interpretationi. Huc spectant notissima iuris axiomata: « *Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam* » — « *Ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere* ».

Accedit quod virtutes et martyrium sunt duae causae distinctae. Codex enim hanc distinctionem exhibet in ipso titulo: « De iudicio super heroicitate virtutum in specie, *vel* super martyrio eiusque causa » (lib. IV, cap. 3, art. 3).

Praeterea manifesta est ratio discriminis inter causam virtutum et causam martyrii. Fama virtutum ipso tractu temporis seria, spontanea, non arte aut diligentia humana procurata, orta ab honestis et gravibus personis, continua, in dies aucta et vigens in praesenti apud maiorem partem populi (cfr can. 2050, § 2), demonstretur oportet; dum martyrii fama nititur factis quae, brevi temporis spatio contenta, quo sunt recentiora eo facilius certiusque cognosci possunt.

Hinc manifesto patet, iure meritoque declaratum fuisse, praescriptum can. 2101 non extendi etiam ad disceptationem martyrii Servorum Dei.

Felix M. Cappello S. I.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

Felix M. Cappello S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 88* ss.; 229* ss.; 100 ss.; 283 ss.
Gualt. I. Coleman Soc. Maryk., 178* ss.
Mich. S. Fabregas S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 57* ss.; 276 ss.
Ioan. Mich. Hanssens S. I., *Prof. theolog. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana*, 193* ss.
F. Hecht P. S. M., 38* ss.
E. Jombart S. I., *Prof. iuris can. in Coll. Theol. S. I. Angiensi*, 184* ss.
Excell. Domin. Jorio, *Secretarius S. C. de Sacramentis*, 35* ss.
P. Napholc S. I., 1* ss.; 129* ss.
I. Pauwels S. I., *Prof. sacr. liturg. Namurci*, 53 ss.
Cand. Santini S. I., 172* ss.
Aug. Tesio S. I., *Procur. gen. S. I.*, 148 ss.
I. B. Umberg S. I., *Prof. theol. in Univ. Oenipontana S. I.*, 74* ss.
A. Vermeersch S. I., *Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Univ. Gregoriana*, 43* ss.; 52* ss.; 101* ss.; 117* ss.; 157* ss.; 160*; 162* ss.; 171*; 182* ss.; 190* ss.; 224*; 225*; 226* ss.; 232* ss.; 236* ss. 5; 13; 16; 17; 19; 21; 25; 27; 29; 33; 35; 38 ss.; 42 ss.; 86 ss.; 99; 107; 146; 188 ss.; 195; 236 ss.; 242; 247; 270 ss.; 280.

ERRATA

Pag. 102*, l. 6.: SIMENON *corrige:* KISELSTEIN.
» 88, l. 8 ab infra, Purpuratorum Card. EHRLE S. I. et LÉPICIER O. S. M., *corrige:* Dr MARTINUS GRABMANN et Fr. PELSTER, S. I.
» 89, l. 21 ss. Aequipollentes canonizationes recensitae in Actis Canonizationis non omnes sunt vere tales. Cfr exempla p. 90. 91.
» 224* ponenda est 223* et quae ponitur p. 223* debet sequi p. 225 quae inscribenda erit 224* et cui coniuncta sunt quae nunc ponuntur p. 223*.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

	Pag.
De vera proximae occasionis peccati notione: disputatio historico-moralis.	
Introductio	1*
I. Conspectus historicus	3*
II. De vitando peccati periculo	129*
III. Conclusio de genuina occasionis proximae notione	150*
De SS. Comunione ad infirmos deferenda	35*
De festis dioecesanis recolendis a religiosis	38*
De externis monasteriorum Sororibus	43*
Licetne consulere minus malum?	57*
I. Non certo probatur numquam licitum esse minus malum consulere	58*
II. Aliquando licet minus malum consulere	62*
1. Si minus malum eiusdem est speciei ac maius, licet condicionate minus suadere	63*
2. Licet condicionate alicui minus malum consulere diversae speciei ac maioris, si ille cui consilium datur alterutrum facere determinaverat	70*
3. Licet consulere minus malum ei qui paratus est gravius facere etiamsi qui consilium accipit de minori non cogitasset et minus malum diversae sit speciei ac maius	71*
Sacramenta alii conficiunt, alii suscipiunt.	74*
De obligatione orta ex valida promissione matrimonii	88*. 229*
De causalitate per se et per accidens, seu directa ed indirecta	101*
Argumenti opportunitas	
I. Minus accurata expositio extrinsecis auctoritatibus revincta	102*
II. Genuina causalitatis per accidens doctrina proponitur	107*
III. Facta confusio dissipatur	113*
Conclusio	115*
De Ordinatione sacra	
I. De copia aquae in calice qui ordinandis porrigitur	157*
II. De protensione manus versus ordinandos	159*
De verbis can. 1435 § 1 « tempore vacationis beneficii »	160*
Applicatio Missae pro populo	
I. Quando in die propria applicari nequit	162*
II. Quando festum patroni transfertur	165*
De festis in Calendarium universale inductis post annum 1914	167*
De concelebratione eucharistica (continuatur)	
II. *De sacramentali concelebratione extra ordinationes*	193*
II. Historia	193*
I. In ritibus latinis	193*
II. In ritibus orientalibus	209*
III. *De concelebratione eucharistica tribus primis ecclesiae saeculis*	217*
Facultates quinquennales formulae III	220*
Non nulla notanda	223*
De Confessario occasionali, seu de fine diuturnae controversiae	232*

Quaesita varia.

	Pag.
A qua die valent acta S. Sedis	52*
Usus iuris patronatus	52*
Quaesita varia	
I. De via crucis et annexis indulgentiis	117*
II. De religiosis	122*
III. De administratione viatici quod ex devotione sumatur	123*
IV. De canonicis et parochis	126*
De privilegio Fidei. Solutio ex S. C. S. Officii, 2 apr. 1924	170*
De applicatione privilegii Paulini in casu matrimonii inter partem dubie baptizatam ei infidelem initi	172*
De cautionibus in Matrimoniis mixtis	178*
De exclaustratione et saecularizatione	182*
De instrumentis musicis in templo.	184*
De Baptismo et receptione in Ecclesiam	
I. De Baptismo	224*
II. De receptione in Ecclesiam	225*
De « Processionibus »	225*
De ordinatione pro aliena dioecesi.	236*

Casus.

*Solutio casus de medicis, qui propositus est in Tomo XX, p. 148**.	53*
Casus de religiosis	55*
Solutio casus de religiosis, propositi p. 55 - 56**	127*
Casus de privilegii Paulini usu	128*
Varii casus conscientiae.	
I. Titulus missionis	184*
II. De cultu publico vel privato.	186*
III. Interpellationes ante baptismum	187*
IV. De imprimendi licentia imprimendi	189*
V. De usu confessionis	190*
De communione privatim delata ad Orientalem aegrotum	190*
Solutio casus propositi p. 128 de privilegi Paulini usu*	191*
Casus de intentione eius qui vota temporanea emissurus est	192*
*Solutio casus de religiosis propositi p. 192**	226*
Casus de matrimonio.	228*
*Solutio casuum qui propositi sunt p. 228**	237*
Casus de matrimonio.	240*

Index analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pius Pp. XI.

Pag.

1. Litt. enc. *Nova impendet,* de asperrimo rei oeconomicae discrimine, de lamentabili apud multos operum vacatione deque increscenti apparatus militaris studio (2 oct. 1931) 1
Annotationes 5
2. Breve *Providentissimus Deus,* S. Robertum Bellarmino R. E. C. e Soc. Iesu, Univ. Ecclesiae Doctorem renuntians (17 sept. 1931) 6
3. Motu proprio *Praecipua sane,* de canonicis Seminariorum visitationibus (24 sept. 1931) 13
Annotatio 13
29. Litt. decr. *In thesauris,* de S. Alberto Magno O. P., Confessore Pontifice, cuius cultus universae praecipitur Ecclesiae, addito Doctoris titulo (16 dec. (1931) . . 73
Annotationes 86
30. A. Bulla *Cum providentissimus,* qua Sacra Pastoralis Visitatio Apostolica in Urbe indicitur (6 ian. 1932). 92
B. Litt. apost. in forma Brevis, de amplissimis facultatibus pro Pastorali Apostolica Visitatione Urbis ad Em.um F. Card. Marchetti Selvaggiani SS. D. Vicarium Generalem concessis (10 ian. 1932) 94
Annotatio 99
38. Allocutio habita in Sacros. Patr. Bas. Vaticana post peractam sollemniter Cappellam Papalem die Coronationis SS. (12 febr. 1932) 169
39. Breve *Hac Alma,* S. Carolum Borromeum et S. Robertum Bellarminum, Patronos operum instructionis religiosae renuntians (26 apr. 1932) 171
40. Bulla *Incolarum numero,* qua erigitur in Urbe parochia regularis S. Sabbae in Aventini minoris regione (15 dec. 1931) 173
Annotatio 175
56. Litt. enc. *Caritate Christi,* de precationibus piaculisque SS.mo Cordi Iesu exhibendis in praesentibus humani generis aerumnis (25 mart. 1932). 221
Annotationes.
I. Synopsis litterarum 236
II. Documenta de precatione et de paenitentia 238
III. Pars practica 240
57. Breve *Litteris Nostris,* de amplitudine indulgentiarum concessarum pro visitatione SS.mi Eucharistiae Sacramenti (3 iun. 1932) 241
Annotationes 242
71. Epist. enc. *Acerba animi,* de iniqua rei catholicae condicione in Mexicana republica (29 sept. 1932) 262
Annotationes 270

Acta summatim relata

19. A. De actione catholica, novissima acta. 47
B. Bulla de erectione novae Marajensis et Gurupensis Praelaturae *nullius.* . . 49
C. Bulla de Paracatuensis Praelaturae *nullius* erectione 49
D. Bulla novae erectionis Praelaturae *nullius* Adamantae. 49
E. Bulla de erectione Praelaturae *nullius* Iatahiensis. 49
F. Bulla qua erigitur nova dioecesis de Iquique in Peruviana Rep. . . . 49
G. Bulla de Vicariatus ap. de Chiquitos erectione. 49
H. Bulla de erectione novae dioecesis Renensis in Foed. St. Am. Sept. . . . 50
I. Bulla de Basilica S. Pancratii M. de Urbe in paroeciam erecta 50

Pag.

K. Epistola ad R. P. D. Aegistum Melchiori, Ep. Nolanum, XV exeunte saeculo ab obitu S. Paulini 50
L. Bulla de constitutione novae sedis episcopalis dioec. Csanadiensis in Hungaria. 50
M. Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus. 50
N. Litterae de ecclesiis. 52
37. A. Litt. enc. *Lux veritatis,* de oecumenica Ephesina Synodo quindecim ante saecula celebrata (25 dec. 1931). 164
B. Epistola ad E.mos PP. Cardinales Archiepiscopos, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Germaniae pleno saeculo septimo ab obitu S. Elisabeth, Hungariae reginae (10 mai 1931). 165
48. A. Bulla de nova dioecesi de Vijayapuram 199
B. Bulla de nova dioecesi de Kottar 199
C. Bulla de nova dioecesi de Salem 199
D. Bulla de translatione sedis episcopalis Melensis 199
E. Bulla de novae B. M. V. Perdolentis paroeciae in Urbe erectione. . . . 200
F. Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus 200
G. Litterae de ecclesiis. 201
63. A. Bulla de nova praelatura *nullius* Iuruensis 252
B. Bulla de novae S. M. Auxiliatricis paroeciae in Urbe erectione 252
C. Epistola ad Emum Card. Gasparri, ei gratulans octogesimum a nativitate annum 252
D. Epistola ad Emum Card. Serafini, XXV ei gratulans appetentem natalem episcopatus eius 252
E. Interpretatio concordati cum Rumenia. 252
F. Statuta Consilii administrativi dioecesis Albae Iuliae 253
G. Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus 253
H. Litterae de ecclesiis. 253

S. C. S. Officii.

4. Responsum de casu matrimonii filiae a parente acatholico natae (9 iun. 1931) . . 14
Annotatio 16
5. Responsum litteris S. C. de Prop. Fide transmissum de implicita dispensatione ab impedimentis matrimonii (20 mai. 1931) 16
Annotatio 17
6. Decretum aliquot opera Eduardi Le Roy damnans (27 iun. 1931) 18
7. Decretum de degradatione edictali (15 iul. 1931) 19
8. Notificatio iterum habitum clericalem dimittere Sacerd. Antonino M. Cavaccari iubens (16 iul. 1931) 20
Annotatio 21
9. Notificatio de retractatione postulata (8 apr. 1931) 21
31. Decretum *Contingit aliquando,* de cautionibus in mixtis nuptiis praestandis (14 ian. 1932). 99
Annotationes 100
32. Normae a locorum Ordinariis prae oculis habendae in petendis dispensationibus a lege ieiunii eucharistici pro Sacerdotibus ante Missae celebrationem (1 iun. 1931) 105
Annotationes 107
33. Epistolae D. Leroy ad Card. Arch. Parisiensem post Supr. Congr. decretum damnans aliquot eius opera (27 iun. 1931) 108
41. A. Decretum damnans librum Leonis Daudet cui titulus « Les Bacchantes » (20 febr. 1932) 176
B. Decretum damnans librum Felicis Sartiaux cui titulus « Joseph Turmel, prêtre, historien des dogmes » (8 apr. 1932) 176

Pag.

58. Decreta damnantia :
I. Opus *Memoires, etc.* et dein opera omnia Alafridi Loisy 243
Annotatio 243
II. Librum Salvatoris Paglionica cui titulus *Compendio di econ. pol. e noz. di diritto* (5 iun. 1932) 244

Acta summatim relata.
20. Decretum librum cui titulus: *A Padre Pio di Pietralcina, l'Araldo del Signore,* prohibens (22 mai. 1931) 52

S. C. Consistorialis.

42. Decretum *Cum omnes dioeceses,* de translatione iurisdictionis in Abbatiam S. Mauritii Agaunensis (5 febr. 1932) 177

Acta summatim relata.
21. Decreta dismembrationis et translationis sedis episcopalis (20 aug. 1930 - 6 mart. et 19 iun. 1931). 52-53
Designationes tribunalium appellationum 53
49. I. Decreta mutationis finium, dismembrationis et unionis (5 dec. 1930 - 27 nov. 1931 - 2 ian. - 5 febr. 1932) 202
II. Monitum circa Sacerdotem Iosephum Marazzi 202
III. Designatio tribunalis appellationis 203

S. C. pro Eccl. Orientali.

10. Decretum de pia societate « Catholica Unio » et Statuta Societatis (6 ian. 1931) . 22
59. Decretum *Quinquagesimo exeunte anno,* de Ordine Basiliano S. Iosaphat (12 mai. 1932). 244
Annotatio 245

Acta summatim relata.
50. Approbatio Instituti et Constitutionum (6 mart. 1932) 203
64. Approbatio Congregationis et Constitutionum (11 iun. 1932) 254

S. C. Concilii.

11. Resolutio de iuribus annexis praecedentiae vic. gen. et capitularis (10 mai. 1931) . 24
Annotationes 25
12. Decretum de habitu ecclesiastico a Clericis deferendo (28 iul. 1931) 26
Annotationes 27
13. Decreto circa alcune formule del Catechismo di Pio X (4 ag. 1931) 28
Annotatio 29
43. Instructio de libero musicae sacrae usu in ecclesiis (25 febr. 1932) 178
Annotatio 179
45. Resolutio de proventibus fodinarum beneficialium (12-17 dec. 1931) 193
Annotationes 195
60. Decretum de gratiarum et oblationum in piis ephemeridibus evulgatione (7 iun. 1932) 246
Annotationes 247

Acta summatim relata.
65. Ordinatio de annuis conventibus Episcoporum Italiae (21 iun. 1932). 254

S. C. de Sacramentis.

14. Instructio circa dispensationes super impedimento consanguinitatis in primo lineae collateralis gradu mixto cum secundo impetrandas (1 aug. 1931). 30
Annotatio 33

Pag.

34. I. Decretum *Ut locorum*, cum annexis formulis de processu super nullitate S. Ordinationis vel onerum (9 iun. 1931). 109
II. Appendix seu formulae 126
Annotanda 145
Annotationes 146
72. Responsio *Plures petitiones*, de aetate confirmandorum (30 iun. 1932). . . . 275
Annotationes 276
73 Litterae circulares de tractatione causarum matrimonialium (1 iul. 1932) . . . 278
Annotationes 280

S. C. de Religiosis.

44. Instructio *Quantum religiones*, ad Supremos Religionum et Societatum Clericalium Moderatores (1 dec. 1931) 179
I. *De formatione alumnorum ad ordines promovendorum* 181
II. *De scrutinio ante susceptionem ordinum peragendo* 184
Annotationes 188
I. De Priore Parte: *Generalis institutio* 188
II. De Altera Parte: *Scrutinium* 191
1. *De Ordinibus minoribus* 191
2. *De Ordinibus maioribus* 192
46. Notificazione a tutti i Superiori di Ordini e Congregazioni Religiose (24 apr. 1932) . 197
Annotatio 197

Acta summatim relata.

22. Decretum Statuta Sor. extern. monast. Monialium approbans (16 iul. 1931) . . 53

S. C. de Prop. Fide.

61. Responsa de calendario in Missionibus (18 mai. 1932) 248

Acta summatim relata.

23. Approbationes Institutorum vel Constitutionum 53
66. I. Approbatio Constitutionis (30 dec. 1931) 254
II. Designatio curiae appellationis. 254

S. C. Rituum.

15. Decretum de instrumentorum benedictione ad montes conscendendos (14 oct. 1931). 33
16. Responsum de calendario in missionibus et festo S. Teresiae a Iesu (23 mart. 1929) 34
Annotationes 35

Acta summatim relata.

24. I. Variationes in rubricis Kalendarii, Breviarii et Missalis (1 nov. 1931) . . 53
Annotationes 53
51. II. Causae beatificationis et canonizationis 56
A. Causae canonizationis et beatificationis (10 dec. 1931 - 24 ian. - 28 febr. 1932). 203
B. Decretum de Officiis, Missis et Elogiis de novis festis (6 ian. 1932) 203
67. Causae canonizationis et beatificationis (3-13 apr. 1932) 255

S. C. Caeremonialis.

Acta summatim relata.

25. Decretum controversiam inter Ord. Melitensem et Ord. S. Sepulcri dirimens (5 aug. 1931) 57

S. Paenitentiaria Apostolica.

35. Decretum *Pium viae Crucis*, de indulgentiis pio « Viae Crucis » exercitio annexis (20 oct. 1931) 146

Pag.

Annotationes 148

47. Decretum *Sacra Poenitentiaria,* indulgentias B. M. V. Guadalupensis imaginem visitantibus concedens (16 febr. 1932) 198

Annotationes 198

62. I. Decretum *Ut fideles,* ex aud. SS.mi, de indulgentiis « *Stationibus* » adnexis (12 apr. 1932) 250

II. Concessio novae indulgentiae plenariae Archiconfr. Doctrinae Christ. adscriptis (2 mart. 1932) 251

S. R. Rota.

Acta summatim relata.

52. Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae anno 1931 204

Pont. Com. Cod. Int.

17. Responsa de ultimis sacramentis ministrandis, de aetate confirmandorum, de causis matrimonialibus et de declaratione nullitatis matrimonii (15 iun. 1931) . . . 37

Annotationes 38

18. Responsa de celebratione matrimonii, de matrimoniis acatholicorum et de processu informativo in causis Servorum Dei (25 iul. 1931) 41

Annotationes 42

74. I. Responsa de concursu paroeciali, de impedimento publico matrimonii, de separatione coniugum (25 iun. 1932) 282

II. Responsa de constitutione tribunalis collegialis, de iudicio super martyrio Servorum Dei (28 iul. 1932) 282

Annotationes 283

Secretaria Status.

36. Epistola ad R. P. Wlodimirum Ledóchowski, Praepositum generalem Societatis Iesu (29 oct. 1931) 160

Provisio Ecclesiarum.

26. I. Decretis S. C. Consistorialis 57

II. Decretis S. C. de Prop. Fide 59

53. I. Decretis S. C. Consistorialis 205

II. S. C. de Prop. Fide 206

68. I. Decretis S. C. Consistorialis 255

II. Decreto S. C. pro Eccl. Orient. 256

Nominationes.

27. A. Brevibus Apostolicis 59

B. Decretis S. C. de Prop. Fide 59

54. A. Brevibus Apostolicis. 206

B. Decretis S. C. de Prop. Fide 207

69. A. Brevibus Apostolicis. 256

B. Decretis S. C. de Prop. Fide 256

Necrologium.

28. 60

55. 207

70. 258

Bibliographia 61. 166. 208. 259

MONUMENTORUM

INDEX CRONOLOGICUS

N. B. *Loci in quibus monumenta* plene *exscripta reperiuntur, numeris* crassioribus *designantur: numeris* italicis *indicantur loci ubi quaedam ad verba allegantur*

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1206	28 aug.	Epistola	Innocentius III	*75**	
1480	30 apr.	Breve	Sixtus IV	151	
1633	8 sept.	Responsum	S. C. S. Officii	*76**	
1678	7 mart.	Decretum	S. C. de Indulg.	121	
1686	5 sept.	Constitutio	Innocentius XI	152	
»	6 nov.	Breve Ap.	»	152	
1690	12 febr.	Decretum	S. C. Concilii	162*-163*-164*	
1692	24 dec.	Breve	Innocentius XII	152	
1696	5 dec.	Litt. Ap.	»	152	
1726	3 mart.	Constitutio	Benedictus XIII	*152*	
1731	16 ian.	Breve	Clemens XII	150-*153*	
»	3 apr.	Decretum	»	*149*-150-*153*-154	
1732	15 nov.	Responsum	S. C. de Indulg.	150	
1741	30 aug.	Breve	Benedictus XIV	150	
»	14 dec.	Constitutio	»	*283*	
1742	10 mai.	Rescriptum	S. C. de Indulg.	150	
1748	24 febr.	Const. Apost.	Benedictus XIV	249	
»	1 mart.	»	»	109	
1749	30 apr.	»	»	186*	
1756	1 mart.	»	»	*78**	
1759	19 mai.	Responsum	S. C. de Indulg.	117*	
1760	16 dec.	Rescriptum	»	*120**	
1773	26 ian.	Breve	Clemens XIV	156. 158	
1801	28 mart.	Responsum	S. C. Rituum	166*	
1824	16 sep .	Instructio	S. C. S. Officii	17	
1836	22 nov.	Chirographum	Gregorius XVI	31-33	
1841	30 apr.	Litterae	»	180*	
1844	14 ian.	Responsum	S. C. de Prop. Fide	*238**	
1847	17 iun.	Litt. Apost.	Pius IX	181	
1856	7 »	Declaratio	S. C. Concilii	*97**	
1858	15 nov.	Instructio	Secret. Status	104	
1859	16 sept.	Decretum	Pius IX	148	
1868	6 mart.	Responsum	S. C. Episc. et Reg.	*195*	
1871	27 apr.	Instructio	S. C. de Prop. Fide	*185**	
»	14 mai.	Decretum	S. C. de Indulg.	151	
»	3 iun.	Instructio	S. C. Officii	*101*	
1872	22 apr.	Decretum	S. C. Episc. et Reg.	235*	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1876	15 sept.	Breve	Pius IX	241. 242	
1879	17 mart.	Declaratio	Leo XIII	238*. 239*.	
»	18 aug.	Responsum	S. C. Concilii	*165**	
1880	10 febr.	Litt. Enc.	Leo XIII	*101*	
1882	12 mai.	Litt. Apost.	»	244. 245	
1888	18 »	Decretum	S. C. de Relig.	46*	
1889	5 iun.	Declaratio	S. C. S. Officii	40	
»	24 aug.	Litt. circul.	S. C. Episc. et Reg.	254	65
1890	19 aug.	Decretum	S. C. Rituum	90	
»	9 sept.	Breve	Leo XIII	157	
1892	7 »	Responsum	S. C. S. Officii	*158**-159*	
1894	30 nov.	Litt. Apost.	Leo XIII	22	10
1896	6 mart.	Responsum	S. C. Rituum	*166**	
1898	16 febr.	Coll. decr.	»	127*	
»	30 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	159*	
1899	15 dec.	»	S. C. Rituum	34-36	
1902	10 »	Responsum	S. C. S. Officii	*104*	
1905	20 »	Decretum	S. C. Concilii	35*	
1907	8 sept.	Litt. Enc.	Pius X	246	
1908	27 iul.	Responsum	S. C. Concilii	*195*	
1909	7 sept.	Declaratio	S. C. de Relig.	190	
1910	12-13 mart.	»	S. C. de Sacram.	*42*	
»	22 apr.	Decretum	S. C. Rituum	34-36	
»	1 sept.	Motu Proprio	Pius X	189-190	
»	25 »	Declaratio	S. C. Consist.	189	
1911	27 mai.	Decretum	S. C. Rituum	167*	
1912	18 oct.	Litt. Apost.	Pius X	28	
»	22 nov.	Motu Proprio	»	178	
1913	4 aug.	Epistola	»	181	
»	9 »	Responsum	S. C. Concilii	164*	
»	28 oct.	Decretum	S. C. Rituum	35-36-249	
»	15 dec.	Responsum	S. C. Concilii	163*	
1914	23 mart.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	35	
»	8 sept.	Hortatio	Benedictus XV	5	
»	1 nov.	Litt. Enc.	»	5	
1915	20 mart.	Declaratio	S. C. Rituum	56*	
»	31 »	Decretum	»	128*	
»	22 iun.	Allocutio	Benedictus XV	5	
1916	12 iul.	Sententia	S. C. S. Officii	20	8
»	» »	Responsum	S. C. de Sacram.	45	
1917	1 aug.	Adhortatio	Benedictus XV	3-5	
1918	17 febr.	Responsum	P. Com. C. Int.	41*-164*	
»	5 apr.	Decretum	S. C. S. Officii	181*	
»	2-3 iun.	Responsum	P. Com. C. Int.	*92**	
»	8 nov.	Epistola	Benedictus XV	5	
»	1 dec.	Litt. Enc.	»	5	
1919	22 mart.	Litt. circ.	S. C. Consist.	254	
»	5 mai.	Epistola	Benedictus XV	5	
»	17 aug.	Responsum	P. Comm. C. Int.	236*	
1920	24 nov.	»	»	233*	
1921	12 oct.	Indultum Ap.	Benedictus XV	42*	
1922	7 apr.	Litt. Aut.	Pius XI	3-5	
»	29 »	»	»	5	
»	20 iun.	Sententia	S. R. Rota	39	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1923	22 mart.	Normae	S. C. S. Officii	107-108	
»	13 mai.	Litt. Apost.	Pius XI	6-7	
1924	19 mart.	Epist. Apost.	»	179-189	
»	2 apr.	Responsum	S. C. S. Officii	171*	
»	14 »	Rescriptum	S. C. Orient.	*191**	
1925	28 »	Approbatio	Pius XI	46*	
»	21 iun.	Responsum	S. C. S. Officii	158*	
»	13 nov.	Decretum	S. C. Rituum	249	
1926	2 febr.	Epist. Apost.	Pius XI	269. 274	
»	16 iul.	Responsum	S. C. de Prop. Fide	177*	
»	18 nov.	Litt. Enc.	Pius XI	262. 274	
1927	10 mai.	Concordatum	»	*252*	63E
»	14 dec.	Declaratio	S. C. Rituum	*35*. 249	
1928	10 mart.	Interpretatio	P. Com. C. Int.	*41-42*	
»	14 apr.	Bulla	Pius XI	*49*	19B
1929	11 febr.	Concordatum	»	21	
»	1 mart.	Bulla	»	*49*	19C
»	22 »	»	»	*49*	19D
»	23 »	Responsum	S. C. Rituum	*34*	16
»	7 iun.	Concordatum	Pius XI	21	
»	21 »	Bulla	»	*49*	19E
»	20 iul.	Responsum	P. Com. C. Int.	15-16-*41*	
»	29 »	»	»	*45-46*	
»	14 dec.	Breve	Pius XI	*50*	19M
»	20 »	Bulla	»	*49*	19F
1930	27 ian.	»	»	*49*	19G
»	13 mart.	Decretum	S. C. Rituum	249	
»	14 iul.	Bulla	Pius XI	*199*	48A
»	20 aug.	Decretum	S. C. Consist.	*52*	21
»	20 nov.	Breve	Pius XI	*50*	19M
»	28 »	Decretum	S. C. S. Officii	274	
»	5 dec.	»	S. C. Consist.	*202*	49I
»	20 »	Breve	Pius XI	*50*	19M
»	24 »	Allocutio	»	3-5	
»	27 »	Instructio	S. C. de Sacram.	138. 146. 180. 188	
»	31 »	Litt. Enc.	Pius XI	*101*	
1931	3 ian.	Brevia	»	*50*	19M
»	4 »	»	»	*50-51*	19M
»	6 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	**22**	10
»	10 febr.	»	S. C. de Prop. Fide	*53*	23
»	12 »	Nuncium rad.	Pius XI	180	
»	20 »	Breve	»	*52*	19N
»	1 mart.	»	»	*51*	19M
»	3 »	»	»	*51*	19M
»	6 »	Decretum	S. C. Consist.	*52*	21
»	9 »	Breve	Pius XI	*52*	19N
»	25 »	Decretum	S. C. de Indulg.	147	
»	» »	»	S. Poen. Apost.	121*	
»	27 »	Bulla	Pius XI	*50*	19H
»	30 »	Decreta	S. C. Rituum	*56*	24II
»	31 »	Breve	Pius XI	*200*	48F
»	1 apr.	»	»	*200*	48F
»	3 »	»	»	*200*	48F

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1931	5 apr.	Breve	Pius XI	*200*	48F
»	7 »	»	»	*51*	19M
»	8 »	»	»	*51*	19M
»	» »	Notificatio	S. C. S. Officii	**21**	9
»	10 »	Breve	Pius XI	*51*	19M
»	12 »	Bulla	»	*50*	19I
»	15 »	Epistola	»	*50*	19K
»	» »	Breve	»	*253*	63G
»	24 »	Motu Proprio	»	**13**	3
»	26 »	Chirographum	»	*47*	19A I
	1 mai.	Epistola	»	*165*	37B
»	6 »	Brevia	»	*200*	48F
»	7 »	Breve	»	*201*	48F
»	10 »	Resolutio	S. C. Concilii	**24**	11
»	15 »	Breve	Pius XI	*201*	48G
»	18 »	Descriptum	S. C. Consist.	*53*	21
»	20 »	Responsum	S. C. S. Officii	**16**	5
»	22 »	Bulla	Pius XI	*253*	63A
»	» »	Decretum	S. C. S. Officii	*52*	20
»	26 »	Bullae	Pius XI	*199*	48B-C
»	31 »	Sermo	»	*48*	19 A III
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*56*	24II
»	9 iun.	Responsum	S. C. S. Officii	**14-15**	4
»	» »	Decretum	S. C. de Sacram.	**109**	34
»	16 »	Brevia	Pius XI	*51-52*	
»	» »	Responsa	P. Com. C. Int.	**37**	17
»	17 »	Breve	Pius XI	*201*	48F
»	18 »	»	»	*51*	19M
»	19 »	Bulla	»	*50*	19L
»	» »	Decretum	S. C. Consist.	*53*	21
»	20 »	Breve	Pius XI	*51. 202*	
»	27 »	Decretum	S. C. S. Officii	**18. 108**	6. 33
»	29 »	Litt. Enc.	Pius XI	*48*	19 AII
»	» »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*53*	23
»	1 iul.	Breve	Pius XI	*52*	19M
»	» »	Normae	S. C. S. Officii	**105**	32
»	2 »	Breve	Pius XI	*52*	19M
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	249	
»	15 »		S. C. S. Officii	**19**	7
»	16 »	Notificatio	»	**20**	8
»	» »	Decretum	S. C. de Relig.	43*. *53*	22
»	19 »	»	S. C. Rituum	*56*	24II
»	25 »	Responsum	S. C. de Sacram.	44	
»	» »	Responsa	P. Com. C. Int.	**41**	18
»	28 »	Decretum	S. C. Concilii	**26**	12
»	1 aug.	Instructio	S. C. de Sacram.	**30**	14
»	4 »	Decretum	S. C. Concilii	**28**	13
»	5 »	Breve	Pius XI	*253*	63H
»	» »	Decretum	S. C. Caerem.	*57*	25
»	6 »	»	S. C. Rituum	*56*	24II
»	11 »	Bulla	Pius XI	*199*	48D
»	17 »	Breve	»	*201*	48F
»	20 »	»	»	*201*	48F

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1931	21 aug.	Breve	Pius XI	*253*	63H
»	22 »	»	»	*201*	48F
»	8 sept.	»	»	*201*	48F
»	17 »	Brevia	»	**62**. *52*	19M
»	22 »	Rescriptum	S. C. Consist.	*53*	21
»	26 »	Breve	Pius XI	*253*	63G
»	2 oct.	Litt. Enc.	»	**1**	1
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	**33**	15
»	20 »	»	S. Poen. Apost.	117* 122* **146**	35
»	26 »	Rescriptum	S. C. Consist.	*53*	21
»	29 »	Epistola	Secr. Status	**160**	36
»	1 nov.	Breve	Pius XI	*253*	63G
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*53*	24I
»	3 »	Brevia	Pius XI	*253*	63G
»	25 »	Breve	»	*254*	63H
»	27 »	Decretum	S. C. Consist.	*202*	49I
»	» »	Rescriptum	S. C. de Relig.	183*	
»	1 dec.	Instructio	»	**179**	44
»	8 »	Breve	Pius XI	*254*	63H
»	12-17 »	Resolutio	S. C. Concilii	**193**	45
»	15 »	Bulla	Pius XI	**173**	40
»	16 »	Litt. Decr.	»	**73**	29
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*203*	51A
»	25 »	Litt. Enc.	Pius XI	*164*	37A
»	30 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*254*	66I
1932	2 ian.	»	S. C. Consist.	*202*	49I
»	6 »	Bulla	Pius XI	**92**	30A
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	*203*	51B
»	10 »	Litt. Apost.	Pius XI	**94**	30B
»	12 »	Breve	»	*201*	48F
»	14 »	Decretum	S. C. S. Officii	**99**. 100. 103.	31
»	24 »	»	S. C. Rituum	*203*	51A
»	2 febr.	Bulla	Pius XI	*200*	48E
»	5 »	Decretum	S. C. Consist.	**177**. *202*	42. 49I
»	12 »	Allocutio	Pius XI	**169**	38
»	16 »	Decretum	S. C. Rituum	*249*	
»	» »	»	S. Poen. Apost.	**193**	47
»	20 »	»	S. C. S. Officii	**176**	41A
»	25 »	Instructio	S. C. Concilii	**178**	43
»	28 »	Decretum	S. C. Rituum	*203*	51A
»	2 mart.	Indultum	S. Poen. Apost.	*251*	62II
»	9 »	Rescriptum	S. C. Consist.	*203*	49III
»	16 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	*203*	50
»	22 »	»	S. C. Consist.	*202*	49 I
»	25 »	Litt. Enc.	Pius XI	**221**	56
»	» »	Bulla	»	*252*	63B
»	3 apr.	Decretum	S. C. Rituum	*255*	67
»	8 »	»	S. C. Officii	**176**	41B
»	12 »	»	S. Poen. Apost.	**250**	62I
»	13 »	»	S. C. Rituum	*255*	67
»	24 »	Notificatio	S. C. de Relig.	**197**	46

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1932	25 apr.	Epistola	Pius XI	*252*	63c
»	26 »	Breve	»	**171**	39
»	12 mai.	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	**244**	59
»	18 »	Responsa	S. C. de Prop. Fide	**248**	61
»	22 »	Epistola	Pius XI	*252*	63d
»	3 iun.	Breve	»	**241**	57
»	7 »	Decretum	S. C. Concilii	**246**	60
»	11 »	»	S. C. pro Eccl. Orient.	*254*	64
»	21 »	Decisio	S. C. Concilii	*254*	65
»	25 »	Decreta	S. C. S. Officii	**243, 244**	58
»	» »	Responsa	P. Com. C. Int.	*282*	74i
»	30 »	Responsum	S. C. de Sacram.	**275**	72
»	1 iul.	Litt. circul.	»	**278**	73
»	28 »	Responsa	P. Com. C. Int.	**282**	74ii
»	29 sept.	Epist. Enc.	Pius XI	**261**	71

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant; asteriscus paginas prioris Partis significat.

Acta Apost. Sedis. Sorores externae monasteriorum, 43*-50*. — De calendario ecclesiae cathedralis, 128*.

Acta S. Sedis. De honestate publica ex matrimonio civili, 239*.

I. Aertnys, C. SS. R. De occasione proxima, 2*. 27*. Eius definitio, 154*.

Aertnys-Damen, C. SS. R. De consulente minus malum, 64*. — De abortu indirecto, 104*. — De viatico ex devotione, 125*. — Opus, 209.

S. Alphonsus, C. SS. R. De occasione proxima, 17*. 23*. 24* nota, 32*. 34*. — De consulente minus malum, 63* nota; 67*. — De occisione indirecta, 101*. — De proximo peccandi periculo, 131*. — De veniali sucente ad mortale, 134*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 138*.

Apollinaris. De applicatione ad anteriora matrimonia decl. de acatholicis, 46.

G. Arendt, S. I. Usus privilegii Paulini ab haereticis, 174*.

Arregui, S. I. De occasione proxima, 29*. — De consulente minus malum, 64*.

Severino Aznar. Opus, 208.

Ab Azpilcueta (Dr Navarrus). De occasione proxima, 12.* 24*. — De consulente minus malum, 63* nota.

Ballerini, S. I. De occasione proxima, 17*. 25*. 26* nota. 34*. — De consulente minus malum, 64*. — De causalitate indirecta, 115*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*.

Reijersbergen, S. I. De indulgentiis viae crucis, 118*. 119*.

Bender, O. P. De consilio minoris mali, 57*. 60* nota.

Benedictus XIV. De actibus cultus publici et privati, 186*.

Benedictus XV. Hortationes in bello et post inducias, 2. 5.

Ae. Berardi. De occasione proxima, 2*. 27*. — De occisione indirecta, 104*.

Beringer, S. I. De interruptione viae crucis, 119*. 120*.

Bernasconi, edens Acta Gregorii XVI, 33.

Besson (Exc. D.) petens confirmationem et novam publicam approbationem Soc. « Catholica Unio » ad fovendas vocationes indigenarum Orientalium, 22-24.

Billuart, O. P. De consulente minus malum, 68*. 71*.

L. A. Bocquillot. Historia liturgiae, 205*. nota; 207* vota.

A. Baggiano Pico. Opus, 208.

Bonacina, De occasione proxima, 15*-24*.

Boudinhon. Impedimentum criminis ex promissione informi, 238*. 239*.

Bouix. De concursu paroeciali, 284.

Bouvier. De occasione proxima, 27*.

Theodor Brauer. Opus, 208.

George O' Brien. Opus, 209.

Brightman. De liturgiis, 211* nota.

I. Brocchi. De occasione proxima, 2*. 15*. 23*.

P. A. Bruccoleri, S. I. Opus, 208.

Bucceroni, S. I. De consulente minus malum, 64*.

Bulot, S. I. De consulente minus malum, 64*.

Busembaum, S. I. De occasione proxima, 23*. De occisione indirecta, 105*.

Antoninus Caccavari redactus ad statum laicalem in poenam, 20.

Caietanus, O. P. De consulente minus malum 65*. 66*. 67*. 70*. De causalitate

per se et per accidens, 102*. - De occisione indirecta, 105*. — De diligentia adhibenda, 108* nota.

F. Cappello, S. I. De occasione proxima, 30*. — De sibi conferente Extr. unctionem, 82*. — De officiis mere ethicis, 94* nota. — De viatico ex devotione, 125*. — De privilegio Paulino post baptismum condicionatum, 177*. — Usus c. 858 § 2 de ieiunio eucharistico, ab Orientali, 191*. — Opus, 259.

Caramuel, O. Cist. De occasione proxima, 20*. 34*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*.

I. Cardenas, S. I. De occasione proxima, 21*.-34*. — De periculo proximo peccandi, 131*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*. 139*.

Evaristo Carusi. Opus, 62.

Castropalao. De vi promissionis, 90*.

Cathrein, S. I. De officiis mere ethicis, 94*. nota.

Lucien Chambat. Opus, 64.

Claeys Boúúaert. De vi promissionis matrimonii, 89*.

F. Cimetier. Opus, 167.

Collectanea S. C. de Prop. Fide, vetans administrationem sacramenti ab ipso suscipiente, 76*. 78*.

Commissio Pontificia Int. Cod. De reparatione damnorum propter sponsalia, 92*. — De festis in quibus missa pro populo applicanda est, 164*. — De incardinatione per ordinationem pro alia dioecesi, 236*.

Concina. De occasione proxima, 24*.

SS. Congregationes Romanae.

Suprema C. S. Officii. Validas pronuntiat quasdam baptismi formulas, 76*. 77*. — De partus acceleratione, 114*. — De copia aquae in calice qui ordinandis porrigitur, 157*. 158*. — De protensione manus versus ordinandos, 159*. — Solutio de privilegio Fidei, 170*. 174* ; de matrimonio filiae a parente acatholico natae, 14.-16. — De applicatione ad anteriora matrimoni declar. 29 iul. 1929 de acatholicis, 46. — De cautionibus in mixtis nuptiis, 99. 100. 104.

SS. Congregationes Romanae. (sequitur).

— *Concilii.* De vitanda coactione pro matrimonio, 97*.

— De missa pro populo in festo suppresso, 163* ; incidente in Dominicam, 164*.

— *de Religiosis.* De externis monasteriorum Sororibus, 43*.-51*.

— *de Indulgentiis.* De ordine operum ad lucrandas indulgentias, 117*. 118*. De interruptione viae crucis, 120*. — De plenaria indulg. semel in die, 121*.

— *de Sacramentis.* De nimia aqua in calice ordinandorum, 157*. 158*. — De omissa protensione manus versus ordinandos, 159*.

— *Rituum* : De festo Annuntiationis, 162*. 163*. — De Missa pro populo, 165*.-166*. Quaen. missa pro populo celebranda sit in Dominica, 167*.

S. Congr. *Rituum* exhibendum calendarium reformatum, 35.

— *De Propaganda Fide.* De privilegio Fidei, 177*.

Constantin. Opus, 63.

Corduba. De occasione proxima, 15*.

Cornelisse, O. F. M. De consulente minus malum, 64*. — De abortu indirecto, 104*.

I. Creusen, S. I. De statutis Sororum externarum, 50*. — De Fidei privilegio, 175*. — De Paulina privilegio, 177*.

Cuénot. Opus, 63.

d' Annibale (Card.). De occasione proxima, 27*. — De consulente minus malum, 64*. — De abortu indirecto, 103*.

Leo Daudet. Opus ipso iure damnatum in Indicem inseri debet, 176.

Henry Davis, S. I. Opus, 63.

Iulius de Becker, Opus, 61.

Albertus Del Fante. Opus prohibitum, 52.

Paul De Iaegher, S. I. Opus, 64.

Vincenzo Del Giudice. Opus, 210.

Guillelmo Delhora. Opus damnatum, 274.

de Moleon. Pontificalia eccl. Aurelianensis, 206* nota; 207* nota ; 208* nota.

De Puniet. De concelebratione Eucharistica, 199*. 200*.
De San, S. I. De causalitate accidentali, 107*.
Cl. de Vert. De caerimoniis Eccl. explicandis, 205* nota; 207* nota.
Stephanus Carton De Wiart. Opus, 167. 259.
Diana. De occasione proxima, 21*. — De consulente minus malum, 63* nota.
Eugene A. Dooley, S. I. Opus, 167.
E. Duplessy. Opera, 168. 211.
Durandus. De concelebratione, 204*.
Eugène Duthoit. Opus, 208.
Louis Duval-Arnould. Opus, 208.
Ehrle S. I. (Card.) deputatus a SS. D. iudicat de meritis scientificis S. Bellarmini, 6 nota. Ponens in causa S. Alberti M., 84.
Eichmann. De can. 1435 § 1 interpretatione, 161*.
Elbel-Bierbaum. De consulente minus malum, 64*.
Ephemerides liturgicae. De Credo in missis Titularium, 39*. De indulto dioec. Vratislav. circa festa S. I. B. et Assumptionis, et obligatione religiosorum, 43*. — De calendario ecclesiae cathedralis, 56*.
Ephemerides Theol. Lovan., De consilio minoris mali, 57*.-74*. — De baptismo, 79*. — De causalitate accidentali, 106*.
P. Valère Fallon, S. I. Opus, 208.
Fanfani, O. P. De viatico ex devotione, 124*.
Ferraris, O. F. M. De concursu paroeciali, 284.
Ferreres, S. I. De occasione proxima, 28*. — De consulente minus malum, 64*. — De occisione indirecta, 108*.
S. Franc. Borgia, S. I. Hebdomadaria communio, 36*.
S. Franciscus Salesius originem dans Tourières, 44*.
Wolfang N. Frey, O. S. B. Opus, 61.
Frins, S. I. De causalitate indirecta, 110*. 111*.
Gabriel a S. Vincentio. De vi promissionis, 90*.
Dr. Grabmann votum de S. Alberto M. rogatus, 291.
Gasparri (Card.). De monitione facienda ei qui sine causa recedit a sponsalibus, 97*. — Quid attentatio matrimonii, 239*. — Ipsi Pontifex 80 annos aetatis gratulatur, 252.
Gemelli, O. F. M. De abortu indirecto, 103*. 106*. 109*. 114*. — Opus, 208.
Génicot, S. I. De occasione proxima, 17*. 29*. — De consulente minus malum, 64*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*.
Génicot-Salsmans, 103*.
Em. Georges. Opus, 167.
Gesterman, C. SS. R. De occasione proxima, 27*.
Giurisprudenza italiana. De obligatione naturali, 94* nota.
Gobat. De occasione proxima, 21*.
Gousset (Card.). De occasione proxima, 27*.
Georges Goyau. Opus, 208.
Ferdinand Graf Degenfeld-Schonburg. Opus, 208.
Gury, S. I. De occasione proxima, 25*.
Gury - Tummulo, S. I. De consulente minus malum, 64*.
I. Habert. Archieratikon, 210* nota.
Frank O. Hara. Opus, 209.
Haegy, C. S. Spir. De missa pro populo, translata Annuntiatione B. M. V. 164*.
Haine. De consulente minus malum, 64*.
Hanssens, S. I. Institut. liturgicae de ritibus orientalibus, 211*.
P. Leo O'Hea, S. I. Opus, 209.
Henriquez, S. I. De consulente minus malum, 62* nota; 64* nota.
Dietrich von Hildebrand. Opus, 208.
Hinschius. De pseudo-Isidor. collectione, 196*.
Emil Erich Hölscher. Opus, 211.
Victor Hostachy, M. S. Opus, 62.
Oscar Huf, S. I. Opus, 212.
Franz Hürth, S. I. Opus, 63.
Ioannes a S. Thoma, O. P. De consulente minus malum, 59* nota.
Holzmann. De occasione proxima, 24*.

Hürth, S. I. De occasione proxima, 29*.
P. Ioseph Iansen. Opus, 61.
Carolus Iessen. Laus S. Alb. M. et laudis sensus, 79. 91 nota.
G. Joannès. Opus, 260.
Jambart, S. I. De unitate familiae Monialium et Tourières, 51*.
Jorio (Exc D.). De communione infirmorum, 35*-38*. — Opus, 35*. — De confessario occasionali, 232*-235*.
B. Iuliana a Cornillon. Rogata eius cultus extensio, 91.
Ius Pontificium. De vi promissionis matrimonialis, 99*. 100*. 229*.
Erwin von Kienitz. Opus, 62.
Kiselstein. De causalitate indirecta, 102*. 106*. 109*.
Konings, C. SS. R. De occasione proxima, 27*. — De consulente minus malum, 64*.
Cl. Lacroix, S. I. De occasione proxima, 23*. 24*. — De proximo peccandi periculo, 131*. 132*. 135*. 139*.
M. I. Lagrange, O. P. De loco Script. « Si manus tua scandalizat te », 2*.
E. Laveille, S. I. Opus, 64.
Laymann, S. I. De occasione proxima, 20*. 24*. — De consulente minus malum, 64* nota, 71*.
Leander a Murcia. De occasione proxima, 19*. 21*.
Heinrich Lechtape. Opus, 208.
H. Leclercq, O. S. B. De habitu cantorum, 199*.
Jacques Leclercq. Opus, 62.
Lega (Card.) probans opus Exc. **Jorio**, 35*.
Georges Legrand. Opus, 208.
Lehmkuhl, S. I. *De occasione proxima*, 28*. — De consulente minus malum, 64*. — De abortu indirecto, 103*. 115*. — De intentione pro indulgentiis, 119*. — De tentatione Dei, 145*. — De copia aquae in calice qui ordinandis porrigitur, 158* nota. — De protensione manus versus ordinandos, 159*.
Leo X approbans tertiam regulam S. Francisci, 46*. 48*. 49*.
Leo XIII concedens vota « Tourières » 46*. — Collectionem Rituum promulgans, 127*. — negans matrimonio civili contrahi imped. publicae honestatis, 239*. — laudans S. Albertum M. et indulgentias tribuens visitantibus templum Rigae, 80. 82. — contra matrimonia mixta, 101. — Littera de Ordine S. Basilii, 245.
Léonet. Opus, 63.
Lépicier (Card.) deputatus a SS. D. iudicans de meritis S. Bellarmini, 6 nota. — Opus, 166.
M. Lepin. Opus, 64.
Le Roy Eduardus. Opera damnata, 18. Eius submissio, 108. 109.
Lessius, S. I. De consulente minus malum, 64*. 72*. — De propria promissionis vi, 89*.
Létard. Opus, 63.
Loisy. Opera omnia damnantur, 243.
L. Lopez. De occasione proxima, 14*. 31*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*.
Ch. Louwers, S. I. Opus, 63.
I. de Lugo, S. I. De occasione proxima, 17*. 24*. 32*. — De consulente minus malum, 63* nota. 72*. — De occisione indirecta, 106*. De conculcato infante, 113* nota.
Mac-Auliffe. Opus, 63.
Elie Maire. Opus, 168.
N. Manetti Cusa. Opus, 211.
Marc, C. SS. R. De occasione proxima, 27*. — De consulente minus malum, 64*.
Marc-Gestermann, C. SS. R. De iure parochi ad viaticum dandum, 125*.
Marchetti Selvaggiani (Card. Vicarius): Pastoralis Visitatio Urbis ipsi commissa, 92-99.
Federico Marconcini. Opus, 208.
R. Maroto, F. C. M. de applicatione ad anteriora matrimonia declar. 25 iul. 1931, 46.
Mario Marsili Libelli. Opus, 208.
Martène. De ritibus antiquis, 206* nota; 207* nota; 208* nota.
Mayet. Opus, 63.

Iacopo Mazzei. Opus, 208.
Medina, O. P. De consulente minus malum, 63* nota; 67*.
Benedictus H. Merkelbach, O. P. Opus, 210.
Moritz Meschler, S. I. Opus, 166.
Dom G. Meunier, O. S. B. Opus, 211.
Meyer, S. I. De officiis mere ethicis, 94* nota.
Molina, S. I. De consulente minus malum, 63* nota. 67*. 72*. — De propria promissionis vi, 89*.
Monacelli. De concursu paroeciali, 284.
Monchanin. Opus, 63.
Monitore Ecclesiastico. « Tourières » unde oriundae, 44*. De usu ab Orientali privilegiorum Codicis de communione privata in domo, 191*.
Monitore Tribunali. De obligatione naturali, 94* nota.
Henry Morice. Opus, 168.
I. Morinus. De concelebratione, 200*.
P. Albert Muntsch, S. I. Opus, 208.
P. Oswald von Nell-Breuning, S. I. Opera, 209. 259.
Nicodemos Monach. Hagiorites. De concelebratione in Ecc. orient., 215*.
Noldin, S. I. De occasione proxima, 28*. — De consulente minus malum, 64*. 71*. — De obligatione vitandi probabile peccandi periculum, 135*.
Noldin-Schmitz, S. I. De occisione indirecta, 104*.
Ojetti, S. I. De occasione proxima, 28*.
Osservatore Romano. De abortu, 115*.
Pacifici-Manzoni. De usufructu fodinae, 196.
S. Paenitentiariae. Decretum de indulgentiis viae crucis, 117*. — Quid pro infirmis, 121*. 122*.
Salvator Paglionica. Opus damnatum, 244.
Palmieri, S. I. Intentio pro indulgentiis, 119*.
P. Joseph Palombo, C. SS. R. Opus, 167.
Fr. Gerardus M. Paris, O. P. Opus, 166.
S. Paulinus. Epistola de quinto decimo exeunte saeculo ab eius obitu, 50.
Pauwels, S. I. De calendario Vicariatus Apostolici, 35. 36.
Fr. Pelster, S. I. votum de S. Alberto M. rogatus, 291.
Periodica de re morali, canonica, liturgica. De festis Patronorum, VII, 267. De officio adhibendo a religiosis, 41*. — De indole symbolica Sacramentorum, 86*. — De usu crocifixi pro indulgentis viae crucis, 122*. — De facultate interpellandi coniugem ante baptismum, 188*. — De concelebratione eucharistica, XVI, 143*-154*; XVII, 93*-127*. — De incardinatione per ordinationem pro aliena dioecesi, 236*. Acta Ben. XV et Pii XI de pace restituenda vel fovenda, 5.
Ioseph M. Pernicone. Opus, 210.
Pesch Chr., S. I. Potestne in alterutro tantum comuge sacramentum matrimonii, consistere 85* nota.
Pestalozza. De causalitate per se et per accidens, 102*. 103* nota, 115*.
Petit. Opus, 63.
Philip. Opus, 63.
Piacenza. De festis patronorum, 40*.
O. Picard. Opus, 63.
I. B. Pighi. De occasione proxima, 2*. 27*. — De consulente minus malum, 64*.
Enrico Pinard de la Boulaye, S. I. Opera, 260.
René Pinon. Opus, 209.
Pirhing, S. I. De vi sponsalium, 90*.
Piscetta-Gennaro, S. S. Opus, 210.
Marius Pistocchi. Opus, 167.
P. Dr. Emericus Piszter, S. O. Cist. Opus, 259.
Pius Pp. XI novam regulam Tertii Ordinis approbans, 48*. — Eius epistolae et sermones de pace, 5. — Enc. *Casti Conubii* alienus a matrimonii mixtis, 101. — Religiones laudans, 179; etiam nuntio radiophonico, 180.
Pius a Petralcina, O. M. C. Varia de ipso acta, 52.
Prümmer, O. P. De occasione proxima, 28*. — De consulente minus malum, 64*. 67*. 71*. — De abortus indirecto, 103*. — De viatico ex devotione, 124*.

— De can. 1435 § 1 interpretatione, 161*.
The Irish Ecclesiastical Record. De iure parochi ad viaticum ministrandum, 123*. 124*.
Reginaldus. De occasione proxima, 15*.
Ranwez. Obligationum fontes, 146*.
Reiffenstuel, O. F. M. De occasione proxima, 19*.
Reuter (Lehmkuhl), S. I. De occasione proxima, 23*. — De tentatione Dei, 145*.
Revue des Communautés religieuses. De Sororibus externis (« Tourières ») 50*. 51*.
Nouvelle Revue Théologique. De indulgentiis viae Crucis, 119*. — De fontibus obligationum, 146*. — De calendario in missionibus, 36.
Rivista del clero italiano. De abortu therapeutico, 103* nota.
James B. Roberts. Opus, 168.
Roelens, Exc. D., litteras S. C. de P. F. obtinens de calendario, 35. 36.
Roncaglia, O. Matr. Dei. De occasione proxima, 23*. 24*. — De criterio occasionis proximae, 156*.
Sabetti-Barrett, S. I. De consulente minus malum, 64*.
Étienne Martin Saint-Leon. Opus, 208.
Salmanticenses. De consulente minus malum, 64*. 67*. 71*.
Salsmans, S. I. De consulente minus malum, 64*. — De indulgentiis viae crucis, 119*. — De probabili peccati periculo, 154*.
Th. Sanchez, S. I. De occasione proxima, 15*. 24*. 32*. — De consulente minus malum, 63*. 67*. 72*. — De vi sponsalium, 90*. — De impedimento criminis, 237* nota; 238*.
Felix Sartiaux, Opus proscriptum, 176.
Scavini. De occasione proxima, 27*.
Schiffini, S. I. De officiis mere ethicis, 94*.
Schilling. De abortu indirecto, 104*. — Opus, 209.
Schmalzgrüber, S. I. De vi sponsalium, 90*.
R. Schockaert. Opus, 259.
Segneri, S. I. De occasione proxima, 24*.
Serafini, Card. appetente xxv natali episcopatus gratulatur Pontifex, 252.
P. A. D. Sertillanges, O. P. Opus, 209.
Simenon. De causalitate per accidens, 102* (est Kiselstein).
Sipos. De can. 1435 § 1 interpret.
Enrique Sparn. Opus, 65.
Henry Somerville. Opus, 209.
Soto, O. P. De consulente minus malum, 62* nota; 63* nota; 67*. 70*. 72*. — De propria promissionis vi, 89*.
Louis Soubigou. Opus, 260.
Sporer, O. F. M. De occasione proxima, 19*. 24*. — De consulente minus malum, 64* nota.
Nederlandsche Katholieke Stemmen. De indulg. viae Crucis, 118*.
Stoz, S. I. De occasione proxima, 19*.
Iakob Strieder. Opus, 209.
Exc. **Mario Sturzo** imperatam retractationem opinionum exsequitur, 21.
Suarez, S. I. De occasione proxima, 15*. 24*. 26* nota; 31*. 32*. — De consulente minus malum, 63* nota; 72*. — De causalitate per se et per accidens, 102*. 106*. — De vitio formalis coöperationis, 113*. — De vitando periculo peccandi, 148*. — Opus, 61.
Sulpicientes. De consulente minus malum, 64*.
Tanquerey, S. Sulp. De consulente minus malum, 64*. 71*.
Fr. Ter Haar, C. SS. R. De occasione proxima, 2*. 15*. 27*. 29*. 32*. De periculo peccati, 133*. 134*. 136*. 140*. 148*.
S. Thomas, O. P. De occasione proxima, 31*. 73*. — De vi promissionis, 89*. — De causalitate per se et per accidens, 101*. — De occisione indirecta; 105*. 108*. 112*. — Licet quidquid non prohibetur, 112*. — De tentatione Dei, 145*. — De concelebratione, 202*. 203*.
Peter Tischleder. Opus, 209.
Tixeront. De paenitentia anterioris aetatis, 8* nota.
Toledo, S. I. De consulente minus malum, 64* nota.

Egidio Tosato. Opus, 168.
L. et H. Toublan. Opus, 260.
Tournely. De occasione proxima, 24*.
Trilhe, O. Cist. De calendario Vicariatus Apostolici, 35. 36.
Aloysius Trombetta. Opus, 62.
Max Turmann. Opus, 209.
Ubach, S. I. De consulente minus malum, 64*. — De abortu indirecto, 104*. — De viatico ex devotione, 125*.
Umberg, S. I. Confirmatione baptismus perficitur, 80*. — De valida vel invalida susceptione sacramenti validi, 81* nota. — De symbolica sacramentorum indole, 86*. — De systemate sacramentario, 86*. 87*. 88*.
Albert Valensin, S. I. Opera, 63. 209.
Valentia, S. I. De consulente minus malum, 59* nota.
Van der Stappen (Exc. Dom). De festis patronorum, 40*.
Van Egeren - Formans. De consulente minus malum, 64*.
Van Hove, Prof. De clausula « Contrariis quibuscumque » 49*; de privata communione Orientalis aegroti, 191*.
Van Laak, S. I. colligens testimonia de praestantia doctrinae Bellarmini, 6, nota.
G. M. Van Rossum, C. SS. R. De occasione proxima, 2*. 27*.
Vazquez, S. I. De consulente minus malum, 60* nota; 72*. 73*.
A. Vermeersch, S. I. De occasione proxima, 30*. 32*. 148*.149*. — De consulente minus malum, 64*. 71*. — De abortu indirecto, 103* nota. — De nenessaria stabilitate pro professione religiosa, 123*. — De peccandi periculo vitando, 129* nota. — De generali mentis castitate, 138*. — De actibus cultus publici, 186*. — Opus, 209.
Vermeersch-Creusen, S. I. De privilegio Fidei in dubio, 175*. — De privilegio Paulino post baptismum condicionatum, 177*.
Victor, O. M. Cap. De officio a religiosis adhibendo, 41*.
Francesco Vito. Opus, 209.
Viva, S. I. De occasione prexima, 23*. 24*. 34*. — De obligatione probabile peccandi periculum, 141*.
A. De Vleeschauwer. Opus, 211.
G. Vromant, Cong. Miss. Scheut. Opus, 210.
Rudolf Wahl. Opus, 62.
C. Walterbach Mgr. Opus, 259.
P. Lewis Watt. S. I. Opus, 209.
Wernz, S. I. De non cogendo sponso ad nubendum, 97*. — De impedimento criminis, 239*. 240*.
Wernz-Vidal, De can. 1127, 175*. — De impedimento criminis, 239*.
Wigandt, De occasione proxima, 19*. 24*.

MONUMENTORUM ET RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus paginas prioris Partis designat

Linea interducta (—) = vocabulum in principio positum.

Abbatia *Casamariensis*, O. Cist. in Congr. independentem erigitur, 50. — *S. Mauritii Agaunensis*, a S. C. de Prop. Fide, transit pro iurisdictione ad S. C. Consistorialem, 177. — *Leffiensis* restituitur, 253.

Abortus directus et indirectus, 103*-105*. — Discrimen a conculcato puerulo per viam, 113* nota.

Approbationes Congreg. vel Constitutionum, 53. 203. 254.

Litt. enc. *Acerba animi*, 29 sept. 1932, De iniqua rei catholicae conditione in Mexicana republica, 261-270. Annotationes, 270-274. — Sollicitudo Pontificis. Fides fracta a moderatoribus rei publicae. Acta Episcoporum. Prudens actio S. Pontificis. Novae vexationes. Normae datae. Casus de cooperatione solutus.

Actio catholica. De ea novissima acta, 47-49.

Actuario commendatur ipsa calligraphia, 145.

S. Albertus M. De concelebratione, 203*. — Bulla seu Litteris decretalibus *In thesauris*, praecepto cultu universae Ecclesiae, addito Doctoris titulo, aequivalenter canonizatur. In Bulla eius curriculum vitae, scripta, dotes, accommodatio antiquae sapientiae ad scholastica studia, fama, titulus Doctoris universalis, suffragium virorum doctorum, etiam acatholicorum nostrae aetatis, auctoritas in theologia et Script. sacra, citatis operibus, et meriti perennitas memorantur et laudantur, 74-80. Cultus publicus ipsi post mortem tributus, 81. Favores antea eius cultui tributi, 81. 82. Praeterita acta; novae instantiae; opportuna eius glorificatio; propensio Pontificis; votum Congr. Rituum. Decretum et specifica rei actae confirmatio, 82-85.

Allocutio SS. D. 12 feb. 1932, decem Pontificatus annos commemorans, 169-171.

Americae *meridionalis* usus confirmandi pueros ante aetatem discretionis, 275.

Annuntiatio B. Virginis in Parasceve vel sabbato sancto, de Missa pro populo, 162*-165*.

Appellatio. Ordinarii pro appellatione, 53. 203. 254. Deficiente copia bene tractandi causas appellatas, alia curia a S. Sede approbanda proponatur, 279.

Baptisma nemo sibi valide confert, 74*-80*. — Varii casus de baptismo valido vel non, 224*.

Basilianus Ordo S. Iosaphat ordinatur, 244. 245.

Benedictio instrumentorum ad montes conscendendos, 33. 34.

Beneficia reservata vi c. 1435 § 1, p. 160*. 161*.

Bibliographia, 61-65. 166-168. 208-212. 259-260.

Breviarium. Variationes in rubricis, 53-55.

Calendarium ecclesiae cathedralis, 56*. 128*. — in ecclesiis quasi-paroecialibus vel in stationibus, 35 — reformandum ab Ordinariis et Superioribus, 35. — Calendarium in *missionibus,* 34. 35. 248-250. — Variationes in calendarii rubricis, 54.

Beatificationis *causae,* 56. 203-255.

Canones. Vide pag. 320.

Canonizationis *causae,* 56. 203. 255.

— *Bullae.* Earum inscriptio; sigillum, 86-88.

— *aequivalentis* numerus et ratio, 89-91.

Litt. enc. *Caritate Christi,* 25 mart. 1932. Nova hortatio ad obsistendum calamitatibus quarum nulla memoria post diluvium. Radix malorum, cupiditas; inde invidiae, nimius propriae nationis amor, iniqua bonorum partitio. Communismus in religionem et Deum bellum commovet. Audax atheismi propagatio. Postulationes œconomicae mixtae cum bello in Deum. Spes tamen ex multorum devotione in Deum. Acerrimus Pontificis dolor. Pro Deo vel contra Deum pugnatur. Deponatur sui amoris studium. Inculcentur documenta litt. « Quadragesimo anno ». Oratio cum ieiunio coniungenda est. Peculiariter pro publicis potestatibus orandum est. Salutatio « Pax vobis » dat solacium. Indemnis servanda est genuina paenitentiae ratio, hodie nimis neglecta. Summa deliberatio: vel precatio cum paenitentia, vel deditio in manus hostis Deo adversantis. Praescripta de Festo SS. Cordis. Descriptio optatae paenitentiae. Spes exauditionis, 229-240.

Carmelitanarum Sorores externae, 49*.

S. Carolus Borromeus, patronus cum S. Roberto Bellarmino, operum instructionis religiosae, 171-173.

Castitas mentis generalis, 138*.

« **Catholica Unio** », pia Societas ad iuvandas vocationes indigenarum orientalium. Ditatur indulgentiis. Eius statuta, 22-24.

Catechismus Pii X, accommodatus ad Lateranensia pacta, 28-30.

Causae S. Rotae Rom. anno 1931, 204, 205.

Causae *matrimoniales.* Litt. circul. S. C. de Sacramentis, 1 iul. 1932, de earum tractatione, de constituendis iudicibus competentibus, de relationibus ad S. Cong. 278-281.

Causalitas *per se* et *per accidens,* 101* -116*. Triplex notio, 115.

Cautiones in mixtis nuptiis praestandae, 99-105; 178*-182*.

Censura praevia diligens praecipitur de evulgatione gratiarum et oblationum, 246-248.

Clarissae. Indultum de « Tourières », 46*. 48*.

Clausula « Contrariis quibuscumque », 49*.

Clerici. *Vide:* Habitus eccl.

Collectiones *Rituum,* 56*. 127*.

Communio prima quatenus confirmationem praecedat vel sequatur, 276. — ad infirmos deferenda, 35*.

Concelebratio euchar. sacram. extra ordinationem, 193*-216*. — Eius origo et natura, 217*-219*.

Concilium *Ephesinum*. **Enc. litterae** *Lux veritatis*, 25 dec. 1931, de MD° anno a celebrato concilio, 164. 165. — Historica facta et Rom. Pont. auctoritas. Una Christi Persona. Divina B. V. maternitas. Eius corollaria. Indicitur festum Maternitatis B. M. V.

Concordati cum Rumenia interpretatio, 252.

Concursus paroecialis non servandus in prima provisione novae erectae paroeciae, 282-284.

Confessarius occasionalis, 231*-235*.

Confessionis usus, 190*.

Confirmatio. Nemo se confirmat, 80*. — Aetas in Ecc. lat. 37-39. 275. — Usus confirmandi pueros ante annos discretionis, 275.

— Quonam ordine recipienda est confirmatio et prima communio? Quid si obstet usus? 276.

Confraternitas Doctrinae christianae, 173. 251. — SS^{i} Sacramenti, 173.

Constitutiones Apostolicae, quid, 86.

Consuetudo de aetate s. communionis et confessionis et mutui ordinis inter utrumque, 275. 276.

Consulens minus malum peccatne? 57*.

Cooperatio ad artes numalthusianas, 54*. 55*. — ad iniquam legem, quaenam excusatur. Declaratio de lege Mexicana, 268.

Criminis impedimentum. Casus, 228*. 237*. 240*.

Crucifixi imago pro via crucis, 122*.

Cultus *publici* et *privati* actus, 186*. 187*.

Degradatio edictalis, 19. 20.

Delegationes Ap.^{ae}. Litterae, 253.

Diaconatus collatus omissa protensione manus ad ordinandum, 159*.

Dies a qua valent acta S. Sedis, 52*.

Dioecesanae Congregationes, an obnoxiae statutis de « Tourières », 50*.

Dioeceses. Litterae (seu Acta) de istis, 50. 52. 53. 199. 201. 202. 253.

Dispensatio ad cautelam, valetne si locus erat dispensationi simpliciter dictae, 223*.

— implicita ab impedimentis matrimonii non iam dispensatione super disparitate cultus continetur, 16. 17. — impedimenti consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis mixto cum secundo. Qua prudenti ratione impetranda, 30-33. — Dispensatio a ieiunio eucharistico pro sacerdotibus, quo modo petenda, 105-108.

Ecclesia. Receptio in Ecclesiam acatholici qui, facto divortio, civiles nuptias attentaverat, 225*. 226*. — Debentne assistere testes?

Ecclesia *cathedralis*, Calendarium, 56*. 128*.

Ecclesiae (*Basilicae* etc.). Litterae de istis, 52. 201. 202. 253. 254.

Electio *Superioris* metu vitiata, 58* 127*.

S. Elisabeth Hungariae septies centenaria celebratio Epistola S. Pont. Summaria relatio, 165.

Ephemerides piae gratias et oblationes evulgari qua ratione permittantur, 246-248.

Episcopus sibi conferens diaconatum, 83* — mutans formam Processio-

num, 226* — ordinans pro aliena dioecesi, 236*, — calendarium dioecesis reformare iubetur, 32. — Cum impetranda est dispensatio in primo gradu lineae collateralis mixto cum secundo, graves causae, si adsint, litteris chirographis id significet. — Instructio de modo quo petat dispensationem a ieiunio eucharistico pro sacerdotibus, 105-108. — Quaenam de causis matrimonialibus ad S. C. de Sacramentis referre debeat, 278-281.

SS. Eucharistiam cur potest unusquisque sibe valide dare? 81*. 86*. 87*. — Dispensatio a ieiunio euch. pro sacerdotibus, quomodo petenda, 105-108.

Exclaustratio necessaria cooptato in dioecesim, 183*.

Facultates *quinquennales* Formulae III, 220*-222*. — *pro visitatione pastorali Urbis* concessae, 94-99.

Familiarium S. Pont. beneficia reservata, 160*. 161*.

Festa dioecesana recolenda a religiosis, 38*-43*. — Dedicationis eccl. cathedr. 39*. — Patroni, 39*. — Titularis, 39*. — S. Theresiae a Iesu infante, in Missionibus exteris, 35. — post 1914 in calendarium universale inducta, 167*-170*. De his officia, Missae, Elogia, 203.

Festum divinae Maternitatis B. M. V., 165. — SS. Cordis Iesu. Praescripta, anno 1932, de Festo et eius Octava, 234. 235.

Fidei *privilegium* latius quam Paulinum patet, 175*. 176*.

Fodinae beneficiales. Proventus ad dotem beneficii pertinent, 193-196. — usufructus ad quem pertineat in iure civili, 197.

Formula *saecularizationis*, 182*. 183*; — *licentiae imprimendi*, 189*. 190*. — Facultatum Quinquennalium, 220*-222*. — Benedictionum ad montes conscendendos, 33. 34. — Formulae processus de nullitate ordinationis vel onerum, 126-145.

Habitus *ecclesiastici* illicitus usus punitur lege Italiae, 21. — delatio clericis etiam per ferias praescripta. Nec admittendi ad Missam sine toga talari, 26. 27.

Hispania. De vexationibus Soc. Iesu epistola Card. Secretarii Status, nomine SS. D. ad Praepositum Generalem Soc. Iesu scripta, 160-163. Hispaniae usus confirmandi pueros ante usum rationis, 37-39.

Honestas publica non gignitur matrimonio civili, 239*.

Ieiunium eucharisticum ante Missam. Qua ratione petatur dispensatio, 105-108.

Impedimentum. Est publicum, si est publicum factum ex quo oritur, 282 D.; 285.

Incardinatio coniuncta cum saecularizatione, 182*. 183*. — virtualis, 236*. 237*.

Indulgentiae *viae crucis*, 117*-122*; 146. 147. Annotationes historicae et explicationes, 148-160. Intentio necessaria, 119*. — visitantium imaginem B. Virginis Guadalupensis, 198. — stationum, 250. 251. — ascriptis archiconfraternitati Doctrinae christianae concessa 251. — pro visitatione SS.mi eucharistiae sacramenti, 241.

Infirmi. Communio, 35*. — Quid, si

Orientalis, 190*. 191*. — Via crucis et indulgentiae, 121*. 122*.

Intentio novicii qui non vult infinite vota renovare, 192*.

Interpellationes factae ante baptismum, 187*-189*.

S. Ioann. Bapt. Festum in dioecesi Vratislaviensi, 42*.

Italiae annui episcoporum conventus, 254.

Iuramentum coniunctum titulo missionis, titulo servitii dioecesis, 184*-186*.

Lateranensia pacta sanciunt privilegium habitus ecc.ici pro clericis, 19. 20. — Ad ea aptantur formulae catechismi Pii X, 29, 30.

Legum *vacatio*, 49*.

Litterae Apostolicae quid designant, 86. 87.

Litterae decretales. Origo tituli, 86.

Malum *minus* licetne consulere? 57*.

B. Mariae Virg. divina Maternitas. Litt. enc. Dogma Ephesinum. Corollaria. Festum, 164. 165.

Martyrii causae citius quam virtutum disceptatio inchoari possunt, 282. 290.

Matrimonium est virtualiter sacramentum duplex, 84*. — Quomodo sponsi sunt ministri, 84*. — Potest esse sacramentum in una tantum parte, 85* nota. — Eius promissio obligatne conscientiam, 88*-101*; 229*-232*.

— mixtum et neglectae cautiones, 178*-182*. — factum post interpellationes baptismo anteriores, 187*-189*.

— Impedimentum criminis. Casus, 228*. 237*-240*. Matrimonium attentatum, quid, 239*. Est plus quam fides data, 240.

— De casu perplexo ob omissam petitionem dispensationis, 240. Vicarius supplens, assistens matrimonio, 280.

— Causae retractandae, coram quonam tribunali, 37-40. Certitudo de qua can. 1990, quonam modo haberi potest, 37. Citatio partium ante declaratam nullitatem facienda, 37. 40. — Quaenam absentia sufficiat usui can. 1098, 41-43. — Declaratione non extensiva, acatholici declarati sunt qui ab alterutro parente acatholico nati sunt, 41. 45.

— mixtum. Cautiones tunc praestandae, 99-105. Quo iure prohibeatur, 101. 102.

Medicus. Quatenus possit uti scalpello, 53*. — Cooperatio ad artes neo-malthusianas, 54*. 55*.

Melitensis Ordo. Controversia cum O. E. S. Sepulchri dirimitur, 57.

Metus in electione Superioris religiosi, 56*. 127*,

Mexicanae reipublicae vexationes. Acta S. Sedis, 261-274.

Missa *pro populo*. Applicatio, cum die proprio applicari nequit, 162*-165*; — quando festum patroni transfertur, 165*-167*. — Ritus Missae pro populo, in sollemnitate Epiphaniae, etc. 167*. — Toga talaris praescripta, 2.

Missale. Variationes in *Rubricis*, 55-56.

Missiones sui iuris. Litterae de istis, 50. 51. 200. 253.

Missionis titulus et coniunctum iuramentum, 184*. 185*. — Calendarium, 34.35. 248-250. — Festum S. Theresiae a Jesu infante, 35.

Monasterii Ord. Cist. a B. M. de Hardehausen restitutio, 201.

Moniales — *Carmelitanae*, 49*. — *Clarissae*, 48*. 49*. — *a Visitatione*, 44*.

Musica instrumenta in templo ab Ordinario loci permittenda sunt, 184*. — Musicae *usus* in ecclesiis libere seu sine solvenda taxa concedi debet, 178. 179.

Necrologium, 60. 207. 258.

Neomalthusianae artes. Cooperatio, 54*. 55*.

Nominationes, 59. 60. 206. 207. 256. 257.

Enc. *Nova impendet,* 2 oct. 1931. Praesens unica calamitas. Invitatio ad piam ferendae opis contentionem. Ordinarii minora dispendia suadeant in apparatu militari; urgeantque collationem eleemosynarum; fideles oboediant et orent, memores promissae mercedis. In festo SS. Angelorum Custodum Papa recogitat dicta de Angelis puerorum, 1-4.

Occasio proxima. Disputatio historico-moralis, 1*-34*; 129*-157*. — Genuina notio, 150*-157. — Praecepta fuga occasionis, 156*. 157*.

Officialis iudices vocare potest qui cum eo collegiale tribunal constituant, 289. — neque opus habet speciali mandato, 289.

Officium centrale pro scholis et institutis catholicis Italiae mox penes S. C. de Seminariis et Univers. studiorum aperietur. Eius provincia, 197.

Officium div. recitandum a religiosis, 41*. Officia, Missae, elogia de novis Festis, 203.

Opera proscripta, 18. 52. 108. 176. 243. 244. 274.

Orationis vis, commendatio, 328 ss.

Ordinarii pro appellatione, 53. 203. 254.

Ordinarius permittens musica instrumenta in templo, 184* — recipiens in Ecclesiam, 223* — curare debet exsecutionem decreti S. C. C. 28 iul. 1931 de habitu ecc. a clericis ferendo et toga talari pro missa, 27. — calendarium reformare iubetur, 35. — Ordinario commendatur diligentia in servandis normis processus de nullitate ordinationis seu ordinum, 145.

Ordinatio valida vel invalida, 157*-159* — pro aliena dioecesi, communi amborum Episcoporum consensu, 236*. — Regulae servandae in processu de nullitate ordinationis vel onerum, 109-126. Formulae annexae, 126-145.

— *religiosorum,* qua formatione, quo scrutinio prudenter praeparanda. Instr. 1. dec. 1931, 179-193.

Ordinis sacramentum nemo sibi in aliquo gradu confert, 82*-84*.

Ordo equester S. Sepulchri. Controversia cum Ord. Melitensi dirimitur, 57.

Orientalis aegrotus latine recipiens communionem, 190*. 191*.

Orientalium *indigenarum* vocationes foventur Soc. « Catholica unio », 22-24.

Paenitentiae laus, necessitas, modus, 228, 231. 233. 235.

Paenitentiam nemo sibi ministrat valide, 81*.

Parochi fideles de ratione impedimentorum matrimonii monere debent, ne nimis facile dispensationes petant, 31.

Paroecia regularis erecta in Urbe et concredita Societati Iesu, 173-175, — concredita Ordini B. V. de Mercede, 200.

— **religiosa** concredita *pleno iure* Societati Salesianae, 252.

Patronatus. Ius praesentandi quomodo exercendum, 52*.

Patroni festum, 39*. 40*.
SS. Patroni operum instructionis religiosae, 171-173.
Paulinum *privilegium*. Casus, 128*. Solutio, 191* et 172*-177*. — Solutio ex S. Officio, 170*. 171*. — Usus post condicionatum baptismum, 177*. — Collatio cum privilegio Fidei, 175*. 176* — Interpellationes factae ante baptismum, 187*-189*.
Peccatum. Eius periculum vitandum, 129*-150*.
— veniale et mortale. Discrimen; veniale ducens ad mortale, 134*.
Praefecturae Apostolicae. Litterae de istis, 50. 51. 52. 200. 201. 253.
Praelaturae nullius novae, 49. 50. 252.
Presbyteratus collatus cum calice in quo nimia aqua, 157*. 158*. — Sine protensione manus versus ordinandos, 159*.
Privilegium utendi calendario cleri Romani vel alicuius Ordinis seu Congr. revocatum, 35.
Probabile. Quid, 31*. 154*. — Obligatio vitandi *probabile* peccandi periculum, 134*-150*.
Processiones. Ordo praecedentiae alumnorum. Potestas Episcopi in formam processionum, 225*. 226*.
Processus de nullitate ordinationis vel onerum. Normae, 105-126. — Annexae formulae, 126-145. — Annotanda, 145. — Acta processus. Facilior modus ea transmittendi, 145. — informativus in causis Servorum Dei, 41. Disceptatio martyrii non regitur can. 2105 de non inchoanda disceptatione ante 50 annos ab obitu, 283. 289. 290. — matrimonialis. Cfr *causae matrimoniales*.
Promissionis vis, 89*-91*. — Promissio matrimonii in Codice canonico, 88*-101*; 229*-232*. — in Legibus civilibus, 230*-231*. — Quaenam sufficit impedimento criminis, 238*. 239*. 240*.
Provisio Eccles., 57-59. 205. 255. 256.
Religio. Ingressus in religionem et iuramentum missionis, servitii dioecesis, 184*-186*. — Prudens candidatorum cooptatio, 181. — Religionum *laus;* quantum iisdem noceant desertiones, 179. 180.
Religiosi. Festa dioecesana ab ipsis recolenda, 38*-42*. — qui nolunt remanere ultra tempus ad quod vota renovant, peccantne; manentne religiosi? 192*. 226*. 227*. — Suntne indigni absolutione? 192*. 227*. — a quo extra domum sacramentis reficiuntur, 37.
Religiosorum electiones non liberae, 56* — institutio ad ordines. Scrutinium antea peragendum, 179-193.
— Calendarium, 56*.
Reservata beneficia ex C. 1435 § 1, 160*. 161*.
S. Robertus Bellarminus brevi 17 sept. 1931, Doctor Ecclesiae renuntiatur, 7-12. 52. — Eius officium et Missa ad universam Ecclesiam extenditur, 12. Supplices libelli pro eo missi, 6. — Volumen Positionis quid contineat, 6 nota. Eius merita, scripta, opera enucleate proponuntur in Brevi, 7-12.
— Patronus, cum S. Carlo Borromeo, operum instructionis relig., 171-173.
Rubricae. Variationes in rubricis, 53-56.
Sacerdos dispensandus a ieiunio eucharistico, 105-108.
— **Geysa Victor,** Boross. Hungarus, edicto 15 iul. 1931 degradatur, 19.

Antonius M. Caccavari, Italus, redactus a 1916 ad statum laicalem, iterum promulgata sententia, habitum clericalem ilico dimittere iubetur, 20. 21.

Iosephus Marazzi, suspensus, excommunicatus declaratus, inhabilis ad officia et beneficia, 202.

Sacramenta alii conficiunt, alii suscipiunt, 76*-88*. — Propter quamnan intimam rationem, 87*-88*. — Indoles *socialis, symbolica*, 85*. 86*. — ultima, a quonam religiosi recipiunt, 37-39.

Saecularizationis formula recens, 182*. 183*.

Scrutinium ante ordinationes religiosorum, 184-187, 191-193.

Seminariorum canonicae visitationes, 13. — Regionalia sunt quotannis visitanda, 13. — Visitator Ordinarius, ipso iure est Consultor S. C. de Seminariis et alterum post Secretarium in C. de Seminariis locum obtinet, 13.

Separatio coniugum, qua forma est decernenda, 282.-286. — Utrum forma eadem in primo gradu et in secundo decernenda est, 282 — An excluditur forma iudiciaria, 286. 287.

S. Sepulchri Ordo equester. Controversia cum Melitensi dirimitur, 57,

Socialis indoles sacramentorum distinctum vult a suscipiente ministrum, 85*.

Societati Iesu S. Pontifex, derogans Constitutionibus, paroeciam regularem in Urbe committit, 173-175. — Societatem solatur de vexatione Hispanica, 160-163.

Sorores *externae* monasteriorum, 43*-51*.

Stationes Urbis. Indulgentiae, 250. 251.

Statua in ecclesia estne cultus publicus, 186*. 187*.

Superior *religiosus*, interrogans Consiliarios de ratione suffragii negativi, in scrutinio secreto, 123*. — coartans facultates Superiorum localium, 56*. 127*. — recipiens candi datum cui desit animus renovandi vota, 123*. 192*. — calendarium reformare iubetur, 35.

Superioris *generalis* potestas in Superiores inferiores, 55*.

Symbolica sacramentorum indoles postulat ministrum diversum a suscipiente, 86*.

Tentatio Dei, quid. 145*.

Tertia regula *S. Francisci*, 46*. 48*.

Titularis festum, 39*. 40*.

« **Tourières** », 43*-51*. 53.

Unctio Extrema. Cur non possit sibi ministrare Extr. Unct. sacerdos, 82.

Via crucis. Indulgentiae, 117*-122*; 146. 147. Decretum; annotationes etiam historicae, 148-160. — Intentio necessaria, 119*.

Viaticum ex devotione ministratum, 123*-125*.

Vicariatus *Apostolici*. Litterae de istis, 50. 51. 200. 201.

Vicarii capitularis iura ob praecedentiam, 24-26.

Vicarii generalis praecedentia: iura annexa, 24-26.

Vicarius generaliter *supplens* assistitne valide matrimoniis, 240*.

Visitatio canonica Seminariorum Italiae, 13. — Apostolica in Urbe, 92-94.

Visitator Seminariorum Italiae, 13.

Vota religiosa *temporaria* sine animo ea renovandi, 122*. 123*.

Vratislaviensis dioecesis. Indultum de Festo S. Ioann. Bapt., 43*.; de Festo Assumptionis B. M. V., 43*.

Canones allegati : Canon 17, 2 et Can. 20, de vi legis dubiae, 46. — Can. 22 de obrogatione legis, 48*. — Can. 29. Consuetudo optima legum interpres, 124*. — Can. 111, de ordinatione pro aliena dioecesi, 236*. — Can. 136 § 1, de habitu ecclesiastico a clericis deferendo, 26. — Can. 169 § 1, suffragium invalidum, 127*. — Can. 250 § 5; 251 § 1; 257 § 3; 345; 1601; 2146 § 1; causae tractandae via administrativa, 96*. — Can. 397. Applicatio ad Vicarium generalem, 25. — Can. 459, de concursu paroeciali, 282. — Can. 462, de viatico quod parocho reservatur, 124*. 125*. — Can. 488, 1°, de renovatione votorum temporariorum, 122*. — Can. 514 § 1, ultima sacramenta extra religiosam domum, 37. 38. — Can. 522, de Confessario occasionali, 232* ss. — Can. 542, 2, de ingressu clerici in religionem, sine assensu Ordinarii loci, 185*. 186*. — Can. 711, de confratern. Doctr. christ. et SS. Sacramenti, 171-173. — Can. 788. Aetas confirmationis in Ecclesia latina, 37. 38. 275-277. — Can. 804 § 2 et 811 § 1, de veste ferenda a celebrante Missam, 27. 28. — Can. 849, de privata infirmi communione, 38*. 190*. — Can. 890, de prohibito usu scientiae ex confessione, 190*. — Can. 969 § 2, de ordinatione pro aliena dioecesi, 236*. — Can. 1014. 1070 § 2, de favore iuris matrimonio concesso, 177*. 179*. — Can. 1017 §§ 1 et 2, de obligatione reparandi damna, 92*. 99*. 229* ss. — Can. 1017, § 3, de obligatione orta ex valida matrimonii promissione, 88*. 89*. 91*. 93*. 95*. — Can. 1037, de impedimento publico, 282. — Can. 1044. 1060. 1070. 1071, de exigendis cautionibus in matrimoniis mixtis, 45. 100. 103. 105. 178*. — Can. 1045, de dispensatione in periculo mortis, etc. 240*. — Can. 1053, de dispensatione ab impedimento primae formae criminis, 18. — Can. 1061 et 1071, de natis ab acatholicis, 45. — Can. 1061 § 1. Dispensatio super impedimentis mixtae religionis, 102. 103. 178* ss. — Can. 1075, de primo criminis impedimento, 228*. 237*. 238*. — Can. 1098, de physica parochi vel Ordinarii absentia, 41. 42. 43. 44. 45. — Can. 1099 § 2, cuius interpretatio declarativa esse iudicatur, 41. 45. — Can. 1120 § 1 et 2; 1121 § 1 et 2; 1123. 1124. 1127; de privilegii paulini usu, 171*. 173*. 174*. 175*. 176*. 177*. — Can. 1131 § 1 de separatione coniugum decernenda, 282. — Can. 1394, de imprimenda licentia edendi, 189*. — Can. 1435 § 1. Beneficia Apost. Sedi reservata, tempore vacationis beneficii, 160*. — Can. 1465. 1468, de praesentatione a patrono, 53*. — Can. 1473, de iure beneficiati, 196. — Can. 1529, de usu legis etiam civilis de contractibus, 95*. — Can. 1573 § 1, de potestate Officialis, 283. — Can. 1770, de testium examine, 42. — Can. 1903, de re iudicata, 39. — Can. 1989, de iterata causa matrimoniali iudicanda, 37. 39. — Can. 1990, de modo quo debent constare impedimenta et de tempore quo citatio partium est facienda, 37. 40. — Can. 2039 § 1. Quisnam competens Ordinarius ad processum informativum in causis Servorum Dei intelligitur, 41. 42. — Can. 2101, de applicatione ad martyres, 283.

v.21

CBPac

v.21

16765

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6817